COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

e

Præcipuis scholasticis antiquis et modernis redactum

WITHDRAWN

AUCTORE

MANZONI CÆSARE

Philosophiæ et Sacræ Theologiæ doctore
Ecclesiæ Cathedralis theologo
Theologiæ Dogmaticæ et Sacræ Scripturæ
in Seminario Laudensi professore

Quodcumque satum est, hoc idem... excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat; hoc idem proficiat et perficiatur.

(S. VINC. LIRINENS., *Common.*, c. 23).

VOLUMEN III

complectens tractatus

De Verbo Incarnato = De B. V. M. = De Gratia.

230
M296c
v.3

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

AUGUSTAE TAURINORUM
EX LIBRARIA A SS. CORDE JESU
Jo. B. BERRUTI

1911

VISTO NULLA OSTA ALLA STAMPA

Torino, 11 Settembre 1911.

VINCENZO CUMINO *Rev. Del.*

IMPRIMATUR

† C. CASTRALE *V. Gen.*

QUAE JURA A LEGE SUNT, AUCTOR SIBI RESERVAT

Stabilimento Grafico Ditta Eredi Botta.

296 C
3

13427

PIO X PONTIFICI MAXIMO
CONLECTUS OMNIUM HAERESEON
INVICTO PROFLIGATORI
PLAUDENTE ORBE
OB SACERDOTII QUINQUAGESIMUM NATALE
DEVOTIONIS OBEDIENTIAE ERGO
UMILLIMUS AUCTOR
DICAT

N. 33618 *Dal Vaticano 22 Novembre 1908.*

Rev.mo Signore,

Ho il piacere di partecipare alla S. V. che il Santo Padre si è degnato di gradire l'omaggio del III Vol. del *Compendium theologiae* che Ella con devoto pensiero ha a Lui dedicato. Sua Santità, mentre si congratula con Lei delle ben riuscite sue fatiche, La ringrazia del cortese dono, e Le imparte di cuore l'Apostolica Benedizione.

Profitto della presente occasione per raffermarmi con sensi di sincera stima

di V. S. Rev.ma

Sig. Can. Prof. C. MANZONI - *Lodi.*

Aff.mo per servirla

R. CARD. MERRY DEL VAL.

INDEX

TRACTATUS VIII - DE VERBO INCARNATO.

PROLOGUS 1

CAPUT 1 - *De J. C. adventu* 3

Art. 1. Notiones praeviae . . . . . »
Art. 2. De possibilitate et convenientia incarnationis 11
Art. 3. De Christi messianitate 19

CAPUT 2 - *De Christi divinitate* 35

Art. 1. De divinitate Christi contra haereticos . . . . . »
Art. 2. De divinitate Christi contra rationalistas et modernistas . . 48

CAPUT 3 - *De humana Christi natura* 55

Art. 1. De veritate carnis Christi . . . . . »
Art. 2. De integritate naturae assumptae 61
Art. 3. De defectibus coassumptis 66

CAPUT 4 - *De persona assumente seu de unione hypostatica* . . . 71

Art. 1. Notiones praeviae 72
Art. 2. De unitate personae in Christo 75
Art. 3. De modo hypostaticae unionis 85

CAPUT 5 - *De consectariis unionis hypostaticae* 88

Art. 1. De communione idiomatis 89
Art. 2. De filiatione Christi 91
Art. 3. De adoratione Christi 94
Art. 4. De naturarum inconfusione 97
Art. 5. De duplici operatione ac voluntate 99
Art. 6. De Christi scientia 104
Art. 7. De Christi sanctitate 108

CAPUT 6 - *De Christo mediatore* 118

Art. 1. - De veritate mediationis Christi . . . . . »

Art. 2. De plenitudine satisfactionis Christi 124
Art. 3. De munere prophetico et regio 135
Art. 4. De Christi sacerdotio 138
Art. 5. De sacrificio crucis 143

TRACTATUS IX - DE B. V. MARIA.

CAPUT 1 - *De fundamento gloriae B. V. M.* 153
Art. 1. De divina maternitate . . . . . »
Art. 2. De B. V. corredemptione 158

CAPUT. 2 - *De B. V. sanctitate et privilegiis* 166

Art. 1. De immaculata B. V. conceptione . . . . . »
Art. 2. De eximia B. V. sanctitate 182
Art. 3. De perpetua S. Deigenitricis virginitate 187
Art. 4. De gloriosa B. V. assumptione 194
APPENDIX - *De S. Joseph* 200

TRACTATUS X - DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT 1 - *De natura gratiae actualis* 207

Art. 1. Notiones praeviae 208
Art. 2. De Deo primo motore 220
Art. 3. De physica entitate gratiae actualis 228
Art. 4. De supernaturalitate seu gratuitate gratiae 235

CAPUT 2 - *De efficacia gratiae* 241

Art. 1. De gratia sufficiente 242
Art. 2. De existentia gratiae efficacis 249
Art. 3. De natura gratiae efficacis 252

CAPUT 3 - *De gratiae oeconomia* 259

Art. 1. De bonitate ethica et salutari actum liberorum 260
Art. 2. De necessitate gratiae ad osservandam legem naturalem . . 262
Art. 3. De necessitate gratiae ad vincendas tentationes 270
Art. 4. De necessitate gratiae ad actus salutares et ad initium fidei . . 273
Art. 5. De dono perseverantiae et de privilegio exemptionis a venialibus 280
Art. 6. De gratiarum distributione 285

TRACTATUS XI - DE GRATIA HABITUALI.

CAPUT 1 - *De gratia sanctificante* 293
Art. 1. De natura gratiae sanctificantis . . . . . »

Art. 2. De formali effectu gratiae sanctificantis 302
Art. 3. De proprietatibus gratiae sanctificantis 318
Art. 4. De causis et dispositionibus gratiae sanctificantis 323

CAPUT 2 - *De virtutibus infusis* 330

Art. 1. De virtutibus infusis . . . . . »
Art. 2. De donis Spiritus S. 337
Art. 3. De formali objecto fidei 340
Art. 4. De objecto materiali fidei 348
Art. 5. De proprietatibus fidei 353
Art. 6. De munere rationis in re fidei 358
Art. 7. De spe 364
Art. 8. De caritate 370

APPENDIX - *De merito* 379

THESARIUS [1]

*THES. 1. *Incarnatio non fuit necessaria absolute, — 2 neque ad redemptionem generis humani; — 3 Adamo vero non peccante, probabilius Verbum non esset incarnatum* 12

THES. 2. *Incarnatio — 1 non solum possibilis est, sed convenientissima — 2 tum absolute considerata, — 3 cum in ordine ad redemptionem hominis* 15

*THES. 3. *Conveniens fuit incarnatio — 1 quoad personam assumentem et — 2 quoad naturam assumptam, sicut etiam — 3 quoad modum, et — 4 quoad circumstantias* 17

*THES. 4. *De futuro redemptore — 1 plurimae datae sunt prophetiae, — 2 quae, in Christo completae, — 3 eum vere esse Messiam ostendunt* 22

THES. 5. *Christum esse Messiam invicte probatur implemento prophetiarum quae tempus adventus ejus signabant, maxime vero — 1 vaticinio Jacob et — 2 Danielis* 25

THES. 6. *Christi divinitas constat — 1 ex nomine Dei et — 2 Filii Dei, — 3 ex attributis et — 4 operationibus divinis, atque — 5 ex divino culto* 36

*THES. 7. *Divinitas Christi probatur Traditione* 41

THES. 8. *Historice constat — 1 Christum vere extitisse — 2 deque sua divinitate dedisse testimonium, — 3 quod, ab Apostolis et primis fidelibus confirmatum, — 3 omni fide est dignum* 48

THES. 9. *Christi corpus — 1 non est phantasticum, neque de coelo allatum, sed — 2 ex B. V. derivatum* 56

*THES. 10. *Christus — 1 est perfectus homo; — 2 non ergo caret anima intellectiva* 62

*THES. 11. *In Christo — 1 fuerunt defectus et passiones universales non detrectabiles, sed — 2 non fuerunt particulares, detrectabiles et involuntarii* 68

THES. 12. *In Christo — 1 una est persona — 2 eaque divina, — 3 scil. Verbi* 79

*THES. 13. *Unio hypostatica — 1 non videtur explicanda formali assumptione, qua humana natura in Christo novam perfectionem acquirat,*

(1) Theses quæ asterisco obsignantur minoris sunt momenti, et si necesse fuerit, præteriri poterunt.

— 2 *neque modo substantiali unionis, sed* — 3 *unitate τοῦ esse existentiae* 86

THES. 14. *Jesus Christus. etiam* ut hic homo, *est filius Dei naturalis, et nullo modo adoptivus* 92

THES. 25. *Sunt in Christo duae naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae* 97

THES. 16. *Dantur in Christo duae voluntates* — 1 *distinctae et* — 2 *necessario conformes* 101

THES. 17. *Triplex scientia agnoscenda est in Christo:* — 1 *beata,* — 2 *infusa et* — 3 *acquisita* 105

THES. 18. *Christus fuit* — 1 *prorsus impeccabilis et* — 2 *sanctificante gratia plenus* 114

THES. 19. *Christus* — 1 *est mediator noster:* — 2 *suae tamen mediationi non obstat sanctorum invocatio* 120

*THES. 20. *Christus* — 1 *abunde satisfecit* — 2 *satisfactione vicaria* — 3 *pro peccatis omnium;* — 4 *plenitudini autem redemptionis ejus non obstant nostra merita* 130

*THES. 21. *Christus vere est* — 1 *propheta et* — 2 *rex* 136

THES. 22. *Christus est* — 1 *vere et proprie dictus sacerdos,* — 2 *sacerdotibus V. T. praestantior,* — 3 *hypostatica unione constitutus* . 140

THES. 23. *Mors Christi in cruce fuit verum sacrificium* 145

THES. 24. *B. V. M. vere est Deigenitrix* 156

*THES. 25. *B. V. M. corredemptrix nostra est praedicanda* . . . 160

*THES. 26. *B. V. M., utpote corredemptrix, Christo est conjuncta* — 1 *in praedestinatione sanctorum,* — 2 *in promissione,* — 3 *in glorificatione, et* — 4 *in cultu* 162

THES. 27. *Dogma immaculatae conceptionis probatur ex* — 1 *Gen.* **3**. 15 *et* — 2 *Luc.* **1**. 28 173

THES. 28. *Immaculata conceptio B. V. probatur traditione* . . . 176

*THES. 29. *Immaculata conceptio B. V. confirmatur* — 1 *heterodoxorum consensu et* — 2 *congruentiis rationis* 178

THES. 30. *B. V.* — 1 *gratiam accepit prae omnibus splendidissimam, et* — 2 *immunis a quovis peccato, etiam veniali, extitit* 184

THES. 31. *Sancta Deigenitrix* — 1 *non solum virgo fuit ante et in partu,* — 2 *sed etiam post partum* 189

THES. 32. *B. V. corporaliter assumptam esse in coelum* — 1 *innuunt Scripturae,* — 2 *testantur Patres et* — 3 *suadet ratio* 196

*THES. 33. *Omnis creatura, cum agit, a Deo movetur,* — 2 *humana vero voluntas applicatur ad agendum motione physica,* — 3 *non praedeterminante* 223

*THES. 34. *Gratia* — 1 *vires physicas et efficassimas addit* — 2 *intellectui et voluntati,* — 3 *hasque potentias immediate excitat* 231

THES. 35. *Gratia est* — 1 *donum indebitum exigentiis naturae, cujus viribus* — 2 *nec mereri,* — 3 *nec impetrari potest* 237

THES. 36. *Constat — 1 ex Scriptura, — 2 ex Patribus, et — 3 ex theologica ratione, dari gratiam pure et vere sufficientem, quae — 4 est verum Dei beneficium* 243

THES. 37. *Efficacia gratiae — 1 praecedit voluntatis consensum, sed — 2 exercitium liberi arbitrii non impedit* 250

*THES. 38. *Efficacia gratiae non est explicanda — 2 motione praedeterminante, — 2 neque bona delectatione majori prava concupiscentia, — 3 sed extrinseca habitudine ad consensum voluntatis a Deo praevisum et volitum; unde — 4 gratia efficax a sufficiente non differt physica entitate, sed — 5 tantum ratione beneficii* 256

THES. 39. — 1 *Non omnia opera peccatorum et infidelium sunt peccata, sed homo solis naturae viribus potest — 2 aliqua opera naturaliter honesta facere, et — 3 Deum amore benevolentiae diligere* . . 263

THES. 40. *Sine gratiae auxilio — 1 homo non potest diu totam legem naturalem observare, sed — 2 ut semper in bono perseveret, eget gratia sanctificante, — 3 ut vero diu legem impleat eget gratia actuali, quae praeternaturalis tantum esse potest* 265

THES. 41. *Ad superandas graves tentationes homo indiget auxilio gratiae* 271

THES. 42. — 1 *Ex Scriptura, — 2 ex Patribus, et — 3 ex ratione theologica, constat gratiam esse necessariam ad omnes et singulos actus salutares, et — 4 ad ipsum fidei initium* 275

THES. 43. — 1 *Ad perseverandum requiritur auxilium gratiae actualis, — 2 gratiis vero ordinariis non possumus longo tempore omnia peccata venialia vitare* 283

*THES. 44. — 1 *Non solis justis, sed — 2 peccatoribus omnibus, imo — 3 et infidelibus Deus confert gratias sufficientes ad salutem* . . 287

THES. 45. *Gratiam sanctificantem non absolvi sola peccatorum remissione, nec constitui extrinseca imputatione justitiae Christi, sed esse positivam realitatem, qua anima intrinsece perficitur, — 1 docent Scripturae, — 2 testantur Patres, et — 3 suadet ratio* . . 296

THES. 46. *Gratia sanctificans est — 1 donum quoddam creatum, — 2 animae infusum eique permanenter inhaerens, — ac proinde forma seu qualitas spiritualis* 299

THES. 47. *Gratia sanctificante peccata — 1 vere remittuntur, — 2 nec amplius redeunt* 308

*THES. 48. *Gratia sanctificante anima — 1 renovatur, — 2 illuminatur, — 3 fit consors divinae naturae, — 4 filia et — 5 amica Dei* . . 310

*THES. 49. *Justi ex gratia — 1 Deum habent inhabitantem et — 2 Christo mystice uniuntur* 314

*THES. 50. *Sine speciali revelatione — 1 nemo absolute certus esse potest de propria justificatione; gratia autem, — 2 quae inaequali gradu possidetur, — 3 quolibet peccato mortali amittitur* . . . 320

THES. 51. *Licet gratia sanctificans — 1 a solo Deo efficiatur, — 2 praerequirit tamen in adultis nonnullas dispositiones, — 3 quae ad solam fidem reduci nequeunt* 325

THES. 52. *Simul cum gratia infunduntur a Deo* — 1 *tres virtutes theologicae et* — 2 *plures virtutes morales,* — 3 *inter quas eniment quatuor cardinales* 335

THES. 53. *Justus cum virtutibus infusis accipit etiam dona Spiritus S.* 339

THES. 54. *Fides non est instinctivus quidam sensus exigentiarum religiosarum,* — 2 *neque fiducia de propria justificatione, sed* — 3 *actus intellectus, quo* — 4 *sub influxu voluntatis, et* — 5 *auxilio gratiae* — 6 *assentimur veritatibus revelatis ob auctoritatem Dei revelantis* 342

THES. 55. *Fide theologica omnia credenda sunt quae in thesauro revelationis continentur* 351

*THES. 56. *Assensus fidei est* — 1 *de necessitate salutis,* — 2 *essentialiter verus,* — 3 *immutabilis et* — 4 *firmissimus,* — 5 *obscurus et* — 6 *liber* 354

THES. 57. *Judicium credibilitatis et credenditatis fidei, quod* — 1 *ejus assensum debet praecedere,* — 2 *certum esse necesse est* . . 360

THES. 58. — 1 *Nulla datur veri nominis oppositio inter fidem et scientiam;* — 2 *quae non est independens a fide* — 3 *cui famulatur et a qua fovetur* 361

THES. 59. Formale *objectum spei constituitur* — 1 *bonitate Dei respectiva et* — 2 *ejus virtute auxiliatrice;* materiale — 3 *principale est aeterna beatitudo, quae consistit in possessione Dei,* — 4 *ad secundarium vero pertinent plura bona maxime spiritualia* . . 366

*THES. 60. *Quatuor sunt proprietates spei, scil.* — 1 *honestas,* — 2 *necessitas,* — 3 *certitudo ex parte Dei, et* — 4 *incertitudo ex parte nostra* 368

THES. 61. *Objectum* formale *caritatis est divina bonitas in se ipsa,* — 2 materiale *principale est Deus, ad secundarium vero pertinent* — 3 *proximus et* — 4 *nosmetipsi, imo* — 5 *indirecte creaturae irrationales* 374

*THES. 62. *Caritas,* — 1 *quae virtutum omnium est nobilissima,* — 2 *ceteras* — 3 *movet et* — 4 *informat* 377

THES. 63. *Bonis justorum operibus* — 1 *inest meritum aeternae vitae, quod* — 2 *peccato amissum, per poenitentiam reviviscit* . . 383

*THES. 64. *Ad meritum bonorum operum conditiones plurimae requiruntur, scil.* — 1 ex parte operis *bonitas, supernaturalitas et libertas* — 2 ex parte agentis *status viae et gratiae,* — 3 ex parte Dei *repromissio* 386

A. M. D. G.

TRACTATUS VIII.

DE VERBO INCARNATO

1. **Prologus.** Nil umquam fuit in Ecclesia sanctius Jesu Christo *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus* [1], ut *per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum* [2]. APOSTOLI (qui praeter Christum crucifixum nihil se scire vel praedicare testabantur [3], et in nomine Jesu miracula patrabant) [4] gaudium aestimabant pro nomine ejus contumeliam pati [5]: MARTYRES pro Christo non dubitarunt sanguinem effundere: contra Arium pro divinitate, contra Eutychen pro humanitate, contra Nestorium pro unitate personae strenue dimicarunt PATRES. Christus, *plenus gratiae et veritatis* [6], *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis* [7], *in quem desiderant Angeli prospicere* [8], *qui dignus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem et gloriam, et benedictionem* [9], semper fuit *centrum omnium cor dium* [10], ejusque nomen fideles semper habuerunt « mel in ore,

---

[1] Philip. **2**. 6-7.
[2] Hebr. **2**. 14-5.
[3] 1 Corinth. **1**. 23; **2**. 2.
[4] Act. **4**. 10.
[5] Act. **5**. 41.
[6] Joan. **1**. 14.
[7] Colos. **2**. 9.
[8] 1 Petr. **1**. 12.
[9] Apoc. **5**. 12.
[10] LITURG. *Litan. SS. Cordis.*

in aure melos, in corde jubilum »[11]. Sed heu! jam Christus ignoratur! Nec solum christiani nominis inimici arma tulerunt contra Salvatorem generis humani; verum, proh dolor! e catholicis quidam conantur coronam gloriae, quam Pater Unigenito suo intexuit, de capite avellere; hucusque « ausu sacrilego devenientes ut ad purum putumque hominem extenuent »[12]. Inde necessitas accurate agendi de Redemptore, ut clare appareat quod Jesus est *Christus Filius Dei vivi*[13], *et non est in aliquo alio salus*[14]. Bone Jesu, da ut de te minus indigne sapiam, minus indigne loquar: fide, ore et opere te profitear in terris, ut a te, universorum judice, gloriae coronam accipiam in coelis. Amen!

2. **Tractatus inscriptio et divisio.** Nomine a Joanne derivato[15], noster tractatus inscribitur DE VERBO INCARNATO ut cum veritate naturae divinae et humanae in unitate personae Verbi, innuatur exinanitio Dei[16] qui naturam infimam et lapsam dignatus est assumere[17]. — A Patribus dicebatur OECONOMIA seu dispensatio, quia per J. C. Pater voluit *omnia reconciliare in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris, sive quae in coelis sunt*[18], unde *Christus, factus obediens usque ad mortem*[19], *una oblatione consummavit sanctificatos*[20]. — Cum Apostolo dici potest MAGNUM PIETATIS SACRAMENTUM[21]: *sacramentum* seu mysterium quia incarnatio est veritas lumini rationis penitus impervia quae, etiam revelata, intime scrutari nequit; sacramentum *pietatis* « in quantum est restaurativum mundi »[22]; *magnum* sacramentum ex summa mysterii altitudine et nimia caritate, *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*[23]. — Porro de DEO-HOMINE considerari debent existentia, duplex natura, unitas Personae necnon consectaria quae ex substantiali unione ad divinam proveniunt naturae assumptae quoad *esse, dici* et *honorari:* hinc quinque capita: 1 *De Christi adventu,* 2 *de divina Christi natura,* 3 *de Christi humanitate,* 4 *de unitate personae in Christo,* 5 *de consectariis hypostaticae unionis.*

---

[11] BERNARD. *In Cant.* serm. 15.
[12] PIUS X Enc. *Pascendi.*
[13] Matth. **16.** 16.
[14] Act. **4.** 12.
[15] *Verbum caro factum est.* Joan. **1.** 14.
[16] Philip. **2.** 7.
[17] BONAV. *Brev.* p. 4, c. 2; HAGEN *Lex.* v. *Caro.*
[18] Colos. **1.** 20.
[19] Philip. **2.** 8.
[20] Hebr. **10.** 14.
[21] 1 Tim. **3.** 16.
[22] S. THOM. in *h. l.* lec. 3.
[23] Rom. **5.** 8-9.

CAPUT I.

De J. C. adventu.

3. **Capitis divisio.** Duae quaestiones ad hoc caput pertinent: *factum* realis existentiae J. C. et ejus *relatio ad V. T.* in quo erat promissum: de prima dicemus infra, vindicantes contra haereticos et rationalistas realem divinitatem J. C.; in praesenti de altera tantum agimus; unde, — 1 praemissis quibusdam *notionibus,* atque — 2 exposita incarnationis *convenientia,* dicemus — 3 de Christi *messianitate.*

Art. 1 - Notiones praeviae.

4. **De J. C. nominibus.** Salvator mundi in Scripturis plurima habet nomina, siquidem ratione personae assumentis dicitur *Verbum* et *Filius Dei,* ratione naturae divinae *Deus* et *Dominus,* ratione naturae assumptae *Filius hominis,* ratione hypostaticae unionis *Emmanuel,* ratione officii *Jesus* et *Christus,* ratione loci in quo commoratus est *Nazaraeus,* symbolice vero solet repraesentari *pisce.* — Nomen Verbi *Modernistae* tribuunt philosophiae hellenicae habentque evolutionem verbi Philonis a Platone derivati [1], sed in tr. de *Deo Trino* probavimus esse nomen christianum quem Joan. revelatione accepit, vel ex V. T. deduxit, proprium Secundae Personae SS. Trinitatis [2]. — Nomen Filii Dei *Modernistae* cum antiquis *Socinianis* repetunt ex *opinione Judaeorum* qui hoc nomen habebant synonymum Messiae [3], sed dari nequit, siquidem Judaei, cum propria vel aliena sententia Jesum agnoscebant Messiam, non vocabant *Filium Dei,* sed *prophetam* (cum articulo excellentiae) [4], vel *regem Israël* [5], vel *Filium David* [6], vel *Christum* seu *Messiam* [7]; unde increduli, qui Christum proclamantem suam Messianitatem provocabant ad signa exhibenda [8], fatentem divinam filiationem lapi-

---

[1] Vol. 1 n. 497.

[2] Vol. 2 n. 261.

[3] « In omnibus textibus evangelicis nomen *Filii Dei* aequivalet tantum nomine *Messias,* minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium ». Decret. *Lamentabili* pr. 30.

[4] Joan. **1.** 25; **6.** 14; **8.** 40.

[5] Matth. **27.** 42; Joan. **12.** 13.

[6] Matth. **9.** 27; **12.** 23; **20.** 30; Marc. **11.** 10; **12.** 35.

[7] Joan. **4.** 25; **6.** 26, 31; **9.** 22; **10.** 24; **12.** 34.

[8] Matth. **12.** 38-9; Luc. **11.** 16; Joan. **7.** 31.

dibus obruere volebant [9], credentes vero adorabant [10]. —« Nomen DEUS (hebr. אֱלֹהִים = *Eloim*, graec. Θεός) de *pluribus simul* hominibus in speciali relatione ad Deum constitutis [11] et de angelis [12] adhibetur quidem, quia mutatio significationis propriae in analogicam ex ipsa pluralitate facile patet; numquam vero *unum aliquod subjectum* nisi verus Deus ex propria Ss. Scriptorum sententia simpliciter et sine expressa translatae significationis declaratione hoc nomine appellatur » [13]. — DOMINUS (hebr. יְהוָה graec. Κύριος) est nomen incommutabile Dei, quod nullo modo de puris creaturis dici potest [14], maxime si titulo excellentiae [15] vel veritatis [16] ornatur. — FILIUS HOMINIS derivatur ex Daniele [17], exhibetque veritatem humanae naturae et originem ex David [18], ac innuit Dei amorem erga hominem necnon Christi divinitatem [19], siquidem κατ' ἐξοχήν non potest vocari *filius hominis*, qui homo tantum sit [20]. — EMMANUEL, nomen hebraicum (עִמָּנוּאֵל) sonat *nobiscum Deus*, et quamvis Christus in terris vocatus non fuerit Emmanuel, impleta est prophetia Isaiae [21], « quia mos est Scripturae

---

[9] Cf. Joan. **5**. 18; **10**. 36; **19**. 7; Matth. **27**. 41, 43, 54.

[10] Joan. **9**. 36-38. — *NB*. An aliquando lato sensu Judaei nomen *Filii Dei* improprie sumpserint de filio adoptivo, et sic aptaverint Messiae, non conveniunt auctores : FRANZ. *De Verbo Inc.* th. 3 p. 16 sqq. negat. A. CELLINI *Il valore del titolo Figlio di Dio* concedit hebraeos ipsumque Nathanaëlem habuisse hoc nomen uti proprium Messiae ad exprimendam rationem legati Dei vel justi.

[11] Ps. **81**. 6 coll. Joan. **10**. 34-5.

[12] Ps. **8**. 6 coll. Hebr. **2**. 7; 9.

[13] FRANZELIN *De Ver. Inc.* thes. 3 p. 14. ANGELUS TESTAMENTI vocatur *Deus*, quia « singulari ratione personam Dei gerit et nomine Dei loquitur » (KNAB. in *Lexicon* HAGEN, v. *angelus*) : Ps. **44**. 7-8 non est de SALOMONE, ut rationalistae contendunt, sed de Christo (Hebr. **1**. 8-9) : MOYSES Exod. **4**. 16; 7. 1 non dicitur simpiciter *Deus*, sed *Deus Pharaonis*, h. e. *quasi Deus* relate ad illum : SAMUEL 1 Reg., **72**. 13. non a Scriptura, sed ab impia et perterrita muliere vocatur Deus.

[14] Vol. 2 n. 4.

[15] V. g. *altissimus, omnipotens, sanctus, exercituum, vivus, fortis*, etc.

[16] Ne objicias Christum dici *vitim veram*, etsi metaphorice tantum sit vitis; nam ratio *veritatis* in metaphora locum habet cum metaphora est manifesta, et res, quae in figuram sumitur, est capax imperfectionis, ut patet de vite quae labruscas aliquando facit; sed non habet locum in Deo, qui unus et essentialiter bonus est.

[17] Dan. **7**. 13.

[18] Alludit etiam ad promissionem factam protoparentibus de *semine mulieris* (Gen. **3**. 15), in quo ruina generis nostri erat reparanda.

[19] JANSSENS V p. 541.

[20] Revera ut nomen commune *filii hominis* fiat Christi proprium, necesse est quod ratio humanae filiationis speciali modo ei competat.

[21] Isai. **7**. 14; Matth. **1**. 23.

res, quae contingunt, pro nomine ponere : nihil enim aliud est illud *vocabunt Emmanuel,* quam *videbunt Deum cum hominibus* » [22]. — « JESUS Ἰησοῦς, heb יֵשׁוּעַ *(Jescua)* forma est apocopata, quae tempore posteriore invaluit pro forma pleniore atque antiquiore יְהוֹשׁוּעַ *(Jeoscua)* i. e. *Jahve est salus* » [23]. Hoc nomen primo impositum successori Moysis (Josue), qui populum introducens in terram promissam typus fuit Salvatoris, apprime convenit Christo qui, vere *Jahve,* sicut angelus Josepho enuntiavit, *salvum fecit populum suum a peccatis eorum* [24]. — CHRISTUS est nomen graecum (Χριστός) respondens hebraico מָשִׁיחַ *(Masciach = Messias)* significatque *unctum* [25]; non quasi salvator linitus fuerit materiali unctione, sed quia hypostatica unione [26] *natura humana* assumpta est sanctificata divinitate et repleta coelestibus charismatibus, Christus vero constitutus est propheta, rex et pontifex [27], quod in antiqua lege unctione obtinebatur vel saltem manifestabatur [28]. — NAZARENI nomen Christo provenit ex loco quo adolevit [29]; qua vero ratione impletate fuerint prophetiae, quae eum Nazarenum praedixerant [30], disputatur. KNAB. deducit ex Isaia [31] a quo Messias vocatur נֵצֶר *(nezer = surculus, virgultum)* [32]; *nezer* enim vere est urbs quae, aramaica terminatione א, et emphatico ת, facta est נָצְרַאת *(Nazareth);* « quare non sine providentia divina factum est, ut is, qui eo nomine erat praedictus tamquam surculus tener et virgultum, etiam adolesceret in oppido cui idem nomen virgulti erat inditum » [33]. Sym-

---

[22] CHRYS. in *Matth.* hom. 5.

[23] KNAB. in *Matth.* p. 62.

[24] Matth. **1**. 21.

[25] Dan. **9**. 25-6. Ut notat VIGOUROUX *Le Nov. Test. et les découv. mod.* p. 29, nomen hebr. factum est *Messias* productione aramaica quae vocibus addere solet *a'*. Quomodo vero Salvator mundi vere fuerit *Christus* seu unctus, videbis in Luc. **4**. 18, Act. **4**. 27; **10**. 38.

[26] Cf. PESCH *De Verb. inc.* n. 282.

[27] Cf. Hebr. **5**. 5.

[28] Lev. **8**. 12; 1 Reg. **10**. 1; **16**. 13; 3 Reg. **19**. 16.

[29] Act. **3**. 16 coll. Joan. **1**. 45-6.

[30] *Veniens habitavit in civitate Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur.* Matth. **2**. 23.

[31] Isai. **11**. 1.

[32] Non obstat Matth. dicere *per prophetas,* siquidem plurimi codices legunt in singulari; quod si plurale tenetur, adduci possunt prophetae qui Messiam vocant *germen.* Cf. Jerem. **23**. 5; **33**. 15; Zach. **3**. 8; **6**. 12; Ezech. **17**. 22-3.

[33] KNAB. in *Matth.* I p. 111 sqq. — *NB.* HIER., THEOPH., BEDA, PASCH., THOM. deducunt ex voce נָזִיר *(nasir=sanctus)* ac si Nazaraeus diceret *sanctum,* quod utique multi prophetae de Christo annuntiarunt; sed reponit KNAB. *nasir* scribi littera ז = s quae non respondet nomini civitatis Nazareth, constanter designatae littera צ = z.

bolice Christus repraesentari solet PISCE, quia graece Ἰχθύς litteris initialibus exhibet nomen, dignitatem et officium Salvatoris [34].

5. **Dogmatis christologici historia.** Doctrina de divina et humana natura Christi in unitate personae conjunctis, adumbrata in protoëvangelio [35] et exposita in prophetis [36], clarissima testimonia habuit in N. T., quemadmodum in decursu totius tractatus apparebit. Sed Christus, qui positus in signum cui contradicetur [37], in physica sua realitate et mystico suo corpore multa passus est a peccatoribus [38], etiam in dogmate, quo creditur, innumeros portarum inferarum impetus pati necesse fuit. — **Christi divinitas** *(saec. 1-3)* in ipso Ecclesiae exordio impetita a CERINTHO, contra quem Joan. suum evangelium exaravit [39], ARIANOS et SABELLIANOS magnos inimicos nacta est, sed, strenue defensa ab *Athanasio,* in *Oecum. I* (Nicaen. a. 325) solenni definitione est promulgata [40]. — **Dogma humanitatis Christi** plurimas doctrinas complectitur, scil de *veritate carnis,* de ejus *origine a B. V. M.,* de *anima intellectiva* et de *inconfusione* cum natura divina. Jamvero *VERITAS CARNIS* assumptae impugnata est *(saec. 1-2)* a GNOSTICIS [41], quibus *(saec. 3-4)* adhaeserunt MARCIONITATE [42] et MANICHAEI [43] qui, corpus derivantes a principio malo, convenire non aestimarunt Christo a principio bono procedenti: contra DOCETAS [44] veritas carnis Christi, jam vindicata ab *Ap. Joan.* qui naturam assumptam a Verbo *carnem* [45] praecipue dixit ut realitatem corporis ejus exprimeret [46], proposita est a pluribus Patribus inter quos recensentur *Ignat. M., Just. M., Iren., Tertul., Greg.* Naz., *Ambr.* et *Aug.* [47], ac tandem contra PRISCILLIANI-

---

[34] *Ἰησοῦς — Χριστός — Θεοῦ — Υἱός Σωτήρ.* P. SYXTUS *Not. Archaeol.* II p. 1 c. 3 a. 2.

[35] *Divinitas* Christi est adumbrata in victoria supra serpentem, *humanitas* in nomine filii mulieris et in contritione calcanei, *unio hypostatica* in identitate ejus qui conterit caput serpentis et qui ab eo conteritur in calcaneo.

[36] Videbimus non solam humanitatem, qua Messias passurus erat, esse annuntiatam in V. T., sed etiam divinitatem, vocatur enim *Jahve* et *Deus fortis.*

[37] Luc. **2.** 34.

[38] Hebr. **12.** 3.

[39] CORNELY *Comp. Intr. in Sacr. S.* Diss. VII § 7 n. 9.

[40] Vol. 2 n. 261.

[41] Scil. SIM. MAG., MENAND., SATURN., CERDON, BASIL. apud *Tournely* De Inc. q. 1 a. 4; *Hergenr.* I 186; *Janssens* IV 280.

[42] HERGENR. I p. 221.

[43] HERGENR. I p. 376.

[44] Qui simpliciter negabant veritatem carnis, voce graec. dicti sunt DOCETAE (a *δοκεῖν = apparere*), vel PHANTASIASTAE a *phantasia,* qua rerum imagines percipiuntur.

[45] *Multi seductores exierunt in mundum qui non confitentur J. C. venisse in carnem.* Joan. 2ª. 7; 1ª. **4.** 2; Ev. **1.** 14.

[46] KNAB. in *Joan.* p. 82.

[47] Testimonia dabimus suo loco in probatione thesium.

STAS est definita in *Conc. Tolet.* (a. 447)[48]. *ORIGINEM CARNIS* Christi de Virgine Maria negavit *(saec. 2)* APELLES dicens Verbum « in ipso descensu (de coelo) *sideream* sibi carnem et aëream contexuisse » [49] : accesserunt *(saec. 3)* CHRISTOLITI, SELEUCIANI, ERMINIANI et VALENTINUS qui blasphemavit Christum « quasi aquam per fistulam, sic per Mariam transmeasse, nihil inde accipientem vel mutuantem » [50], secuti sunt *(saec. 4)* PRISCILLIANUS, *(saec. 7 et 8)* PAULICIANI [51], *(saec. 16)* ANABAPTISTAE, QUAKERI et PSEUDOMYSTICI qui dixerunt quasi lucem sic Verbum per Mariam transiisse [52] : contra hos haereticos insurrexerunt *Tertul., Basil., Hil., Athan.* [53], illorumque doctrina, jam damnata in *Symbolis* quae Christum natum dicunt *ex* Maria [54], proscripta est in *Conc. Tol.* (a. 447) et in epist. dogm. *Leon.* I (a. 450) [55]. *INTEGRITATEM HUMANITATIS* Christi negarunt *(saec. 4)* quidam ARIANI et APOLLINARISTAE ; illi quidem omnem animam, hi intellectivam ab eo removentes [56] : impugnati sunt ab *Athan., Cyril.* Alex., *Aug.* et *Sophr.* [57], et sunt proscripti Anath. *Damasi* (a. 378), *Conc. Tol.* (447), *Later.* (649), *Cp. III* (a. 680) [58]. -- Hucusque divinitas et humanitas Christi veluti sejunctim erant consideratae, *saec. 5* quaestio de **unione hypostatica** seu de unitate personae apparuit. Jam CERINTHUS duas personas distinxerat in Christo, eum blasphemans naturalem filium Mariae et Joseph, in quem (Jesum) in baptismo descenderat Verbum, inde avolans tempore Passionis [59], idemque docuerat THEOD. Mops. hypostaticam unionem dicens praemium meritorum Jesu [60] ; horum tamen haereticorum pater habetur NESTORIUS qui a. 428 creatus episc. Cp., praedicare coepit B. V. esse *Matrem Christi* (Χριστοτόκον), sed non *Matrem Dei* (Θεοτόκον), Christum vero *Theophorum* (Deum ferentem) et non *Deum*. Socios vel patronos habuit LEPORIUM, ANASTAS. praesb., DOROTH. ep. Marc., ALEX. ep. Hier., MELET. ep. Mops., ELEUTHER. ep. Tyran. [61]. Hi « posuerunt aliam esse personam Filii Dei et filii hominis, quas ajebant sibi invicem esse unitas : primo quidem secundum

---

[48] HENGENR. II p. 125 ; DENZINGER n. 113, 293, 384 etc.

[49] TERTUL. *De praesr.* c. 51.

[50] TERTUL. *De praesr.* c. 49.

[51] HERGENR. II p. 126 ; III p. 19. *Saec. 12-3* veritatem carnis Ch. negarunt CATHARI et BOGOMILES apud Herg. IV p. 226, 262.

[52] JANSSENS IV p. 290.

[53] Cf. JANSSENS IV p. 292-3.

[54] Nam part. *ex* originem seu materiam exprimit.

[55] DENZINGER n. 113 et 132.

[56] TOURNELY *De Inc.* q. 1 a. 4 ; HERGENR. II p. 81 sqq.

[57] Testimonia dabimus suo loco.

[58] DENZINGER n. 29, 118, 219, 237.

[59] CORNELY *Int. in Sacr.* III Diss. I c. 3 q. 3 n. 64.

[60] HERGEN. II p. 212-3. Etiam *Paul. Samos.* eundem errorem docuit. *L. c.* I p. 370.

[61] HERGENR. II p. 228 sqq.

inhabitationem, inquantum scil. Verbum Dei habitavit in illo homine, sicut in templo; secundo per unitatem *affectus,* in quantum scil. voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei, tertio secundum *operationem,* prout scil. dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; quarto secundum *dignitatem* honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coëxhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei; quinto secundum *aequivocationem,* i. e. communicationem nominum, prout scil. dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei » [62]. Nestorius validissimum adversarium nactus est *Cyril.* Alex., atque damnatus in Syn. *Rom.* et *Alex.* (a. 450), solemniter proscriptus est in *Oecum III.* (Ephes. a. 431) [63], cujus definitio recepta est magno gaudio fidelium qui collucentibus facibus triumphatorum more episcopos ad proprias domus reduxerunt [64]. Nestorianismi causa revixit *(saec. 6)* sub Vigilio, sed finem habuit [65] in *Oecum. V* (Cp. II a. 553) quo proscriptus est Theodorus Mopsuest, et sunt damnata scripta Theod. Cyren. et Ibae [66]. — ADOPTIANISMUS, nestorianismi surculus, Christum dicebat filium *adoptivum* Patris, apparuit autem *saec. 8* per ELIPAND, ep. Tol. et FELIC. ep. Urgel. quos secuti sunt ASCARIC. et FIDEL.: impugnatus est a *Beat.* ab., *Ether.* ep. Osmen., *ep. Tendul., Basilisc., Alcuin.* et *Hadr.* 1, proscriptus vero est in syn. *Fori-Julii* (a. 791), *Rathis.* (a. 792), *Francof.* (a. 749) et *Rom.* (a. 799) [67]. Ex falsis notionibus personae Nestorianismus revixit etiam saeculis insequentibus, eoque peccarunt *saec. 12* LUITOLPHUS et FOLCMARUS dicentes Christum *ut hominem* esse filium adoptivum Dei [68], *saec. 19* GUNTHERIANI docentes unitatem Christi non esse *numero realem* sed *formalem* et *dynamicam,* prout Verbum dominatur personam humanam [69]; ROSMINIUS unionem Dei et hominis in Christo explicans quatenus humana voluntas a divina movetur [70]; *saec. 20* MODERNISTAE unionem hominis cum Deo tribuentes speciali *sensui* seu *conscientiae divinitatis* [71], vel *receptioni* divinae

---

[62] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 6.

[63] DENZINGER n. 73-84.

[64] HERGENR. II 232-8.

[65] NESTORIANISMUS secessit in *Arabiam, Indiam* et *Sinas.*

[66] DENZING. n. 174 sqq. — *NB.* Hoc conc. non fuit oecum. *celebratione,* nec expressa *confirmatione* (nam VIGIL. *Theod.* damnavit independenter a praedicto conc.), sed *consensu* Ecclesiae. HERGENR. II p. 355.

[67] HERGENR. III p. 171-80; JANSSENS IV p. 756 sqq.

[68] JANSSENS *l. c.* Etiam DURAND. in *III Dist.* 4 q. 1 nonnihil peccavit hac de re, dicens Christum, *in quantum homo,* esse filium adoptivum si *in quantum* reduplicat naturam; cum enim nomen filii sit essentialiter personale, reduplicatio naturae in eo locum non habet.

[69] GÜNTHER, BALTZER et KNOODT apud *Pesch* n. 68.

[70] DECR. *Post obitum* pr. 27.

[71] Cf. PIUM X Enc. *Pascendi;* MATTIUSSI in *Armonie della Fede* 10 agosto 1907.

bonitatis [72]. — Damnatione Nestorii dogma christologicum funditus explicatum videbatur, sed ex imperfecta vel falsa notione personae ipsa definitio veritatis fuit occasio novi erroris. EUTYCHES scil. *saec. 5,* confundens personam cum natura, ex unitate personae ad unitatem naturae conclusit, dicens naturam humanam incarnatione Verbi transiisse in divinam, sicut gutta aquae dulcis fit amara cum primo mari infunditur [73]: fautores habuit DIOSCOR., CHRYSAPH., ANATOL., PETR. full. et THEOD. II quorum opera in latrocinio EPHES. (a. 449) catholicos episcopos oppressit, sed impugnatus a *Flav., Theod.* [74], *P. Chysol.* et *Leon. I,* proscriptus est in syn. *Cp.* (a. 448), *Rom.* (449), *Cp.* 450 et *Oecum. IV* (Chalced. a. 451) [75]. — Monophysitarum surculi sunt Incorrupticulae et Monothelitae [76]. INCORRUPTICULAE *saec. 6* non negabant Christo humanam naturam sed, ducibus JULIANO et GAJONO atque fautoribus JUSTINIANO imp. et SENAJA Maburg. eam dicebant ante mortem impassibilem: impugnati ab *Eutyc.* ep. Cp. et *Leont.* mon. [77], eorum doctrina, damnata est in *Syn. Tol.* (a. 447), et iterum proscripta in *Conc. Lat.* (a. 649) et symb. fidei proposito Petro ep. a *Leone IX* [78]. — *Saec. 7.* MONOTHELISTAE ut Monophysitas ad Ecclesiam reducerent et pugnam voluntatum in Christo vitarent [79], aequivocatione vocis *theandricae* [80], negarunt Christo voluntatem humanam [81]: auctorem habuerunt SERGIUM ep. Cp., et fautores CYRUM Alex., PYRRUM Cp. et PAUL. Cp. necnon imper. HERACLIUM et CONSTANTEM; sed valide impugnati a *Sophr.* Hier. et *Max. M.,* proscripti sunt a RR. PP. *Sever., Joan. IV, Theod., Mart.. Agath.* et *Leon. II,* necnon Syn. *Hier.* (a. 634), *Later.*

---

[72] MURRI *L'essenza del Cristianesimo* n. 6.

[73] Eutychiani ex proprio errore graeca voce aicti sunt MONOPHYSITAE, radices autem miserunt in *Aegypto, Syria, Palestina, Armenia, Aethiopia.* — *NB.* Quomodo unione hypostatica divina et humana natura facta sit *una,* Eutyches explicare noluit: hinc Monophysitarum divisio; alii siquidem dixerunt unionem contigisse *absorptione* vel *conversione* naturae humanae, alii *confusione* vel *compositione* duarum naturarum.

[74] Post ATHAN. (vol. 2 n. 260), THEOD. propriam notiones vocum *οὐσία* et *ὑπόστασις* firmavit. HERGENR. II p. 246.

[75] HERGENR. II p. 246-57.

[76] Addi possent THEOPASCHITAE qui *Deum passum* affirmabant non sola *communicatione idiomatis,* quo sensu vera est propositio « unus de Trinitate passus est », sed *sensu obvio,* quo, negata distinctione naturae humanae a divina, huic tribuitur passio. JANSSENS IV p. 539; HERGENR. II p. 337-8.

[77] HERGENR. II p. 363-4; JANSSENS IV 539-40.

[78] DENZING. n. 113, 205, 292.

[79] HERGENR. II p. 370, 375.

[80] HERGENR. II 369. Graec. vox latine sonat *deivirilem.*

[81] A graec. *μόνον θέλημα* nomen habuerunt.

(a. 649) et conc. *Oecum VI* (Trull. a. 680) [82]. — Quaestio **de fructu redemptionis Christi,** quae in fundamento erat agitata *saec. 1-4* in quaestione de humanitate et divinitate Christi [83] et *saec. 5* in quaestione de gratia [84], clarius est proposita *saec. 16-17* cum REFORMATORES, justificationem explicantes per extrinsecam imputationem meritorum Christi, impetiti sunt internam renovationem hominis per redditum ad statum justitiae in quo Adam conditus est [85] : hi cum SOCINIANIS redemptionem coarctarunt ad nuntium aeternae vitae et ad exempla virtutum [86], et cum JANSENISTIS universalitatem redemptionis negarunt [78]. Vera doctrina de munere Redemptoris clare proposita a *S. Thoma,* defensores habuit *Scholasticos* et definita est in *Conc. Trid.* et in *proscriptione Baji, Jansenii* et *Quesnelli* [88]. — Contra **realitatem historicam Christi** ex criticismi et subjectivismi principiis *(saec. 19-20)* arma tulerunt RATIONALISTAE et MODERNISTAE cum STRAUSS Christum habentes mythum humanae perfectionis [89], vel cum RENAN [90] et LOISY [91] hominem sapientem et beneficium aliquid divini redolentem [92], qui enthusiasmo populi, transfiguratione fidei [93] et evulgatione evangelii Joan. [94] saec.

---

[82] HERGENR. II 368-85.

[83] Nam « mediator debet ea jungere et communia facere, quorum mediator est. Si vero uni haereat, ab altero autem separetur, jam non mediator sed sejunctus est ». Ut ergo Christus fieret redemptor, « ambarum naturarum oportuit illum esse participem ». CHRYS. in *Timoth.* **2.** 6.

[84] Profecto PELAGIANI negantes originale peccatum et necessitatem gratiae, negabant quoque necessitatem redemptionis, qua peccatum originale remittitur et conferuntur gratiae.

[85] Apud C. MAZZELLA *De Gratia* n. 891 sqq.

[86] Apud PESCH *De Ver. Inc.* n. 417.

[87] JANS. prop. 5.

[88] CONC. TRID. sess. 5 cn. 3; sess. 6 c. 7, PIUS V cond. *Baji,* INN. X cond. *Jans.,* CLEM. XI cond. *Quesn.*

[89] « Nel fondo la vita di G. C. non è meglio provata della esistenza di *Osiride,* di *Erme,* di *Eractea,* di *Adone,* di *Fo,* di *Budda* o del *Chrishna* degli Indiani, il cui nome molto al suo assomiglia » . STRAUSS apud *Capecel.* Vita di G. C. p. 107; WREDE apud *P. Battifol* in Revue du Clergé Franç. 15 Marc. 1910. — Realem Christi existentiam jam negaverant *saec. 12* CATHARI apud *Herg.* IV p. 226.

[90] RENAN *Histoire des Relig.* p. 641 sqq.

[91] « Jesus, inquit LOISY, ut *homo,* non ut *Deus,* ad historiam pertinet ». « Christi divinitas non est historiae evangelicae factum de quo critice probari possit realitas ». *Autour d'un petit livre,* p. 11, 130. — DUPIN *Revue d'histoire et de littérature religieuse* tom. IX a. 1906 et *Rivista storico-critica delle scienze religiose* Gen. 1907 dicit historicum Christum synopticorum, sed non Joannis.

[92] Apud PIUM X enc. *Pascendi.* ANONYM. *Il programma* p. 70 hunc divinum sensum constituit in divina missione vel unione cum spiritu Dei.

[93] Cf. Vol. 1 n. 25 et 498.

[94] Evangelium Joannis non esse Apostoli hujus nominis, eique deberi fidem de divinitate Christi, post Ju-

2-5 [95] « ita pedetentim et gradatim amplificatum est, ut demum pro Deo haberetur » [96]. Horum blasphemiae a modernis *Scholasticis* et interpretibus sunt eversae, historica veracitate Scripturarum vindicata [97], proscriptae vero sunt in definitione inspirationis Scripturae proposita in *Conc. Trid.* et *Vatic.* necnon in pluribus documentis *Leonis XIII* et *Pii X* [98]. — **Conclusio.** Qui genesim totius dogmatis christologici paucis reassumere velit, facile distinguet quinque impetus portarum infernarum : *primus* **saec. 1-4** fuit contra veritatem duarum naturarum, *secundus* **saec. 5** contra unitatem personae, *tertius* **saec. 6-7** contra corollaria hypostaticae unionis, *quartus* **saec. 16-7** contra fructum redemptionis, *quintus* **saec. 19-20** contra realem existentiam Salvatoris : primus originem duxit ex falsa *notione Dei* quem haeretici Trinum in Personis vel creatorem materiae negabant, alter ex falsa notione *personae,* tertius ex praepostera notione *unionis hypostaticae,* quartus ex errore de *peccato originali,* quintus ex dementia *evolutionismi* fidei.

ART. 2 - DE POSSIBILITATE ET CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

6. **Sensus quaestionis.** *Convenientia,* quid medium inter necessitatem et repugnantiam, dicit aptitudinem et proportionem effectus ad causam, et distinguitur in *positivam* et *negativam,* prout oppositum sapientiam et sanctitatem agentis non dedecet vel eidem contradicit. In praesenti de prima loquimur; cum enim nihil fieri possit quod divinam sapientiam vel bonitatem dedeceat, si incarnatio conveniens esset *negative,* foret quoque stricte necessaria [1] Porro positiva congruentia incarnationis considerari potest *absolute* seu in se ipsa, et *relative* seu respectu habito ad finem et ad circumstantias : omnibus his modis conveniens dicenda est incarnatio.

LIANUM apost. (*Hergenr.* II p. 24), saepe blaterant MODERISTAE (Decr. *Lamentab.* pr. 16-8; *Il Program.* p. 45-8).

[95] Primam evolutionem dogmatis Christologici tribuunt saec. 2 radicemque ejus vident in Hellenismo Philonis (Cf. TIXERONT in *L'Univ. Cathol.* 15 août 1909) : secundam tribunt saec. 3-4 et deducunt ex Platonismo cui adhaeserunt Patres (*Il Progr.* p. 10) : tertiam tribuunt saec. 5 et causam dicunt Conc. Ephes. et Chalced. (*Il Program.* p. 45 sqq.)

[96] Apud PIUM X enc. *Pascendi :* DUPIN *Revue d'histoire et de littér. relig.* t. 9, 1906; E. GIRAU in *Coenob.* gen. 1907. Vol. 1 n. 497.

[97] Vol. 1 n. 135 sqq.

[98] Vol. 1 n. 553.

[1] Vol. 2 n. 188.

7. **Errores — Veritas.** Incarnationem esse *absolute necessariam* proclamarunt quidam ex principio WICLEF quod « omnia de necessitate absoluta eveniunt » [2]; esse necessariam *consequenter ad creationem* dixerunt OPTIMISTAE cum R. LULLO, MALEBRANCHE, LEIBNITZ et ROSSI [3]; esse necessariam *post peccatum* aestimarunt R. a S. VICTORE et GÜNTHER [4]: esse e contra *impossibilem* blasphemarunt RATIONALISTAE repugnare dicentes quod Deus fiat homo [5]. **Veritas** extat in communi theologorum sententia, quae docet Deum liberrimo consilio esse incarnatum et sine incarnatione potuisse humanum genus reparare [6].

THES. 1. *Incarnatio — 1 non fuit necessaria absolute, — 2 neque ad redemptionem generis humani; — 3 Adamo vero non peccante, probabilius Verbum non esset incarnatum.*

8. **Prima pars.** *Incarnatio absolute necessaria non fuit.* Nam **Scriptura** salutem hominum tribuit voluntati *miserentis Dei* [7], cujus bonitati neque reprobatio integrae nationis repugnat [8], opus vero incarnationis repetit ex *dilectione* [9], et effusissima *caritate* [10]: atqui quod ex caritate et misericordia conceditur, non necessario fit: ergo. **Patres** cum AUG. ajunt: « Universa massa poenas debet; et si omnibus debitum damnationis judicium rederetur, non injuste procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiae nominantur » [11]. **Ratio** confirmat, est enim Deus liber in operibus *ad extra* [12], nec tenetur ea operari quae *optima sunt* [13].

9. **Secunda pars.** *Neque ad redemptionem mundi incarnatio fuit necessaria.* Nam, etsi peccatum habeat quamdam infinitatem malitiae, non est tamen simpliciter infinitum; poterat igitur repa-

---

[2] WICLEF. pr. 27 e dam. a Mart. V.

[3] Apud PESCH n. 353.

[4] Apud JANSSENS IV p. 32 et 40 sqq., qui notat AUG. et ANSEL. necessitatem redemptionis affirmasse in ordine ad *finem* creationis hominis, quem factum aestimarunt ad evacuatas daemonum sedes replendas.

[5] Negant enim quidquid rationis captum excedit.

[6] VALENTIA in 3 p. disp. 1 q. 1 p. 4: SUAREZ *De Inc.* tom. 1 disp. 4 sect. 1 n. 1 sect 2; LUGO *De Incar.* d. 2, sect. 2 n. 6.

[7] Rom. **9.** 16.

[8] Sap. **12.** 11 et sqq.

[9] Joan. **3.** 16.

[10] Rom., **5.** 8; Eph., **2.** 4 et sqq.

[11] AUG. *De nat. et grat.* c. 5.

[12] Vol. 2 n. 198.

[13] Vol. 2 n. 340.

rari, merito finito, puta si Deus creasset hominem sanctum qui pro ceteris *satisfaceret* [14]. Adde offensam non sola satisfactione, sed etiam *remissione* reparari; Deus igitur jure uteretur suo si, nulla vel exigua satisfactione exacta, poenam et culpam condonaret. Hinc ATHAN. dicit quod « poterat, etsi numquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus et maledictionem solvere » [15], atque AUG. de *stultitia* damnat eos qui putant Deum non potuisse « homines liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur de foemina et a peccatoribus omnia illa pateretur » [16]. Cum igitur PATRES dicunt Mediatorem, nisi Deus esset, afferre non posse remedium [17], explicandi sunt de *condigna* satisfactione, quae exigit mediatorem *suis bonis* offensum compensare; pura quippe creatura gratia tantum, *gratis accepta*, posset Deo satisfacere [18].

10. **Tertia pars.** *Adamo non peccante, Verbum non esset incarnatum.* Theologi plurimi [19], considerantes Christum esse caput etiam angelorum, creationis centrum [20], et praecipuam gloriam Dei quae a peccato pendere non decet, dixerunt fore ut Verbum incarnatum fuisset etiamsi homo non peccasset: sed communior [21] et verior sententia docet Adae peccatum fuisse necessariam *occasionem* incarnationis. Revera « ea quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non pos-

---

[14] In hoc casu tamen satisfactio non esset *condigna*, quia « obsequium a pura creatura Deo exhibitum, semper invenitur in *infimo* ordine reparationis respectu injuriae ». BILLOT *De Verbo Inc.* p. 30; PESCH n. 365.

[15] ATHAN. *Or.* 2 n. 68.

[16] AUG. *De agon. chr.* c. 11 n. 12. Cf. *De Trin.* XII c. 10 et 14; CYRIL. ALEX. *De incarn.* c. 18; LEO M. *De Nat.* serm. 2; GREG. M. *Moral.* XX c. 26, etc. Idem docet MAG. SENT. III dist. 20 q. 1; BONAV. et SCOT. in *h. l.*; S. THOM. 3 p. q. 1 a. 2; PESCH IV. n. 359; JANSSENS p. 35 etc.

[17] ATHAN. *De inc. Ver.*; Or 2 et 3 c. *Arian.*; BASIL. in *Ps.* **48**. 8 n. 3-4; CYRIL. Alex. *Ad Valer.* ep. 50; AMBR. in *Luc.*, 6; AUG. *Ench.* 108; LEO M. *De Nat.* Or. 1 c. 2; FULG. *Ep.* 17 c. 4 n. 9.

[18] Dicemus agentes de efficacia redemptionis.

[19] HALENS. P. 3 q. 2 m. 13; ALB. MAG. in *III Dist.* 20 a. 4: SCOT. in *III Dist.* 20 q. 3; SUAREZ *De Verbo inc.* Disp. 5 sect. 2 n. 13; PIGHIUS *De lib. arb.* VIII c. 1 a. 2 et 3 etc.

[20] Cf. Vol. 2 n. 367.

[21] S. THOM. 3 p. q. 1 a. 2; BONAV., in *III Dist.* 1 a. 2 q. 2; DE VALENT., TOLET., VASQ. *in com. S. Thom.*; PETAV. II c. 17 n. 7; PESCH n. 401; BILLOT p. 34 sqq. — JANSSENS viam mediam tentat, sed, ni fallimur, in hanc ultimam incidit, iis servatis quae dicemus de *gratia capitis*.

sunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi parentis assignetur, convenientius dicitur incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum; ita quod, peccato non existente, incarnatio non fuisset » [22]. Profecto in **V. T.** Messias est Salvator, venturus ad *conterendum caput serpentis,* ad nos liberandos a misera *servitute,* ad *finem imponendum peccato,* ad *auferendam iniquitatem* terrae [23]; in **N. T.** docemur quod *venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat* [24], *peccatores salvos facere* [25], et *eos qui sub lege erant redimere* [26]; *misit enim Deus Filium suum in mundum... ut salvetur mundus per ipsum* [27]. Nomen quoque inditum Christo [28], parabola ovis deperditae [29], antithesis inter Christum et Adam [30], aliaque multa *Salvatoris* officium revocant. **Patres** docent quod « nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere » [31]; unde « si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset » [32]. Quare etiam Ecclesia canit: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* [33] — Nec obstat Christum esse creationis centrum, primum praedestinatum et caput angelorum [34], atque ideo in ordine logico Adamo praesupponi; nam ordo praedestinationis non respondet existentiae praedestinatorum [35], et per prius respicit *meliora bona,* sive haec alia praecedere debeant sive non, sive sint futura independenter a praevisa causa vel occasione, sive sint futura consequenter tantum ad illas [36].

---

[22] S. THOM. 3 p. q. 1 a. 3.

[23] Gen. **15**. 1; Isai. **41**. 1 sqq.; Dan. **9**. 24: Zach. **3**. 9, etc.

[24] Luc. **19**. 10.

[25] 1 Tim. **1**. 15.

[26] Gal. **4**. 4.

[27] Joan. **3**. 17. Cf. Matth. **9**. 13; Marc. **2**. 17; Rom. **3**. 25, etc.

[28] *Vocabis nomen eius* Jesum; *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Matth. **1**. 21; Luc. **1**. 31.

[29] Matth. **18**. 12-3.

[30] Rom. **5**. 12 sqq.

[31] AUG. *serm.* 175 n. 1; ATHAN. c. *Arian.* or. 2 n. 54; GREG. Naz. *Or.* 30 n. 2: AMBR. *De incar.* c. 6 n. 56: CHRYS. in *Gen.* hom. 3 n. 4.

[32] IREN. *Adv. Haer.* V c. 14; ATHAN. *C. Arian.* or. 3; CYRIL. Alex *De Trin.* dial. 5; LEO M. *De Pent.* serm. 3.

[33] LITUR. cant. *Exultet.*

[34] Cf. Vol. 2 n. 367.

[35] Cf. Vol. 2 n. 244.

[36] Nonne filius sanctus praesupponit aliquando patrem peccatorem? Et tamen *sanctus* per prius et magis directe cadit in praedestinatonis ordinem.

THES. 2. *Incarnatio — 1 non solum possibilis est, sed convenientissima, — 2 tum absolute considerata, — 3 cum in ordine ad redemptionem hominis.*

11. **Prima pars.** *Incarnatio possibilis est.* Haec possibilitas non est demostranda *positive,* siquidem est magnum mysterium [37], principibus hujus saeculi absconditum [38] quod, nisi revelatum fuisset, penitus ignoraremus; sed *negative* solvendo difficultates adversariorum. Porro RATIONALISTIS, qui *ex* mysterii *incomprehensibilitate* ejus repugnantiam deducunt, opponenda est infinita sapientia et virtus Dei [39] atque clamandum cum AUG.: « Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse: in talibus enim rebus tota ratio facti est potentia facientis » [40]. Aliis vero qui *ex immutabilitate* vel *majestate* Dei inconvenientiam vel repugnantiam deducere volunt, dicendum cum BILLOT quod « incarnatio nullam importat mutationem aut minorationem divinitatis, sed solum ineffabilem quamdam elevationem creaturae, per quam novo modo manifestatur infinita Dei virtus et bonitas, juxta illud quod canitur in Missa: *Quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit* » [41].

12. **Secunda pars.** *Incarnatio absolute inspecta conveniens est.* Nam, ut loquitur S. THOM., « unicuique rei conveniens est illud quod competit ei secundum rationem propriae naturae... Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis, ut patet per Dionysium [42]. Unde quidquid pertinet ad rationem boni conveniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni ut se aliis communicet... Unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se creaturae communicet, quod quidem maxime fit per hoc quod naturam creatam sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima et carne [43], sicut dicit AUG. » [44]. Profecto Deus communicatur rebus *creatione* qua fit eis praesens [45], *sanctificatione* qua Spiritus S. animam inhabitat [46], *glorificatione* qua sine specie beati Deum vident [47]; sed talis unio est *accidentalis* tantum: in incarnatione

---

[37] 1 Tim. 3. 16.
[38] 1 Corinth. 2. 8.
[39] Vol. 1 n. 71 sqq.
[40] AUG. ep. *ad Volus* c. 2 n. 8.
[41] BILLOT p. 19; JANSSENS p. 28 sqq.; H. MAZZELLA p. 129 sqq.
[42] DIONYS. *De Div. nom.* c. 1 lec. 1 et 3.
[43] AUG. *De Trin.* XIII c. 17.
[44] S. THOM. 3 p. q. 1 a. 1.
[45] Cf. Vol. 2 n. 118 sqq.
[46] Dicemus in tr. de *Gratia.*
[47] Dicemus in tr. de *Novissimis.*

Deus etiam *substantialiter* conjungitur suae creaturae [48]. — Accedit quod incarnatione *a)* melius manifestatur *gloria* Dei, in quam omnia ordinantur [49], siquidem cultus praestitus a Deo-homine infinite Deum honorat : *b)* apparet Dei *sapientia* cujus est infimis mediis suprema assequi, ac proinde servo tyrannum vincere, et creatura hominem deificare : *c)* agnoscitur Dei *potentia,* quae in hoc mysterio extrema, et quae pugnantia videbantur, sociavit : *d)* innotescit infinita *caritas* Dei, qua sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.

13. **Tertia pars.** *Pro redemptione hominis convenientissima fuit incarnatio.* Haec convenientia apparet *ex parte Dei* qui incarnatione tantum condignam satisfactionem de peccato habere potest, et *ex parte hominis* qui incarnatione ad exercitium virtutum promovetur. Sane poterat Deus aliter salvare mundum, sed esset opus solius *misericordiae,* qua gratuito condonaret culpam vel largiretur gratiam, opus ultra meritum ad praemium reputando [50]; incarnatione *homo* pro homine, satisfecit, nec penitus gratuito, siquidem Christo gratia debebatur, et meritum operum ejus in immensum peccatorum demeritum superavit. — Si ad hominem ipsum animum convertimus, *a)* notum est post Adae peccatum sensum praeire rationi [51] et consequenter homines, qui ad invisibilia visibilibus manuducuntur, Deum contrectabilem quaerere : atqui incarnatione homo *mediatorem* ad Deum obtinuit, Deumque *visibilem* nactus est : ergo incarnatione *fidei obstacula* removentur. *b)* Per peccatum homo irreparabilitate culpae in desperationem inducebatur, ut diceret cum Caino : *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* [52] : atqui incarnatione redemptionis pretium conspiciens, cum Apostolo clamat : *Qui Filio suo non pepercit (Deus), sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* [53] ergo incarnatione erigitur *spes. c)* Incarnatione elucet caritas Dei, qui *misit Filium suum ut salvetur mundus per ipsum* [54] et caritas Christi, qui *dilexit nos et tradidit*

---

[48] Cum homo sit *parvus mundus,* siquidem *anima* convenit angelis et *corpore* visibilibus naturis (Vol. 2 n. 442), *incarnatione* Deus quodammodo conjunctus est universae creaturae.

[49] Prov. **16**. 4; Isai. **43**. 7.

[50] Supra n. 8.

[51] Vol. 2. n 389 et 555.

[52] Gen. **4**. 13.

[53] Rom. **8**. 32.

[54] Joan. **3**. 17.

semetipsum pro nobis [55] : atqui amor ad amorem excitat [56] : ergo incarnatione movemur ad *amorem* Dei quo peccata solvuntur [57]. *d)* Tandem concupiscentiae fomiti peccatum laxavit habenas : atqui per incarnationem Christus sacramentorum gratia, evangelica praedicatione et virtutum omnium exemplis effreni concupiscentiae remedium attulit : ergo incarnatione homo juvatur in exercitio *virtutum*.

THES. 3. *Conveniens fuit incarnatio etiam — 1 quoad personam assumentem et — 2 naturam assumptam, sicut etiam — 3 quoad modum et — 4 circumstantias.*

14. **Pars prima.** *Conveniens fuit ut Verbum prae alia divina Persona incarnaretur.* Profecto, quaelibet divina Persona poterat incarnari, imo tota Trinitas unam humanitatem assumere [58] siquidem in ratione assumentis non est relationis oppositio [59] ; specialis tamen convenientia apparet pro incarnatione Verbi. Primo quidem quia « artifex per formam artis conceptam qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat » [60], Verbum autem est idea archetypa qua omnia facta sunt [61] : secundo quia oportuit ut *Filius hominis* vocaretur in terris qui *Filius Patris* dicebatur in coelis : tertio quia incarnatione *filii Dei* nominamur et sumus [62], decet autem eum filios Dei habere *fratres* [63], qui est Filius Dei naturalis, secundum illud ATHAN. : « Dei Verbum per se ipsum advenit, quo ut imago Patris homo ad imaginem factum reficere posset... Nemo igitur alius ad hoc negotium fuit idoneus nisi sola imago Patris » [64].

15. **Secunda pars.** *Conveniens etiam fuit Verbum uniri naturae humanae.* Profecto non debuit Deus substantialiter uniri *creaturae irrationali* quae non potuisset Deo conjungi operatione

---

[55] Ephes. **4**. 2.

[56] « Quae major est causa, adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?... Si *amare* pigeat, saltem *redamare* non pigeat ». AUG. *De catech. rudibus* c. 4, n. 7; LEO M. Serm. 24 *De nat. Dom.* 4 c. 1.

[57] 1 Joan. **2**. 15.

[58] S. THOM. 3 p. q. 3 a. 4 et 5.

[59] Cf. Vol. 2 n. 306.

[60] S. THOM. 3 p. q. 3 a. 8.

[61] Joan. **1**. 3.

[62] 1 Joan. **3**. 1.

[63] *Primogenitus in multis fratribus.* Rom. **8**. 29.

[64] ATHAN. *De inc. Verb.* n. 13; AUG. *De Trin.* II c. 5 n. 7; IV c. 20 n. 27; LEO M. *Serm.* 64 c. 2; GENNAD. *De Dogm. Eccl.* c. 2; FULG. *De fide ad Petr.* c. 2 n. 7.

immediatae visionis et, libertatis expers, inepta fuisset ad incarnationis finem; sed nec congruum fuit uniri naturae *angelicae*. Cum enim gratia naturam perficiat eique medeatur, illa natura erat assumenda quae, a sanctitate deficiens, resurgendi servaverat aptitudinem: atqui talis non erat angelica, siquidem angeli boni in gratia permanserant, et mali, in culpa obdurati, resurgere non poterant [65]: ergo « quia creaturae irrationali deest congruitas *dignitatis;* naturae autem angelicae deest congruitas *necessitatis,* relinquitur quod sola natura humana sit assumptibilis » [66].

16. **Tertia pars.** A) *Convenienter carnem suam non aliunde, sed materna traxit ex carne.* « *Primo* quidem quia hoc videtur ad *justitiam* pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit; et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. *Secundo* quia hoc etiam pertinet ad majorem *hominis dignitatem,* dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. *Tertio* quia per hoc *Dei potentia* magis ostenditur, dum de natura corrupta et infima assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum » [67]. B) *Convenienter de foemina natus est.* Sic enim *a)* veritas carnis humanae manifestius apparuit: *b)* incarnationis et nativitatis mysterium magis absconditum est: *c)* uterque sexus (Christus et Maria) ad reparationis opus est vocatus, qui ruinae (Adam et Eva) et generationi (pater et mater) cooperatur: et *d)* tandem « per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanae. Nam primus homo productus est ex limo terrae sine viro et foemina; Eva vero producta est ex viro sine foemina; alii homines nascuntur ex viro et foemina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex foemina sine viro » [68]. C) *Conveniens fuit ut de virgine nasceretur.* « *Primo* propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. *Secundo,* hoc fuit conveniens dignitati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei, verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur. *Tertio* hoc fuit conveniens dignitati

---

[65] Cf. Vol. 2 n. 521.
[66] S. THOM. 3 p. q. 4 a. 1.
[67] S. THOM. 3 p. q. 4 a. 6.
[68] S. THOM. 3 p. q. 31 a. 4; *Comp. Theol.* c. 217.

humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur... Non poterat autem esse quod in natura jam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati... [69].*Quarto* propter ipsum finem incarnationis Christi, quae ad hoc fuit ut homines renascerentur in filios Dei *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* [70], i. e. ex ipsa Dei virtute, cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi » [71].

17. **Quarta pars.** *Convenienter etiam incarnatio medio tempore contigit inter initium et finem mundi.* Convenientia dilationis apparet : *a) ex parte hominis salvandi* qui saeculorum cursu sui morbi didicit gravitatem et suae virtutis infirmitatem [72], ut merito cum filio prodigo exclamare debuerit : *Hic fame pereo, surgam et ibo ad patrem meum* [73] : *b)* ex parte *Verbi incarnandi* cui per prophetas paranda erat via et adventus praenuntiandus : *c)* ex parte ipsius *incarnationis* cujus perfectioni et veritati debebatur ut imperfectio et umbra praecederent : *d)* ex parte *finis,* ne diuturnitate temporis Redemptoris memoria oblivioni daretur et caritas extingueretur [74]. — Non debuit tamen ad ultimos dies differri *a)* quia incarnatio est *causa sanctificationis,* et causam suum effectum adaequate sequi absonum est : *b)* quia *nimia dilatione* fides et Redemptoris expectatio poterant amitti et *c)* quia « conveniens fuit ad manifestationem divinae virtutis, quae pluribus modis homines salvavit, non solum per fidem *futuri,* sed etiam per fidem *praesentis* et *praeteriti* » [75].

ART. 3 - DE CHRISTI MESSIANITATE.

18. **Quaestionis ratio.** MESSIAS juxta etymologiam dicit *unctum,* unde revocat divinitatem Verbi qua humanitas Christi est uncta seu

---

[69] Haec intelligenda sunt de *debito;* nam quoad factum B. V. M. est concepta ex concubitu et tamen immaculata extitit.

[70] Joan. **1**. 13.

[71] S. THOM. 3 p. q. 28 a. 1.

[72] *Epist. ad Diogn.* c. 9; HERGENR. I p. 83; Vol. 1 n. 168.

[73] Luc. **15**. 17-8. Similia dicuntur de lege mosaica, *quae propter transgressionem posita est.* Gal. **3**. 19 apud CORNELY in *h. l.,* p. 503.

[74] S. THOM. 3 p. q. 1 a. 5.

[75] S. THOM. 3 p. q. 1 a. 6.

consecrata [1]; nomine tamen assumpto a Daniele [2], post Judaeos [3] et Samaritanos [4] communiter sumitur de promisso Redemptore; unde quaestio de messianitate est quaestio de implemento omnium prophetiarum in uno Ch. J.

19. **De expectatione Messiae.** Tempore Christi magnum virum a Judaeis esse expectatum, qui sortes Israël erigeret, historia sacra et prophana docet. Revera MAGI quaerunt ubi natus est rex Judaeorum [5], HERODES a sacerdotibus inquirit ubi *Christus (Messias)* nasceretur [6], SIMEON promissionem acceperat *non visurum se mortem nisi videret Christum Domini* [7]. De eadem expectatione loquuntur ZACHARIAS [8], B. V. [9], APOSTOLI [10], EVANGELISTAE [11], LEGATI ad Joannem [12] ejusque DISCIPULI [13], MULIER Samaritana [14], POPULUS Israël [15], ipsique ETHNICI [16]. Neque haec expectatio radicabatur in fama alicujus noti viri, vel in conditione sociali, sed in promissione Dei, qui per prophetas praedixerat. Profecto HERODES a *sacerdotibus,* Scripturarum custodibus, quaerit de loco nativitatis ejus, et ipsi quid per *prophetam* fuerit annuntiatum respondent [17]: ZACHARIAS celebrat redemptionem Israël sicut locutus erat Deus *per os prophetarum ejus* [18]: PHILIPPUS enarrat Nathanaël se invenisse *quem scripsit Moyses in Lege et prophetae* [19]: Judae-

---

[1] Proxima ratio nominis est officium *regis, sacerdotis* et *prophetae,* qui unctione consecrabantur; sed Christus factus est sacerdos hypostatica unione, qua Pater ei dixit: *Filius meus es tu.* Hebr. **5**. 5.

[2] Dan. **9**. 25-6. Forte Daniel מָשִׁיחַ *(Masciach)* non sumpsit tamquam nomen proprium redemptoris, sed tamquam commune ut exprimeret sacerdotem qui sit *dux* seu princeps; quia tamen nullus futurus erat unctus rex usque ad redemptorem, vox transiit in nomen personale, aramaica lingua productum in *Messiam.*

[3] Joan. **1**. 41.

[4] Joan. **4**. 25.

[5] Matth. **2**. 2. Magi stellam agnoverunt signum Messiae ex notitia de proximo ejus adventu. KNAB. in *Matth.* I p. 83.

[6] Matth. **2**. 4.

[7] Luc. **2**. 26 sqq.

[8] Luc. **1**. 68 sqq.

[9] Luc. **1**. 54 sqq.

[10] Joan. **1**. 41; Matth. **16**. 16.

[11] Generatim cum in Christo ea impleta ostendunt, quae de Messia erant praedicta.

[12] Joan. **1**. 19-20.

[13] Matth. **11**. 3.

[14] Joan. **4**. 25.

[15] Joan. **6**. 14; **7**. 31. Quod Judaei tempore Christi expectarent Messiam, patet ex Act. **5**. 34-7 et ex oraculis *Sybil., Henoch, Ps. Salom.* eo tempore ortis. Cf. HERGENR. I p. 81.

[16] Cf. JOS. FLAV. *De bello jud.,* VI c. 5 n. 4; VIRG. *Egl.* 4; TACIT. *Hist.* V. 13; SVETON. *Hist.* V c. 13: CIC. *De div.* II: PESCH n. 214; TANQUEREY *De relig. chr.* n. 232-3; KNAB. in *Matth.* I p. 83.

[17] Matth. **2**. 5.

[18] Luc. **1**. 70.

[19] Joan. **1**. 45.

orum TURBAE [20] et EVANGELISTAE provocant ad ea, quae de Christo erant praedicta [21] : PETRUS ad portam templi loquitur de his quae Deus *praenuntiavit per os omnium prophetarum* [22], et in sua epistola virtutem et praesentiam D. N. J. C. ostendit ex firmiore *prophetico sermone* [23] : CHRISTUS quoque testatur de complemento prophetiarum [24] quas invocat pro veritate suae missionis [25] et interpretatur discipulis euntibus in Emmaus [26]. Nec aliter opinantur JUDAEI RECENTIORES, siquidem in *Thalmud* dicitur quod « omnes prophetae non vaticinati sunt, nisi de diebus Messiae » [27], et *Maimonides* ait « mendacem facere totam Scripturam, qui negat articulum de adventum Messiae » [28].

20. **Prophetiarum divisio.** Prophetiae ad Christum spectantes cum VIGOUROUX in tres periodos possunt distribui. **Prima periodus** absolvitur Pentateucho qui in ipso exordio [29] refert post Adae peccatum Deum *prima vice* promisisse filium mulieris in calcaneo quidem a serpente damnum passurum [30], sed illius caput contriturum, salvando proinde eos qui peccato erant obnoxii [31] : *secunda* promissio extat in benedictione NOË [32] qui, alios filios subjiciendo Sem, liberatorem ex semitica stirpe oriturum manifestavit : *tertia* pluries facta est Abraham in cujus semine benedicendae erant omnes gentes[33] : *quarta* data est Isaac [34] : *quinta Jacob* [35] qui moriens praedicit tempus adventus Messiae [36] : *sexta* est Balaam [37] et *septima* Moysis [38]. **Altera periodus** decurrit a Samuel ad David complectens *a)* canticum Annae [39], *b)* promissionem factam Davidi [40], *c)* psalmos Messianicos annuntiantes Christi gloriam [41] et despectum [42], atque *d)* propagationem notitiae Redemptoris apud ethni-

---

[20] Joan. **12**. 34.

[21] Matth. **1**. 22; **2**. 5; 15; 23 etc.

[22] Act. **3**. 13.

[23] 2 Petr. **1**. 19.

[24] Matth. **11**. 13; **21**. 42 : **22**. 41; Luc., **4**. 18; **18**. 31; **22**. 37; Joan. **19**. 28.

[25] Joan. **5**. 39 et sqq.

[26] Luc. **24**. 25-7. — *NB*. Ex his colliges quaestionem de Messianitate Christi non esse mere scientificam, sed *dogmaticam*, nec, salva fide, posse impugnari.

[27] TRACT. SANHEDRIM cap. *Chelek*.

[28] Apud *Tanquerey* n. 236; PESCH I n. 214.

[29] Gen. **3**. 15.

[30] Scil. in parte inferiori seu in natura humana moriturus erat.

[31] Cf. Vol. 2 n. 544 in nota.

[32] Gen. **9**. 18-27.

[33] Gen. **12**. 1-7; **13**. 14-7; **17**. 1-9; **18**. 17-9; **22**. 16-8.

[34] Gen. **26**. 1-5.

[35] Gen. **38**. 10-15.

[36] Gen. **49**. 8-12.

[37] Num. **24**. 17.

[38] Deut. **18**. 15-19.

[39] 1 Reg. **2**. 10.

[40] 2 Reg. 7. 8-16; 3 Reg. **9**. 5 sqq.

[41] Ps. **2**. **44**. **71**. **109**.

[42] Ps. **15**. **21**. **39**. **40**. **68**. *NB*. Psalmi messianici non omnes pari ratione referuntur ad Messiam; sed alii sensu *litterali*, alii sensu *typico*, alii per *excellentiam* eo quod in solo Christo plenum sensum assequuntur (CORNELY *Comp. Intr.* Disp. 5 § 10 n. 2). Por-

cos [43]. **Tertia periodus** incipit a *saec* 9 a. C. cum, instante babylonica captivitate, plurimae prophetiae datae sunt de illa ferrea servitute deque subsequenti liberatione quae, cum esset typus Messiae, occasionem praebuit ut, Deo revelante, prophetae plurima de Christo annuntiarent [44]: comprehendit *Joël, Jonam, Amos, Osee, Michaeam, Isaiam, Nahum, Jeremiam, Baruch, Ezechiel, Daniel, Aggaeum, Zachariam, Malachiam* [45], quibus accedunt testimonia quaedam *Machabaeorum* et *Sapientiae* [46].

21. **Errores — Veritas.** Christi messianitatem ignorant JUDAEI, negantes prophetias in eo esse completas, atque RATIONALISTAE qui, prophetias repugnare aestimantes, vel simpliciter respuunt nexum inter V. et N. T. (KUENEN), vel effata prophetica eventui postponunt (RENAN), vel explicare conantur de naturali desiderio reparatoris (SABATIER), de progressu ideae messianicae (DRAMESTETER), et de quodam praevisionis sensu [47] apud semitas vividiori quam apud nos [48]. Accedunt MODERNISTAE rationalistarum blasphemias suas facientes [49] et dicentes Christum neque conscientiam suae dignitatis messianicae semper habuisse [50]. **Veritas** continetur in CONC. VAT. definiente revelationem probari prophetiis [51]; hae enim praecipue Christum regnumque ejus respiciunt.

THES. 4. *De futuro redemptore — 1 plurimae datae sunt prophetiae — 2 quae, in Christo completae, — 3 eum vere esse Messiam ostendunt.*

22. **Prima pars.** *Plurimae prophetiae de futuro redemptore extant in V. T.* Profecto ad veritatem prophetiae tria requiruntur: *a)* quod tempore eventum praecesserit, *b)* quod forma absoluta

---

ro psalmi messianici sunt **2**, **8**, **15**, **18**, **21**, **34**, **39**, **40**, **47**, **48**, **61**, **77**, **96**, **101**, **109**, **116**, **117**, quibus alii ex usu Ecclesiae addi possunt. Cf. VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 657.

[43] Job. **19**. 21-27.

[44] CORNELY *l. c.* Diss. 6 § 2 n. 2.

[45] Joel. **2**. 28-32; Jonas **2**. sqq.; Amos **9**. 11; Osee **1-3**; **6**; **11**. 1; **13**; Michea **4-5**; Isai. **2-4**; **5**; **6**; **7-9**; **28**; **29**. 14; **33**. 18; **35**; **40**. 1-11; **42**. 1-9; **49-50**; **51**; **52-53**; **54-55**; **59**; **60**; **61**; **63**. 1-6; **65-66**; Nahum **1**. 15; Jerem. **2**. 21; **3**. 1-19; **23**. 1-8; **31**; **33**; Baruch. **3**. 24-38; Ezech. **11**. 14-21; **17**. 22-24; **34**. 20-31; **36**. 16-32; **37**. Dan. **2**; **7**; **9**. 21-27; Agg. **2**. 1-10; Zach. **2**. 8-13; **3**; **6**. 9-15; **9**; **12-14**; Malach. **1**. 10-11; **3**. 1-6; **4**. 5-6.

[46] 2 Mach. **4**. 46; **14**. 41; Sap. **2**. 20. Cf. VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 902; TANQUEREY n. 240 et sqq.

[47] M. NICOLAS, RESILLE, etc.

[48] Cf. TANQUEREY *l. c.* n. 231; H. MAZZELLA n. 14.

[49] Cf. MATTIUSSI in *Armonie della Fede*. Luglio 1907; PIUM X Enc. *Pascendi* circa med.

[50] DECR. *Lamentabili* pr. 35.

[51] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3.

sit prolata, et *c)* quod naturaliter praevideri nequiverit : atqui haec contingunt in prophetiis messianicis V. T. : ergo. PROB. MIN. *a)* Et primo quidem quod attinet ad prophetiarum *tempus,* manifestum est eas Christum antecessisse, nam, supposita authentia Scripturae, de qua agit Propaedeutica Biblica [52], constat primum vaticinium J. Ch. tempora praecesisse 4000 ann., Abraham vero, Isaac et Jacob circ. 2000, Moysis 1500, David et Salomon 1000, Isaiae, Jerem. etc. 800, Dan. 500 et Mach. 150; praescindendo autem a singulorum librorum authentia, constat prophetias messianicas saltem 200 an. praecedere Christum, siquidem *saec.* 3 a. C. facta est versio LXX, quae illas, continet [53]. *b) Non dubitanter* locutos esse prophetas, inde patet quod eventus inconditionate praedicunt [54], testantes futurorum notitiam se accepisse ab angelis [55] et a Deo [56] qui etiam juramento promissionem firmaverat [57]. *c)* Prophetias non esse incertas sed omnino *definitas,* patet ex simplici earum lectione; licet enim *typicae* dependenter tantum ab alia revelatione innotescant [58], *obscurae* ex aliarum tantum complexu intelligantur [59], et de *quibusdam* ante eventum judicari non possit an sensu metaphorico vel proprio sint prolatae [60]; plurimae tamen quae respiciunt *nativitatis* locum, tempus et modum, *vitae* conditionem et opera, *praedicationis* obstacula et fructus, *passionis* circumstantias, *mortem* et *resurrectionem* tam manifestae sunt, ut nullam patiantur instantiam.

23. **Secunda pars.** *Prophetiae messianicae in Christo sunt completae.* Sufficit legere Evangelia, ut statim thesis veritas appareat; Evangelistae enim et maxime Matth. ex professo ostendere voluerunt Jesum esse Messiam et Ecclesiam ab eo fundatam Regnum Messianicum a prophetis promissum [61]. Ut quaedam per ordinem promamus, Christus **natus est** *Bethlehem* ut Michaeas

---

[52] Cf. de singulis A. CELLINI *Proped.* I; de Pentateucho et Psal. etiam COM. BIBL. decr. 26 Jul. 1906; 1 Mai 1910.

[53] Cf. CORNELY *Introd.* Diss. 2, § 2; TANQUEREY n. 237.

[54] Cf. Gen. **49.** 1.

[55] Cf. Dan **9.** 21 sqq.

[56] Gen. **12.** 1 sqq. etc.; 2 Reg. **2.** 12 sqq.

[57] Cf. Ps. **109.** 4.

[58] Cf. CORNELY *l. c.* Diss. II § 3, n. 3.

[59] Quae scil. intelligenda sint de persona *physica,* quae de *mystico* ejus corpore, quae de *terrestri* humilitate, quae de gloria *coelesti,* etc.

[60] CORNELY *l. c.* Diss. V § 10 n. 2; VI § 3 n. 4.

[61] CORNELY Diss. VII § 2 n. 11.

dixerat [62], *de David* ut auctor Regum enuntiaverat [63], *ex Virgine* ut Isaias prophetaverat [64], *sub fine principatus Juda* ut Jacob praedixerat [65], *praecursorem* habuit quem Isaias et Malach. annuntiaverant [66], nec defuerunt in ejus nativitate apparitio stellae [67] et Magorum adoratio [68], de quibus dixerant Balaam et Psalmista. Juxta prophetarum vaticinia Christus **vixit** in *paupertate* [69], praedicavit Judaeis *pauperibus* [70] et *obstinatis* [71] *in finibus Zabulon et Nephthalim* [72], *miracula innumera* patravit [73], triplex munus *prophetae* [74], *sacerdotis* [75] et *regis* [76] exercuit, et *Ecclesiam* fundavit insignitam characteribus unitatis, catholicitatis et sanctitatis [77]. Neque ea quae de **passione** et **morte** Messiae erant praedicta sunt evacuata in Christo, nam ab amico traditus [78], triginta argenteis venumdatus [79], a Judaeis et gentibus damnatus [80], vestibusque exutus [81], crucifixus est [82], et a praetereuntibus subsannatus [83], felle et aceto potatus [84], magna voce clamans [85], paulo ante destructionem Hierusalem expiravit [86] et post tres dies resurrexit [87].

24. **Tertia pars.** *Ex Prophetiarum complemento Christum esse Messiam manifeste apparet.* Licet enim casu, quae unius sunt, alteri aliquando convenire queant, impossibile omnino est ut plu-

---

[62] Mich. **5**. 2 coll. Matth. **2**. 6; Joan. **8**. 42.

[63] 2 Reg. **7**. 8-16 coll. Matth. **1**. 16 sqq.

[64] Isai. **7**. 14 coll. Luc. **1**. 27-34.

[65] Gen. **49**. 10; Agg. **2**. 8-10 coll. Joan. **20**. 15.

[66] Isai. **40**. 3; Malach. **3**. 1; **4**. 5 coll. Matth. **3**. 3; Luc. **1**. 5-25; 67-80.

[67] Num. **24**. 17 coll. Matth. **2**. 2 sqq.

[68] Ps. **71**. 10 sqq.; Isai. **60**. 3-6 coll. Matth. **2**. 1 sqq.

[69] Zach. **9**. 9 coll. Matth. **8**. 20.

[70] Isai. **61**. 1 coll. Luc. **4**. 18 sqq.

[71] Isai. **11**. 12; Ezech. **37** coll. Joan. **6**. 61 sqq.; **12**. 37-8.

[72] Isai. **9**. 1 coll. Matth. **4**. 13 sqq.

[73] Isai. **53**. 4 coll. Matth. **8**. 17.

[74] Deut. **18**. 15; Isai. **35**. 5-6; **42**. 1 sqq.; **55**. 3-4; **61**. 1 coll. sermone montano, datis prophetiis, zelo gloriae Dei.

[75] Ps. **109**. 4; Malach. **1**. 11; Gen. **14**. 18 coll. Hebr. **5-10** et sacrificio missae ac crucis.

[76] 2 Reg. **7**. 13; Ps. **109**; Isai. **9**. 6-7; Dan. **7**. 14-27 coll. Matth. **27**. 11; Luc. **1**. 32.

[77] Cf. Vol. n. 219 sqq.

[78] Ps. **40**. 10; **68**. 9 coll. Matth. **26**. 14-15; Joan. **13**. 18, 26, 30.

[79] Zach. **11**. 12-3 coll. Matth. **26**. 15; **27**. 3-10.

[80] Ps. **2**. 2 coll. Luc. **23**. 6-24.

[81] Ps. **21**. 19 coll. Joan. **19**. 23 sqq.

[82] Psal. **21**. 18; Matth. **22**. 38.

[83] Ps. **21**. 7; **34**. 14 coll. Matth. **27**. 39 et Marc. **15**. 29.

[84] Ps. **68**. 22 coll. Matth. **27**. 34.

[85] Ps. **17**. 7 coll. Matth. **27**. 32-50.

[86] Dan. **9**. 26-7 coll. Matth. **24**. 1-2.

[87] Joan. **2**. 1; Dan. **9**. 26 coll. Matth. **28**. 6-9.

rimae eaedemque vitae circumstantiae in diversis contingant : atqui omnes Messiae characteres *proprii* et *multi,* qui praedicti sunt, in Christo complementum habuerunt : ergo. Revera ut mathematica computatione arguit PESCH, posito quod casuale implementum individuae circumstantiae habeat 1 probabilitatis gradum contra 10; duae circumstantiae habebunt 1 contra 100, tres 1 contra 1000; viginti 1 contra 100. 000. 000. 000. 000. 000 i. e. absolutam improbabilitatem [88] : atqui prophetiae messianicae multo plures sunt [89] : ergo. Adde divinam providentiam, ad quam spectat praecavere ne in errorem circa fidem et mores inducamur [90], et *tota certitudine* fateberis : *quia hic* (Christus) *est vere propheta, qui venturus est in mundum* [91].

THES. 5. *Christum esse Messiam invicte probatur implemento prophetiarum quae tempus adventus ejus signabant* [92], *maxime vero* — 1 *vaticinio Jacob et* — 2 *Danielis.*

25. **Prima pars.** *Christum esse Messiam constat ex vaticinio Jacob.* **Vaticinium.** *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, ipse erit expectatio gentium* [93]. **Argum.** In hoc testimonio agitur de Messia, cujus adventus designatur tempus : atqui tempus signatum impletum est tempore Christi, ergo Christus est Messias. CONSEQUENS patet, nam, Christo excepto, nemo est qui Messiae nomen meruerit, vel qua talis sit agnitus. — PROB. MAJ. Et primo quidem AGI DE MESSIA, constat *a) ex textu;* nam *expectatio gentium* vel *cui obedientia*

---

[88] PESCH I n. 244.

[89] VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 903 enumerat 54 prophetias impletas in Christo, et quidem ita, ut unaqueque a pluribus prophetis testimonium acceperit.

[90] Cf. Vol. 1 n. 110.

[91] Joan. **6**. 14.

[92] Prophetiae, quae tempus Messiae designant, sunt tres Gen., **49**. 10; Dan. **9**. 24 sqq.; Agg. **2**. 7-10 : in prima tempus adumbratur, in altera determinatur, in tertia in proximo adesse monstratur. Dicemus de prima et altera; quoad tertiam adnotasse sufficiat Aggaeum, revocata commotione mundi temporalis et spiritualis (quae Christi adventu incepta, finali judicio complebitur), atque enuntiata gentium conversione, loqui de *gloria* secundi templi, quae futura erat major quam primi. Porro gloria Domini est ejus sensibilis praesentia (CORNELY in *Rom.* p. 475) quae in secundo templo completa est, cum Christus domum *suam* est ingressus. Cf. KNAB. in *Proph. Min.* p. 187 sqq.

[93] Gen. **49**. 10. Hebraice legitur : *Non recedet virga ex Juda et legislator de inter pedes ejus usque quo veniat Siloh et ei obedientia populorum.*

populorum ille profecto est in quo benedicendae sunt omnes gentes [94]; שִׁילֹה *(Sciloh)* vero vel melius שֵׁלֹה *(Scelloh)* [95], ex proprietate vocis [96] et ex communi interpretum ac versionum sententia [97] est Messias. *b)* Accedit *contextus,* nam Judas describitur quasi princeps inter fratres suos, tam securus in principatu, ut nullius timeat hostis incursus (8-9) : haec autem in Messia complenda erant, qui Judae principatum ad fastigium perducere et aeterna gloria firmare debuerat. *c) Ex benedictionum excellentia.* Nam bona promissa Abrahae erant multitudo filiorum et paternitas Messiae, cui connectebatur regnum aeternum [98] : atqui in benedictionibus Jacob duae prae ceteris distinguuntur, Judae scil. et Joseph; quia ergo Joseph accepit multitudinem filiorum (v. 22-6), profecto Judae (v. 8-11) servata est paternitas Messiae. *d) Ex benedictionum ordine.* Nam paternitas Messiae erat omnium benedictionum *prima,* quae naturali veluti jure ad primogenitum spectabat, nisi divina dispositione [99] vel in culpae punitionem ad alios transiret : atqui primogenitus *Ruben* prior in donis et major in imperio (v. 3), ob

---

[94] Gen. **22**. 10; Isai. **42**. 4.

[95] Rationalistae ex lectione massoretica legunt *Siluntem* (civitatem Israel); sed haec sententia recipi nequit, *a)* quia ante quam populus perveniret Silo, Juda nullum principatum habuit, et *b)* quia lectio massoretica manifeste est falsa, siquidem 38 codices apud DE ROSSI legunt *kerì,* שֵׁלֹה *(scelloh)* et omnes versiones ignorant litteram י *(iod).* — *NB.* Etiam Vulgata supponit tres litteras tantum et derivatur a שָׁלֵחַ *(schaluach).*

[96] Quid etmologice dicat שֵׁלֹה *(scelloh)* disputatur. THALMUD *(Senhedrin,* f. 15) habet quasi nomen proprium Messiae : HUM. (in *h. l.*) dicit nomen proprium filii Judae *(Selah)* assumpti pro typo Messiae : communius et verius retinetur vox contracta ex אֲשֶׁר־לוֹ *(ascer - lo)* cujus exemplum extat in cantico Debborae (Jud. **5**. 7; **6**. 17), et interpretatur *qui ei,* seu *cujus est* vel *ad quem pertinet* jure proprio sceptrum et legislator. — *NB.* Huic sensui consonat EZECH. **21**. 27, qui loquens de ablatione regni a Sedecia ejusque reservatione pro Messia, ait (hebr.) : *hoc* (regnum) *non est, donec venit cujus est* (אֲשֶׁר־לוֹ) *jus* (debitum) *et dabo illud.* Cf. KNAB. in *Ezech.* p. 216.

[97] THALMUD *l. c.* habet : « Quod nomen est Messiae? qui ex schola Rabbi Sila sunt dixerunt nomen ejus esse *Sciloh,* quoniam scriptum est : *donec veniat Sciloh* ». MISDRASCH BERESCIT RABBA : *usque dum venit Sciloh, hic est rex Messias.* CODEX SAM. : *Donec veniat Pacificus* (alludit ad Isai., **9**. 6). Versio GRAECA, SYR., ONCH., ARAB., apud *Walton* retinent sensum relativum *cujus est;* quem habent etiam TARGUM. et *Pseu.* JONAT., AQUILA, SYM., VET. ITAL. et PP. GRAECI apud CORLUY, *Spicil.* in *vat. Jacob.*

[98] Gen. **22**. 17-8.

[99] Gen. **25**. 23.

incestum [100] quasi aqua effusus, benedictione privatus est, quod contigit etiam *Simeoni* et *Levi* ob crudelitatem qua Sichemitas proditione occiderant [101] : ergo paternitas Messiae devenit ad quartumgenitum, scil. ad *Judam* [102] qui, etsi peccaverat cum Thamar, ignoraverat tamen quod esset nurus sua, et poenitentiam egerat [103]. Cum itaque Jacob Judae non maledixerit, imo nobilissime eum allocutus sit, dicendum est paternitatem Messiae ipsi contulisse. Signasse vero pro hac paternitate TEMPUS ADVENTUS patet ex part. *donec;* hebraicum enim כִּי *(chi),* quando conjungitur praep. עַד *(ad),* non praefert notionem temporis indefiniti *(quamdiu),* sed denotat terminum ad quem duratio porrigitur [104], sicut omnes versiones apprime intellexerunt, unanimiter vertentes *donec, usque ad.* Porro terminus signatus a Jacob pro adventu Messiae fuit cessatio *supremi dominii* [105]; licet enim שֵׁבֶט *(scebet = sceptrum)* et מְחֹקֵק *(mechoqeq = dux* vel melius *legislator),* non dicantur exclusive de regia auctoritate [106], exprimunt tamen supremam potestatem judicialem et legiferam [107]. Jacob itaque annuntiavit Judam aliquando adepturum supremam potestatem eamque aliqua forma [108] servaturum usque ad adventum Messiae. — MINOR. Tempus prae-

---

[100] Gen. **35**. 22.

[101] Gen. **34**. 13-30.

[102] Gen. **29**. 35.

[103] Gen. **38**. 13 sqq.

[104] Cf. LEOPOL. *Lex.;* DEL. apud *Hum.* in *h. l.*

[105] Qua ratione adventu Messiae cessare debuerat supremum hoc dominium dupliciter exponitur. Quidam tenent sensum *negativum* dicentes Messiam futurum *postquam* cessaverit imperium Judae, alii praeferunt *positivum* autumantes Messiam de manu Judae illud suscepturum, ut in aeternum servet. Haec secunda explicatio, conformis est significationi vocis (Gen. **28**, 15; Deut **7**. 24; 2 Reg. **6**. 23; Dan. **1**. 21; Matth. **1**. 25), et melius respondet perennitati dominii Judae (Gen. **22**. 17; 2 Reg. **7**. 12 sqq.) a Jacob praefiguratae in tranquillitate leaenae quae, capta praeda, cum leone secura quiescit (vers. 9). PESCH n. 224; HUM. in *h. l.;* KNAB. in *Ezech* **21**. p. 213; CORNELY *Intr in Sacr. Scrip.* vol. 2 pars I p. 251.

[106] HUM. p. 594.

[107] שֵׁבֶט *(scebet)* sensu proprio dicit *baculum,* metaphorice vero *sceptrum* et *tribum;* in nostro autem testimonio de tribu non posse intelligi, recte contra PATRIZI ostendit HUM. *l. c.* — מְחֹקֵק *(mechoqeq)* est participium poël verbi חָקַק *(chaqaq),* quod litteraliter sonat *decernes* et dicebatur de antiquo *sceptro longo* quod adinstar baculi *inter pedes* (Vulg. *de femore*) terram attingebat. HUM., *l. c.,* p. 595. Vide monumenta apud VIGOUROUX *Man. bibl.* n. 357, 516, 926.

[108] Democratica, aristocratica, vel regia.

dictum IMPLETUM EST TEMPORE CHRISTI. Revera supremam potestatem in Israël accepit Judas per David eamque forma regia servavit usque ad Sedeciam qui a Nabuchodonosor in captivitatem ductus, privatus est regno. Tunc tamen sceptrum non est simpliciter ablatum de Juda; quia Judaei in captivitate servarunt *jus gladii*, ut patet ex historia Susannae [109], et quia captivitas fuit interregnum ab Isaia et Jeremia praedictum, quod cessavit sub Cyro, quando Judaei redierunt Jerusalem ut templum aedificarent, vel certe sub Artaxerse, qui a. 7 regni sui misit Esdram, ut « constitueret judices et praesides, ut judicarent omni populo... (et judicium ferrent) sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiae ejus vel certe in carcerem » [110]. Nec obstat post captivitatem principatum fuisse penes Machabaeos de tribu Levi; hos enim elegerat populus [111], ex fere solis judaeis constitutus. Adde tempore Hasmonaeorum supremam potestatem non fuisse apud principem, sed in synedrio, « quod erat tribunal majus judicans tribum, sceptrum, pseudoprophetam et sacerdotem magnum et res praecipuas religionis » [112]; synedrium autem tempore captivitatis vel Esdrae ortum [113], non cessavit sub Hasmonaeis neque sub Herode, sed « ablatum est, ut Thalmudistae referunt, quadraginta annis ante eversionem templi secundi » [114], quando principes populi, ne vexarentur ab Archelao, auxilium Caesaris Augusti impetrarunt, et ab ipso obtinuerunt ut Judaea quasi romana provincia per procuratorem regeretur [115]. Sic contigit ut suprema potestas exularet a Judaeis qui, adstante Christo rege [116], responderunt Pilato : *Nobis non licet interficere quemquam* [117].

---

[109] Cf. Dan. **13**. 5 sqq.; KNAB. *in Dan.* p. 328; CORNELY *Intr. in Sacr. Script.* vol. 2 pars 2 p. 506.

[110] 1 Esdr. **7**. 25-6.

[111] 1 Mach. **14**. 41.

[112] LAMY *App. Bibl.* I c. 12.

[113] Cf. CORNELY *Introd. in Sacr. Script.* I p. 252.

[114] LAMY *l. c.*

[115] Jos. FLAV. *De Bell. Jud.* II, c. 6.

[116] Matth. **27**. 11.

[117] Joan. **18**. 31 — *NB.* Qui amplitudinem vocis *sceptri* ignorant, et pro *legislatore* cum Vulgata legunt *ducem;* complementum prophetiae aliter concipiunt. — Notant imprimis durationem *sceptri moraliter* et non *mathematice* esse intelligendam. Quod ergo tempore captivitatis reges abfuerint et quibusdam annis ante Christi adventum cessaverint, non obstat quominus dicamus reges Judae usque ad Messiam permansisse. Item, ut reges in Juda fuerint, sufficit quod *legitime* in ea regnaverint; sicut regnum Italiae maneret si reges ex alia familia a Sabauda legitime succederent. Jamvero tribus Juda ad dignitatem regni per-

26. **Secunda pars.** Christum esse Messiam evincitur ex prophetia Danielis. **Vaticinium.** Jacob tempus Messiae ex politica conditione signaverat; Daniel annos enumeravit. *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.*

---

venit in David post quem reges fuerunt usque ad exilium Babylonicum. Tempore captivitatis *sceptri* exercitium in suspenso mansit, post redditum vero reassumptum est, sed paullatim ut humani eventus patiuntur. Initio fuerunt *duces* populi Zorobabel et Nehemias (ex Juda) : dein principatus transiit in summos pontifices a Jaddone ad Menelaum (cf. CORNELY, *Comp. Introd. in Sacr. Scr.,* app. XI), quo tempore Antiochus Epiphanes IV rex Syriae Judaeos crudeliter est persecutus. Sed statim surrexit Mathatias qui libertatem populo suo coepit vindicare cum filiis suis, inter quos « Simon a populi dux et summus sacerdos in aeternum constitutus est. Hujus filius Joannes Hircanus (a. 135) potestatem Judaeorum amplificavit. Sub Aristobulo I, Hircani I filio, principatus porro in regiam dignitatem excrevit. Judaeorum felicitatem turbarunt mox discordiae, quae exortae sunt in familia Hasmonaeorum. Sub Jannaeo (105-78) Aristobuli successore, bellum civile excitatum est, in quo Pharisaei cum populo, Sadducaei vero cum optimatibus se conjunxerunt. Post Jannaeum regnabat ejus vidua Alexandra Salome (78-70), sub qua filiorum Hircani II et Aristobuli II de principatu et sacerdotio orta sunt mutua certamina, ad quae dirimenda evocatus Pompejus summus exercituum Romanorum dux a. 63 a. Ch. Hierosolimam expugnavit, litemque sic diremit, ut Aristobulus victus Romam mitteretur, Hircanus vero regnaret, sed in fide et clientela populi Romani. Verum filii Aristobuli bellum civile contra Hircanum continuarunt et priorem statum rerum restituere conati sunt, sed praepotentia Romanorum vincula servitutis adstringente, subdolus amicus, nomine Antipater, Idumeae dux, qua procurator Romanus in Hircani familiam se intrusit ad eam praecipitandam. Tunc Herodes Antipatris filius, regnum Judaeae a senatu et populo Romano petiit accepitque Antonii Octavianique favore (an. 40 a. Ch.). Hunc primum Judaei *externum regem* coeperunt habere, etenim, jam adventante Christo, necesse erat secundum vaticinia prophetarum (Gen., **49**, 10), suis eos ducibus privari ». VASCOTTI, *Hist. Eccl.,* Introd. § 22; HERGENR. I p. 69-70.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio [118]. **Testimonium est messianicum.** Nam BONA Danieli promissa ipsamet sunt, quae ex aliis prophetis novimus esse bona messianica. Revera *consummatio praevaricationis* (apostasiae) est cessatio idololatriae, de qua locuti sunt Isaias et Osee [119]: *finis peccati* est imminutio delictorum per abundantiam gratiae auferentem cor lapideum, de qua dixerunt Jerem., Ezech. et Sophon. [120]: *deletio iniquitatis* est condigna peccatorum satisfactio, de qua agunt Isai., Jer., Os. et Mich. [121]: *adductio justitiae* est institutio sanctitatis, de qua plenae sunt Scripturae [122]: *impletio prophetiarum* futura erat per Messiam, quia de illo scriptum erat in capite libri [123], unde « T. V. totum est de Deo incarnando; T. N. de Deo incarnato » [124]: *unctio Sancti sanctorum,* ut ostendit KNABEN., est fundatio Ecclesiae [125], quae ut *tabernaculum* Dei est annuntiata ab Isaia, quasi *solium Domini* a Jerem., uti *sanctuarium perpetuum* ab Ezech., et ut *templum* a Zach [126]. Accedit NOMEN, nam 69 hebdomades enumerandae erant usque ad *Christum ducem* [127]; atqui *Unctus* (Christus) *dux* [128] est Messias, quia tale erat vulgatum ejus nomen [129], et quia post captivitatem Babylonis solus Messias ungendus erat rex: ergo. Revera Deus, qui Davidi juraverat regnum *aeternum* [130], eo privaverat filios Jechoniae [131] quousque is *veniret cujus est judicium (jus) et tradet ei* [132]; *Unctus dux* itaque futurus post aedificationem urbis, erat tenerus ille ramus qui de vertice ramorum (regum Judae) abscissus, plantatus erat in monte sublimi Israël, ut erumperet in germen et faceret fructum et esset in ce-

---

[118] Dan. **9**. 24-7.

[119] Isai. **40**. 2; **60**. 18; Osee **2**. 17.

[120] Jerem. **3**. 17; Ezech. **11**. 18; **36**. 26; Soph. **3**. 13.

[121] Isai. **53**. 4-12; Jerem. **31**. 34; Osee **14**. 5; Mich. **7**. 18-9.

[122] Ps. **71**; **96**; **101**; Isai. **12**. 1-6; **65**. 17; Jerem. **23**. 5; Ezech. **11**. 20; Osee **2**. 19; Soph. **3**. 13-20.

[123] Ps. **39**. 8.

[124] BONAV. *in princ Sac. Script.*

[125] KNAB. in *Dan.* p. 238 sqq.

[126] Isai. **4**. 5-6; Jerem **3**. 17; Ezech. **37**. 26-7; Zach. **6**. 13.

[127] Textus dicit 62; sed hae non sunt enumerandae ab exitu sermonis, sed ab urbe aedificata, scil. ab hedomada 7. Cf. KNAB. *l. c.* p. 254.

[128] מָשִׁיחַ נָגִיד = *Maschiach naghid.*

[129] Cf. supra n. 4, infra 52.

[130] 2 Reg. **7** 13-6.

[131] Jerem. **32**. 30.

[132] Ezech. **21**. 27.

drum magnam [133], scil. Messias. **Signat tempus.** Rationalistae ut argumentum enervarent tribuerunt hebdomadibus Danielis generícum et indefinitum sensum; sed *a)* obstat VERBUM, siquidem *abbreviatae sunt,* hebraice est *decisae* [134], neque pars indeterminata potest a totalitate abscindi: *b)* obstat PARTICULA עַד *(ad = usque ad, donec)* quae terminum praefinitum signat; *c)* obstat NUMERI accurata divisio [135]: *d)* obstat communis INTERPRETATIO, siquidem ex hac praecipue prophetia tempore Christi expectabatur Messias: *e)* obstat CONTEXTUS quia Daniel cogitaverat de *tempore* captivitatis, unde etiam de tempore loqui debuit angelus, qui voluit Da nielem *attente considerare* ejus mensuram et distributionem *(scito et animadverte).* **Tempus praefinitum advenit.** Imprimis nota hebdomades non esse *dierum* vel *epocharum,* quae tempore signato pro aedificatione urbis et destructione Jerusalem nullatenus responderent [136], sed *annorum,* de quibus cogitaverat Daniel cum angeli revelationem accepit [137], quique apud hebraeos nonnumquam hebdomadibus numerantur [138]. Porro verum equidem est de initio temporis signati a Daniel pro fundatione regni messianiaci dubitari, eo quod *exitum sermonis ut iterum aedificetur Jerusalem* nonnulli interpretes ponant an. 1 Darii, dum alii constituunt an. 7 vel 20 Artaxerxis [139], sed dubitari nequit tempore Christi praedictos 483 annos effluxisse [140], multo magis quod tunc ab omnibus Judaeis

---

[133] Ezech. **17**. 22-3.

[134] SYR. vertit *morabuntur,* h. e. paullatim transient: ARAB. *praefinitae sunt.*

[135] Hebdomades 70 ita dividuntur:
$70 = 7 + 62 + ½ + ½$;
scil. 7 pro aedificatione urbis, 62 ab urbe aedificata ad Messiam, 1 pro elargitione bonorum messianicorum, et quidem ita ut in dimidio illius hebd. occidatur Christus.

[136] Quomodo $7 \times 7 = 49$ an. aedificata sit Jerusalem, constat ex diligentia aedificantium collata cum inimicorum insidiis et pugna. Cf. 2 Esdrae, **4**. 16 et sqq.

[137] Dan. **9**. 2.

[138] Lev. **25**. 2; 4; 8. Praecise quia in cap. **9**. hebdomades computabantur *annis,* cap. **10** Daniel loquens de heb. *dierum,* novam temporis mensuram exprimit dicens: *trium hebdomadarum diebus* (**10**. 2).

[139] KNAB. in *Dan.* p. 248 sqq. ex 1 Esd. **7**. 18; 25; probat contigisse a. 7 Artax.

[140] Si paucis annis *ante* vel *post* Christum alius apparuisset qui characteres messianicos praetulisset, quaestio de anno *edicti ut aedificetur Hierusalem* esset proprie theologica, necessario definienda ut verus a falso Messia distingueretur; sed circa tempus Christi praeter ipsum nullus fuit qui vel a longe nomen Messiae meruerit: quaestio ergo de vero anno supradicti edicti, manet potius historica, ab historicis definienda.

expectabatur Messias [141] et aliae circumstantiae sunt impletae. Revera ultima hebdomada incipit a baptismate Christi [142] qui, celebratis quatuor pascha [143], media hebdomada [144], occisus est a suo populo gladio linguae [145]; ita ut mors non *ei* fuerit nocumenti [146], resurrexit enim, sed occisoribus suis qui a populo cum duce venturo [147] exterminati sunt cum civitate et templo, cujus vastatio apparuit *decreta* h. e. firma, quia numquam Judaei illud reaedificare potuerunt [148].

27. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES** [149]. **Objic. 1.** Prophetiarum ordo ostendit *evolutionem* ideae messianicae; nam ante David Messias est *benefactor* populi, sub regibus fit *gentium victor* et *populorum dominatur,* qui universas nationes hebraeis subjicit, cum vero, adversa fortuna, regnum Israël sine spe reditus perit, gloria Messiae *in morali et spirituali ordine* constituitur: quae ergo dicuntur prophetiae nihil aliud sunt quam desideria glorificationis patriae, omnibus populis communia [150]. **Resp.** Ultro damus processu temporis ideam Messiae melius innotuisse; frustra enim Deus multiplicasset revelationes, si jam ab exordio omnia, quae ad Redemptorem spectabant, manifestasset: sicut in natura non sunt saltus, ita Providentia, quae *disponit omnia suaviter* [151], paullatim viam Domino per prophetas paravit. Sed negamus vati-

---

[141] Supra n. 19.

[142] Ultima hebd. non signatur pro *adventu* Messiae, sed pro *complemento* prophetiarum, scil. pro fundatione Ecclesiae: quae *concepta* praedicationibus et institutionibus Christi, *nata* est ejus morte et ad *perfectam vitam* socialem adolevit primis annis, cum, Spiritu S. accepto, celeriter diffusa est in Jerusalem et in tota Judaea.

[143] Cf. CORNELY *Comp. Intr.* Diss. VII § 7 n. 11; § 9 n. 2.

[144] H. e. an. 3 ½ vitae publicae. Morte Christi defecit hostia et sacrificium (v. 27), quia praesente sacrificio crucis, cessavit ratio typica veterum sacrificiorum. Quare, Christo expirato, *velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum* (Matth. **27**. 51), et apertum est sanctum sanctorum, quod in V. L. uni summo sacerdoti reservabatur (Hebr. **9**. 7), ut manifestaretur « veterem legem cultumque abrogari et veram expiationem esse peractam ». KNAB. *in Matth.* II p. 536.

[145] AUG. in *Ps.* **63**. 4.

[146] Ubi Vulgata legit *non erit ejus populus, qui eum negaturus est,* hebr. habet *et non ei;* scil. mors ei non dominabitur.

[147] Scil. a populo romano, duce Tito Vespasiani filio.

[148] Qui plura cupit adeat KNAB. in *h. l.,* vel opus meum de *Messianitate et divinitate Christi* p. 24 sqq.

[149] Difficultates, quae genericam rationem prophetiae attingunt, solvimus Vol. 1 n. 125 sqq.

[150] STRAUSS, RENAN, DRAMEST., SABATIER. Cf. BALLER. in *Scuola* febr. 1904.

[151] Sap. **8**. 1.

cinia Messiae conditioni hebraerorum deberi et processu temporis ideam Messiae esse mutatam. In ipsa PRIMA promissione Messias *ordinis spiritualis* apparet, effertur enim tamquam debellator peccati : in benedictionibus ABRAHAE bona temporalia distinguuntur a paternitate Messiae : DAVID *in Ps.* **109** loquitur de gloria ab humilitate non sejuncta [152] : ISAIAS simul celebrat gloriam et humilitatem servi Domini, cujus regni *spiritualitatem* tam habet perspectam, ut inde nomen Dei desumens Jahve nuncupet *Sanctum Israël* [153] : DANIEL bona messianica enarrans, loquitur, ut vidimus, de donis spiritualibus [154]. Falso ergo dicitur ideam regni spiritualis apparuisse post captivitatem babylonicam : potius ex tunc notio popularis facta est de regno materiali, ita ut Christus et Apostoli Scripturis et miraculis non *evolvere,* sed *reformare* debuerint ideam messianicam propriae gentis [155].

28. **Objic. 2.** Plura scripta sunt de gloria Messiae, quae in humili fabro crucifixo non sunt impleta : ergo. **Resp.** Messias qui contritus in calcaneo, de serpente erat triumphaturus [156], profecto humilia simul et gloriosa in se complere debebat, sicut annuntiarant videntes Israël contraria de Christo prophetantes [157] : atqui contraria diverso tantum sub respectu eidem convenire possunt : quia ergo humiliationes, passiones et mors metaphorico sensu non possunt accipi [158], metaphorice vel de futura vita intelligenda erunt quae gloriam Messiae redolent, vel explicanda de Ecclesia quae in V. quoque T. quasi mysticum corpus Messiae exhibetur [159]. Ceterum non solum in coelo Christi persona est exaltata, sed et in terris, ubi gloriae humiliationes excipiebant. Revera « ex igneta

---

[152] *De torrente in via bibet,* scil. « pertulit aerumnas nostrae mortalitatis ». BELLARM. in *h. l.*

[153] Isai. **1.** 4; **10.** 20; **12.** 6; **17.** 7, etc.

[154] Supra n. 26.

[155] Cf. CORNELY *Comp. Int. in S. Script.* Diss. VII § 2 n. 11.

[156] Gen. **3.** 15.

[157] Ad Messiam spectat sceptrum Judae et obedientia omnium populorum (Gen. **49.** 10). Ipse reliquias populi Judaeorum congregabit (Isai. **49.** 6), et gentes faciet Abrahae filios (Isai. *l. c.* 18-23). Factus est principatus super humerum ejus... multiplicabitur ejus imperium... super solium David et super regnum ejus sedebit (Isai. **9.** 6-7). Datae sunt (ei) gentes haereditatem suam; reget eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringet eos (Ps. **2.** 8-9). Sedebit a dextris Dei (Ps. **109.** 1). — Sed gloria haec et potentia non erit futura sine abjectione et infirmitate. Ipse enim est vir dolorum et sciens infirmitatem (Isai. **53.** 3). De torrente in via bibet (Ps. **109.** 7). Factus vermis et non homo : opprobrium hominum et abjectio plebis (Ps. **21.** 7). Non est ei species neque decor... : languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit... ; sicut ovis ad occisionem ducetur... : cum sceleratis reputatus est (Isai. **53.** 2-12).

[158] Humiliationes et mors sensu morali sunt defectus et peccata, quae manifeste repugnant perfectioni Messiae.

[159] Gen. **13.** 15; **17.** 8 coll. Gal. **3.** 16 apud CORNELY *ad Gal.* p. 494 sqq.

Virgine nascitur, sed stella magos ex oriente ad eum adducit; in Aegyptum fugere cogitur, sed Pater eum Filium suum declarat; a diabolo tentatur, sed angeli ei ministrant » [160]; ejus praedicatio sacerdotum contradictiones nanciscitur, sed praelucet sublimitate doctrinae, super qua stupebant omnes [161], ita ut adversarii respondere nescientes [162], nec interrogare ausi fuerint [163]; spernitur ut filius fabri de Nazareth, sed prodigia cujuscumque ordinis [164] summum prophetam ostendunt [165]; in passione majestatem occultat, sed splendoribus resurrectionis refulget. Quinimo in humiliationibus ipsis apparet gloria, siquidem purus homo nec tot mala, nec tam diutius, nec tam patienter sustinere poterat; unde Centurio, spectata morte Christi et ea quae fiebant, exclamavit: *vere hic homo Filius Dei erat* [166].

29. **Objic. 3.** Apud prophetas Messias dicitur *Emmanuel, Princeps pacis, Dominator, Oriens,* etc., quibus nominibus numquam vocatus est Christus. **Resp.** Nomen rem exprimit: ad prophetiae ergo implementum non requiritur quod illis verbis Christus sit vocatus, sed quod verborum sensum in se expresserit: fuit autem Christus *Emmanuel* quia Deus-homo, *Princeps pacis* quia pacem attulit hominibus bonae voluntatis, *Dominator* quia rex regum et dominus dominantium, *Oriens* quia, justitiae sol, lucem supernae gratiae attulit mundo.

30. **Objic. 4.** Messias Judaeis promissus praeprimis a suis tribulibus agnoscendus erat: atqui Judaei Christum non agnoverunt ergo. **Resp.** Messias Judaeis futurus erat in salutem si peccatis et infidelitate suam reprobationem non consummassent. *Jure naturali* nihil debebatur Judaeis; non enim qui filii sunt *carnis,* hi filii Dei; sed qui sunt filii *promissionis* aestimantur in semine [167]: *promissio* autem de futuro Redemptore facta quidem fuerat populo Israël, sed non pro ipso solo, sed pro toto mundo; in ipso enim benedicendae erant omnes gentes [168]. Ceterum Christus per se [169] et Apostolos [170], Judaeorum conversionem specialius promovit: et si ab eis non est agnitus, ideo est, ut probat MATTH., quod « suis ipsi praejudiciis et peccatis a salute messianica sese excluserunt » [171], secundum illud ISAI.: *Extendi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* [172].

---

[160] CORNELY *Intr.* Diss. VII § 2, n. 11.

[161] Luc. **2.** 47; Matth. **13.** 54; **22.** 33.

[162] Luc. **14.** 6.

[163] Matth. **22.** 46.

[164] Cf. Vol. 1 n. 146.

[165] Matth. **21.** 11, 46; Luc. **7.** 16; Joan., **4.** 19; **6.** 14; **9.** 17.

[166] Marc. **15.** 39.

[167] Rom. **9.** 8.

[168] Gen. **12.** 3; Ps. **71.** 10 sqq.; Isai. **42.** 6; **49.** 6; Amos. **9.** 11-12; Mich. **4.** 1-2; Malach. **1.** 11.

[169] Matth. **1.** 21; **15.** 24.

[170] Act. **1.** 8; **13.** 46. Apostoli priores 12 an. in conversione Judaeorum insumerunt.

[171] CORNELY *Comp. Introd. in S. Script.* Diss. VII § 2 n. 11.

[172] Isai. **65.** 2. Cf. **6.** 9.

CAPUT II.

De Christi divinitate.

31. **Quaestionis ratio.** Duplex datur inimicorum classis: altera HAERETICORUM qui, admissa divina auctoritate Scripturae et Traditionis, negant inde divinitatem Christi probari; altera RATIONALISTARUM qui Scripturam et Traditionem non agnoscunt; ut igitur divinitas Christi, quae fundamentum est totius revelationis, manifeste appareat, dicemus: — 1 *De Christi divinitate contra haereticos* et — 2 *contra rationalistas.*

ART. 1 — DE DIVINITATE CHRISTI CONTRA HAERETICOS.

32. **Errores — Veritas.** Christi divinitatem impugnarunt saec. 1 EBIONITAE, saec. 2 GNOSTICI, saec. 3 P. SAMOSATENUS et PHOTINUS, saec. 4 ARIANI et SEMIARIANI, saec. 16 SOCINIANI [1]. « Nostris temporibus PROTESTANTES magis magisque fidem Christi Dei abjiciunt et Jesum personam humanam fuisse docent » [2], eisque adhaerent MODERNISTAE blasphemantes notionem divinitatis Christi paullatim excrevisse in Ecclesia [3]. **Veritas,** jam proposita in SYMBOLIS, est definita in conc. NICAEN. et EPHES., et iterum confirmata in CHALCED. ubi legimus: « Unum eumdemque confiteri Filium et dominum nostrum J. C. constanter omnes docemus, eumdemque *perfectum in deitate,* et eumdem perfectum in huma nitate, *Deum vere* et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore, *consubstantialem Patri* secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem ». Accedit damnatio prop.: « Divinitas J. C. ex Evangeliis non probatur: sed est dogma quod conscientia christiana ex notione Messiae deduxit » [4].

---

[1] Supra n. 5.
[2] PESCH IV n. 6.
[3] Cf. Vol. 1 n. 497.
[4] DECR. *Lament. pr.* 27; *pr.* 31.

THES. 6. *Christi divinitas constat* — 1 *ex nomine Dei et* — 2 *Filii Dei,* — 3 *ex attributis et* — 4 *operationibus divinis, atque* — 5 *ex divino cultu.*

33. **Prima pars.** *In Scripturis sensu proprio nomen Dei tribuitur Christo.* Nam in **V. T.** DAVID Messiam, quem esse Christum supra evincimus, vocat Dominum suum dicens: *Dixit Dominus Domino meo*[5]: atqui Dominus, de quo loquitur David, esse verum Deum, constat ex proprietate vocis[6], ex interpretatione Christi a Judaeis recepta[7], et ex contextu, siquidem praeter Deum verum nullus fuit *Dominus David* et *ante luciferum genitus*[8]: ergo. Etiam ISAIAS divinitatem Messiae aperte docet cum futurum Emmanuelem[9] dicit אֵל גִּבּוֹר *(El gibbor = Deus fortis)*[10]; adjectivum enim *fortis* proprietatem vocis signat, et in Scripturis opponitur falsis diis[11], atque effertur de *Jahve*[12]. MALACHIAS cum Psalmista et Isaia nomen ipsum incommutabile *Jahve* praedicant de Messia[13]. In **N. T.** Christus saepe vocatur *Deus*[14] et *Do-*

---

[5] Ps. **109**. 1: Psalmum esse messianicum patet: *a) ex interpretatione Christi* (Matth. **22**. 42) et Pauli (Hebr. **5**. 6), *b) ex consensu Judaeorum* qui non refutarunt interpretationem Domini, licet eis fuerit contraria, et *c) ex contextu,* siquidem agitur de Domino David qui in terris patitur (vv. 7-8), et inter homines tenet regnum (v. 1-3) et sacerdotium (v. 5).

[6] Supra n. 4.

[7] *Si David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum.* Matth. **22**. 45-6.

[8] De lectione hebr. ejusque sensu valde disputant critici, sed notio aeternalis originis ex Deo retinenda est. Cf. BELLAR. in *h. l.*

[9] Isai. 7. 14. *Emmanuel* est *Nobiscum Deus. NB.* Fatemur ex hoc solo nomine divinitas Christi non evinci, quia plura nomina ex Deo composita sunt *symbolica,* divinam tantum promissionem exhibentia; si tamen attenditur solemnitas, qua nomen est impositum, et considerantur sequentia testimonia (**8**. 8; **9**. 6-7; **11**. 1 sqq.), quibus propheta divinitatem Messiae apprime exprimit, dicendum est, *Emmanuel* non esse nomen symbolicum sed *proprium* significans divinam et humanam naturam Redemptoris.

[10] Isai. **9**. 6.

[11] Ps. **113**.

[12] Deut. **10**. 17; Isai. **10**. 20-1; Jer. **32**. 18; Nehem. **10**. 32. Cf. KNAB. in *Isai.* I 226 sqq.

[13] JAHVE in Ps. **96**. est *rex terrae* afferens lucem justo (Cf. Hebr. **1**. 6); in Ps. **97**. est *salutare Dei* qui venit judicare terram: in Isaia est *ille* cui praecursor *parat viam* (Cf. Matth. **2**. 3; Marc. **1**. 3; Luc. **3**. 4; Joan. **1**. 23); apud Malach. est expectatus dominator et *angelus testamenti,* qui mittet angelum *suum* ante faciem suam et veniet ad templum *suum.*

[14] Matth. **1**. 33; Joan. **13**. 31; **20**. 28; Tit. **2**. 13; **3**. 4; Hebr. **1**. 9; 2 Petr. **1**. 1.

minus [15]; haec autem nomina proprie esse sumenda, non solum constat ex usu Scripturae, quae nomen Dei in singulari et forma absoluta semper adhibet de vero Deo [16], sed etiam ex contextu, siquidem nomen *Dei* de Christo dicitur in eodem testimonio, in quo effertur de Patre [17], ut appareat eorum aequalitas [18]. Accedunt testimonia in quibus nomini Dei apponuntur adjectiva et praedicata quae soli vero Deo conveniunt, ut cum JOAN. Christum dicit *Deum verum* [19], et PAUL. *super omnia Deum benedictum* [20]; *veritas* enim

---

[15] Matth. **14**. 28; **22**. 41-5; Luc. **6**. 46; Joan. **20**. 28; Rom. **1**. 4; 7; **4**. 24; **5**. 1; 11; 2 Petr. **1**. 2, etc.

[16] Supra n. 4.

[17] Joan. **1**. 1. *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum* (Patrem) *et Deus erat Verbum.* Testimonium dici de Christo concedunt omnes interpretes; nam *Verbum caro factum est* (v. 14), et, quod factum est, postea quam factum est, est illud. — *NB.* Nil refert quod in secundo membro Θεός sit sine artic.; nam, ut contra Anomaeos arguebat CHRYS. (in *Joan.* hom. 3; in *Gal.* **1**), etiam de Patre dicitur aliquando Θεός sine artic. (cf. Rom. **1**. 3; Gal. **2**. 1-3); in nostro vero testimonio articulus relinquendus erat ut *praedicatum* (nam construi debet ὁ Λόγος ἦν Θεός) Verbi distingueretur a *persona* Patris quae signatur voce ὁ Θεός.

[18] *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* (Patri). Philip. **2**. 6.

[19] 1 Joan. **5**. 20. *Hic est verus Deus et vita aeterna.* Pronomen *hic* supponere pro Christo, non solum constat ex natura rei, ne scil. propositio sit tautologica, sed ex toto contextu, ex fine epistolae quae contra Cerinthum docet divinitatem Christi, et ex alio adjectivo *vita aeterna* quod Joan. in hac epist. **1**. 1-2; **5**. 11-3 et in evang. **1**. 4 appropriat Christo.

[20] Rom. **9**. 5. SOCINIANI, ut argumentum infirmarent, punctum faciebant ante pronomen *qui,* affirmantes quod *super omnia Deus benedictus in saecula* non est praedicatum Christi, sed doxologia, qua Apostolus inter parenthesim gloriam Dei celebrat. Sed *a)* obstat *interpunctio* quae, si non signabatur in primis codicibus, continuis litteris majusculis scriptis, servabatur tamen traditione unanimiter verba referente ad Christum (FRANZ. adducit fere 40 testimonia auctorum priorum VI saeculorum, quibus versiones omnes concinnant). *b)* Obstat *contextus grammaticalis,* quia grammatica exigit ut relativum *qui* supponat pro nomine immediate praecedenti, quod non est *Deus,* sed *Christus. c)* Obstat *contextus logicus,* quia Apostolus in primo membro non dicit tantum quod Christus est *ex* Judaeis, sed quod est ex illis *secundum carnem;* supponit ergo in Christo aliam originem *non secundum carnem,* illam scil. quam **1**. 3-4 vocavit *secundum spiritum sanctificationis,* de qua proinde intelligenda sunt verba sequentia *super omnia benedictus in saecula. d)* Obstat *contextus psychologicus,* quia doxologia est jucunda animi manifestatio, quae in Apostolo, obstinationem Judaeorum lugente, admitti nequit. *e)* Tandem, si ageretur de doxologia, participium ὁ ὤν *(qui est)* inutile et vitiosum foret, nec diceret Apostolus *Deus benedictus,* sed sicut alias semper (Matt. **21**. 9;

in Deo nonnisi proprietatem locutionis signare potest [21], et *supra omnia* [22] in aeternum *benedicendus* est solus verus Deus, *magnus et laudabilis nimis* [23].

34. **Secunda pars.** *In Scripturis Christus dicitur Filius naturalis Dei.* Nam Christus vocatur *Filius Dei* in singulari et cum artic. (ὁ Υἱός) [24], *proprius* [25], *Unigenitus* [26], *verus* [27], *dilectus* [28], *in virtute* [29], *secundum spiritum sanctificationis* [30], omnino distinctus ab adoptivis [31], quibus ipse est adoptionis causa [32] et forma [33]; respectu cujus alii non sunt filii Dei sed *servi* [34], et *ministri* [35]: atqui ex omnium gentium jure filius, qui *distinguitur ab adoptivis* eisque est ratio adoptionis, est naturalis; ex communi loquendi modo *filius verus*, et *proprius* est naturalis; ex natura rei *supra dilectionem* filiorum adoptionis, Deus seipsum tantum diligit; et ex Scripturarum usu filius *in singulari* de naturali dicitur [36]: ergo J. C. est

---

Marc. **11**. 9. 10; Luc. **1**. 68; **13**. 35. 38. etc.), *benedictus Deus;* cum enim doxologiae vis in adjectivo existat, hoc nomini praeponitur. CORNELY in *Rom.* p. 478.

[21] In metaphora ratio *veritatis* locum habet quando res, quae assumitur in imaginem, esse potest bona et mala, ut cum Christus dixit se vitim *veram* ad excludendam notionem labruscae; sed in ordine rerum Deus malus esse non potest; veritas itaque apposita nomini Dei proprietatem locutionis signat.

[22] Si quis *super omnia* non faciat appositionem nominis Dei sed Christi, sensum non mutat, quia *super omnem creaturam* nonnisi verus Deus est.

[23] Ps. **47**. 2.

[24] Matth. **14**. 33; **16**. 16; **27**. 54: Marc. **1**. 1; **14**. 61; **15**. 39; Luc. **1**. 35; **27**. 70; Joan. **1**. 34; 49; **4**. 17: 35, etc.: Gal. **2**. 20; Eph. **4**. 15; Hebr. **1**. 2: **4**. 14; **5**. 8; **6**. 6, etc.

[25] Rom. **8**. 32.

[26] Joan. **1**. 14, 18; **3**. 16; 1ª **4**. 9.

[27] 1 Joan. **5**. 20. Cf. Matth. **14**. 33; **27**. 54; Marc. **15**. 39 ubi proprietas vocis exprimitur adverbio *vere*.

[28] Matth. **3**. 17; **12**. 18; **17**. 5; Marc. **1**. 11; Luc. **3**. 22; **9**. 35; Eph. **1**. 6; 2 Petr. **1**. 17.

[29] Rom. **1**. 4. Hanc vocem PP. GRAECI explicant de *miraculis* quibus Christus in terris per se et de coelis per Apostolos divinitatem suae originis manifestavit; CORNELY cum AUG. et S. THOM. interpretatur de *infinita potentia* Filii, quem Isaias vocat *El gibbor*.

[30] Ex contextu CORNELY *in Rom.* p. 38, explicat: *secundum suam divinam naturam.*

[31] *Pater* MEUS *et Pater* VESTER. Joan. **20**. 17.

[32] *Misit Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus.* Gal. **4**. 4-5; Joan. **1**. 12-3, Eph. **1**. 5.

[33] *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Rom. **8**. 29.

[34] Gal. **1**. 10; Hebr. **3**. 5-6.

[35] Hebr. **1**. 5-7.

[36] Licet nomen Filii Dei, interdum sumi videatur pro synonymo Messiae, praecisione facta a sua divinitate; tamen in evangelio Joannis et in sy-

filius naturalis Dei : atqui filius naturalis naturam habet patris [37] : ergo J. C. est consubstantialis Patri ac proinde Deus verus de Deo vero.

35. **Tertia pars.** *Christi divinitas constat ex divinis attributis de ipso enuntiatis.* Revera in Scripturis de Christo effertur AETERNITAS cum Joannes dicit quod *in principio erat* [38], et cum Christus ait : *antequam Abraham fieret ego sum* [39] ; imperfectum enim *erat* excludit temporis initium [40], et praeterito *adest* qui aeternitate temporis successionem non habet [41]. IMMUTABILITAS proponitur ab Apostolo, cum Christo applicat Ps. **101**, quo mutabilitas mundi opponitur incorruptioni Dei qui idem ipse est [42]. OMNISCIENTIAM habuit Christus [43] quia *secreta cordium* perscrutatus est [44], *futura* annuntiavit [45], revelavit *occulta Dei* [46] quae *perfectissime* se *cognoscere* testatus est [47]. OMNIPOTENTIA inde constat quod Christus operatus est *quaecumque facit Pater* [48], et promisit se facturum *omnia* quae discipuli in suo nomine se vel Patrem [49] petiissent. DIVINA ORIGO constat ex nomine *Filii Dei* quod naturalem originem subaudit ; et praedicatur a Psalmista cum inducit Patrem dicentem : *ego hodie genui te* [50], et a Christo cum ait : *ego ex Deo processi* [51]. CONSUBSTANTIALITATEM testatur Joannes part. *in* [52] et *apud* [53] Deum, siquidem exigit divina simplicitas ut, quidquid in Deo est, sit Deus [54] ; item cum docet quod omnia, quae habet Pater, habentur a Filio [55], qui Patris opera operatur [56] ; et cum affirmat quod Pater

---

nopticis ipsis, cum presse sumitur, naturalem generationem ex Deo, ac proinde divinitatem exprimit. A. CELLINI *Il valore del titolo Figlio di Dio.* Vide infra n. 53 not.

[37] Generatio est : *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae.* Vol. 2 n. 292.

[38] Joan. **1**. 1. Non obstat quod Joan. dicat *in principio erat* VERBUM ; Verbum enim *caro factum est,* et Verbum caro factum est Christus.

[39] Joan. **8**. 58.

[40] Vol. 2 n. 140.

[41] Vol. 2 n. 138 sqq.

[42] Hebr. **1**. 11-2.

[43] *Tu nosti omnia.* Joan. **21**. 17.

[44] Matth. **9**. 4 ; **12**. 25 ; Marc. **2**. 8 ; Luc. **5**. 22 ; **6**. 8 ; **9**. 47.

[45] Matth. **10**. 17 ; **12**. 39-40 ; **16**. 4 ; 18, etc.

[46] Joan. **1**. 18.

[47] Matth. **11**. 27 ; Joan. **10**. 15.

[48] Joan. **5**. 17 sqq.

[49] Joan. **14**. 13-4.

[50] Ps. **2**. 7 ; **109**. 3, etc.

[51] Joan. **8**. 42. De generatione Filii vide vol. 2 n. 302.

[52] Joan. **1**. 18 ; **10**. 38 ; **14**. 10-11. 20.

[53] Joan. **1**. 1 ; **8**. 38 ; **17**. 5 ; 1ª **1**. 2 ; **2**. 1, etc.

[54] Cf. vol. 2 n. 74.

[55] Joan. **16**. 15.

[56] Joan. **5**. 17 ; 19 ; **9**. 4 ; **14**. 10.

et Christus *unum sunt* [57], ita ut qui videt vel odit Patrem, videat vel odio habeat Filium [58].

36. **Quarta pars.** *Christi divinitas constat ex operationibus divinis.* Nam Christus dicit Patrem agere opera sua [59], se autem Patris [60]. In particulari Scripturae tribuunt Christo OPERA AD INTRA cum exhibent *terminum* divinae intellectionis, qua generatur, et *principium* divini amoris, quo Spiritus S. a Patre et a Filio procedit [61]. Quod attinet ad OPERA AD EXTRA in ORDINE NATURAE Christus est *Creator* per quem *facta sunt omnia, quae facta sunt* [62], de quo dicebat Psal.: *Tu in principio Domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli* [63]; ipse est *Conservator, qui portat* (seu sustinet ne in nihilum redeant) *omnia verbo virtutis suae* [64]; ipse *Dominus omnium,* qui *habet in vestimento et in femore suo scriptum Rex regum et Dominus dominantium* [65]. In ORDINE SUPERNATURALI Christus est *lux vera* quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [66], *auctor totius religionis* nostrae [67] qui propria virtute *miracula* operatur [68], legem promulgat [69], *Apostolos* eligit et mittit [70], *remittit peccata* [71], et *confert Spiritum S.* [72]; ipse intime agit in omni opere salutari [73], justum vivificat [74], donat electos aeterna beatitudine [75], et virtutem tribuit aliis qui *in nomine ejus* operantur prodigia [76], et conferunt sacramenta [77].

---

[57] Joan. **10.** 30; **17.** 22.

[58] Joan. **13.** 20; **14.** 9; **15.** 23. Consubstantialitatem Christi cum Patre confitetur etiam PAULUS cum in epist. ad Corinth. sapientiam Patris permutat cum sapientia Filii. Cf. vol. 2 n. 282.

[59] *Pater, in me manens, ipse facit opera.* Joan. **14.** 10.

[60] *Quaecumque ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit.* Joan. **5.** 19; **9.** 4; **10.** 37 sqq.

[61] Cf. Vol. 2 n. 305.

[62] Joan. **1.** 3.

[63] Ps. **101.** 26 coll. Hebr. **1.** 10.

[64] Hebr. **1.** 3.

[65] Apoc. **19.** 16; 1 Tim. **6.** 15.

[66] Joan. **1.** 9. In prophetis et evangeliis *lux* est simbolum gratiae et justitiae, seu *ordinis supernaturalis.* KNAB. in *Joan.* p. 71 sqq.

[67] Tit. **2.** 11-3.

[68] Matth. **8.** 1-5; 7; **9.** 28; Luc. **9.** 17; **8.** 46; **10.** 17.

[69] Matth. **5.** 21; 27; 38; 43, etc.

[70] Joan. **15.** 16; Matth. **28.** 18-20.

[71] Matth. **9.** 1-6; Luc. **5.** 20-5; **7.** 46, sqq. etc.

[72] Joan. **20.** 22.

[73] Joan. **15.** 1 sqq.

[74] Joan. **6.** 64; **10.** 28; **11.** 25; Gal., **2.** 20.

[75] Joan. **14.** 6; **17.** 3.

[76] Matth. **7.** 22; Marc. **9.** 37; **16.** 17; Luc. **10.** 17; Act. **3.** 16; **16.** 18.

[77] Act. **2.** 38; **8.** 12.

37. **Quinta pars.** *Christi divinitas constat ex actibus cultus ei tributis.* Christum enim *omnes honorificare debent, sicut honorificant Patrem* [78] : ipse *adoratur* ab hominibus [79] et ab angelis [80], atque, *fidei auctor et consummator* [81], est principale objectum virtutum theologicarum, *in quem* scil. *credere* debemus [82], non secus ac in Deum credimus [83], *in quem sperare* oportet [84], *quem super omnia* [85], eodem quo Patrem prosequimur amore, *diligere* necesse est [86], ut impleatur quod ait Apostolus : *In nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum* [87].

THES. 7. *Divinitas Christi probatur Traditione.*

38. Consulto a Patribus *postnicaenis* commemorandis abstinemus, quia eorum testimonium dedimus in tract. *De Deo Trino* [88], et a criticis modernis conceditur : quod attinet ad Patres *antenicaenos* eorum sententia apparet : *a)* ex testimonio Patrum postnicaenorum, *b)* ex monumentis archaeologicis, *c)* ex paganorum scriptis, *d)* ex actibus martyrum, et *e)* ex apertis verbis. — *a)* Et primo quidem manifestum est *dogma fidei* universim et sine lucta obtrudi non potuisse in Ecclesia quae, noscens praeceptum Apostoli : *depositum custodi devitans profanas vocum novitates* [89], pro regula fidei semper habuit : « custodi quae accepisti, *neque addens* quidquam neque *detrahens* » [90] : atqui nulla est saec. 4 contestata denuntiatio pastorum vel fidelium contra *novitatem* doctrinae divinitatis Christi, sed potius communis indignatio contra arianos qui antiquam fidem evertere conabantur : ergo. PROB. MIN. Nam cum

---

[78] Joan. **5**. 22-3.

[79] Matth. **14**. 33; **28**. 9; 17; Joan. **9**. 38; Apoc. **5**. 14. Consulto ommittuntur testimonia, quae agunt de adoratione impropria; propria vero soli Deo deberi patet ex Matth. **4**. 10; Apoc. **19**. 10.

[80] Ps. **96**. col. Hebr. **1**. 6.

[81] Hebr. **12**. 2.

[82] Matth. **18**. 6; Joan. **3**. 15; 18; 36; **6**. 35; 40, etc.; Rom. **10**. 14; Gal. **2**. 16; 1 Petr. **1**. 8. « Credere *in Deum* plus est quam credere *Deo*. Nam et homini cuilibet plerumque credendum est, quamvis *in eum* non sit credendum. Hoc est credere in *Deum*, credendo adhaerere ad bene cooperandum bona operanti Deo ». AUG. in *Ps*. **77**. n. 8.

[83] Joan. **14**. 1.

[84] 1 Tim. **1**. 1; Matth. **9**. 2; 22; Joan. **14**. 13-4.

[85] Matth. **10**. 37.

[86] Joan. **14**. 21-4.

[87] Philip. **2**. 10.

[88] Vol. 2 n. 272.

[89] 1 Tim. **6**. 20; 2ª **1** ,14; **3**. 14.

[90] Epist. BARN. n. 9; IREN. *Adv. haer.* IV c. 33 n. 8; TERTUL. *De praesc.* c. 8; ATHAN. *epist. enc. ad ep.* n. 1; AUG. *De Bapt. c. Donat.* V c. 26. Cf. vol. I n. 394.

ARIUS a. 313 Christi divinitatem impugnare coepit libello *Talia,* statim a 100 episc. damnatus est in synodo *Alexandrina,* cujus sententia solemniter firmata est an. 325 in *Conc. Nicaeno,* an. 328 in synod. *Romana,* an. 381 in *Conc. Cp. I;* ita ut Arius fraudibus tantum et violentia asseclas sibi adsciscere potuerit. Quare ATHAN. ex constanti traditione sic arianos insectabatur : « Ecce nos demonstramus vobis nostram sententiam *a Patribus ad Patres transiisse;* vos autem, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos Patres, qui vestris voculis favent, exhibere potestis? Nullum certe profertis, omnes a vobis abhorrent » [91]. — *b)* Antiquam fidem de divinitate Christi testantur quoque monumenta archaeologica, communem et publicam sententiam exhibentia [92]; in INSCRIPTIONIBUS enim 2 et 13 saeculi saepissime recurrunt verba *in Deo Domino Christo — in Domino* vel *Deo Christo - - in Christo Deo — in Domino Jesu* [93] : in PICTURIS sub specie agni Christus *adoratur* [94], eique tribuuntur *miracula* [95], *legislatio* [96], *beatificatio* sanctorum [97] : SYMBOLICE autem proponitur *pisce,* quo divinitas clare exprimitur [98]. — *c)* De eadem christianorum fide scripserunt PILATUS ad Tiberium [99], PLINIUS ad Trajanum [100], HADRIANUS imp. ad Servianum [101], eamque testarunt LUCIUS et CELSUS irredentes christianos quia crucifixum adorabant [102], et JUDAEI eos de polytheismo et idololatria hac de causa damnantes [103]. — *d)* Porro christiani de ethnicorum accusa-

---

[91] ATHAN. *De decr. Nic. Syn.* n. 27.

[92] P. SIXTUS *Not. arch. christ.* II p. 1 c. 3 a. 5; p. 2 c. 3 a. 1; c. 4. a. 1; a. 2; etc.

[93] P. SIXTUS *l. c.* II p. 1 c. 3 a. 2.

[94] BOUGAND *Il crist. e i tempi pres.* III p. 1 c. 2. *NB.* Saepius exhibetur adoratio Magorum. P. SYXTUS *l. c.* II p. 2 c. 4 a. 1.

[95] P. SIXTUS *l. c.* II p. 2 c. 4 a. 2.

[96] P. SIXTUS *l. c.* a. 3.

[97] P. SIXTUS *l. c.* II p. 1 c. 3 a. 2 et 9; p. 2 c. 4 a. 1; c. 7 a. 3 et 4 e quibus constat Christum creditum esse *judicem* in eternam vitam electos adducentem, *felicitatem* in qua sancti vivunt, et *convivium* quo beati aeternaliter satiantur.

[98] Supra n. 4 in fine.

[99] Quae vulgo dicuntur *Acta et relationes Pilati ad Tiberium* spuria sunt, ex apocryphis evangeliis derivata; sed aliquam de Christo extitisse epistolam Pilati ad Tiberium docent TERTUL. *Apol.* c. 5 et 21; EUSEB. *Hist. Ecc.* II. c. 2; NICEPH. II c. 8, etc.

[100] PLIN. *Epist.* X ep. 97.

[101] Apud FLAV. VOPISCUM *Saturn.* c. 7 et 8.

[102] LUCIUS *De mor. Pereg.* 13; CELS. *apud Orig.* c. Cels. IV n. 14. Celeberrima hac de re est inscriptio saec. 2-3 stilo incisa in pariete *paedagogii palatini* inventa a GARRUCCI, qua repraesentatur christianus quidam *Alexander* adorans crucifixum cui, irrisionis causa, asini caput impositum est. Cf. appendicem.

[103] Apud JUST. *C. Tryph.* n. 48.

tione quasi de calumnia non sunt conquesti, sed potius coram tyrannis eam aperte fassi sunt. Nam Trajano interroganti : « Quis est *Theophorus* (ferens Deum?) « IGNAT. († 107) respondit : « Is qui habet Christum in pectore » [104]. POLYC. († 155) Christum vocat *Filium Dei* eumque cum Patre et Spiritu S. glorificat. EPODIUS († 178) tyranno respondit : « Christum cum Patre et Spiritu S. *Deum* esse confiteor ». SYMPHOROSA ad Hadrianum ait : « Si pro nomine *Christi Dei mei* incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro ». JUST. († 165) : « Rectum dogma... hoc est... ut *Dominum* Jesum Christum *Filium Dei* confiteamur ». MARTIAL., unus ex filiis S. Felicitatis : « Omnes qui non confitentur *Christum esse Deum*, in ignem aeternum mittentur ». MAUR. legionis Thebanae : « Deum creatorem omnium, et Filium ejus J. C. *Deum* credimus ». VINCEN. († 304) : « Dominum Christum confiteor *Filium Altissimi Patris* ». Et Maximo dicenti : « Nunc confessus es Christum esse *Deum* », TARACHUS († 304) dixit : « Et bene, hic est enim *Filius Dei*, spes Christianorum propter quem patimur et salvamur » [105]. — *e)* Accedunt expressa testimonia quae in fragmentis operum Patrum adhuc supersunt. « Sicut, inquit CLEM. Rom., Deus vivit et *Dominus J. C.* vivit » [106]. IGNAT. M. Christum definit *in carne existentem Deum* et saepe consubstantialitatem ejus cum Patre celebrat [107]. POLYC. suam facit dictionem Apostoli : *Dominus noster Jesus Christus* [108]. Auctor EPIS. BARN. affirmat quod Christus « sustinuit pati pro anima nostra, cum sit totius *mundi Dominus* » [109]. JUST. M. clamat contra insanos judaeos, qui « in eum (Christum) daemonum impulsu moliti sunt; qui, cum Verbum sit *primogenitum Dei, Deus* etiam est » [110]. HERMAS testatur quod « *Filius Dei* (Verbum incarnatum) omni creatura ejus antiquior est, ita ut Patris

---

[104] Apud PESCH n. 25, qui testimonium confirmat ex *Ignatii* epist. *ad Rom.*

[105] Cf. de his aliisque testim. FRANZ. *De Deo Trino* p. 157 sqq.; PESCH n. 25; JANSSENS III p. 173 et sqq. : TANQUEREY *De div. Chr.* n. 74; RUINART *Acta martyr.*

[106] CLEM. Rom. ep. I *ad Corinth.* c. 49 n. 2; c. 8 n. 2; c. 16 n. 2; c. 46 n. 6, etc. Attendas quomodo non solum cum Paulo J. C. vocet τὸν *Κύριον*, sed ei tribuat vitam absolutam et indefectibilem, quae est in Patre.

[107] IGNAT. M. *Ad Eph.* 7; cf. 18; 1 *ad Smyr.; ad Polyc.* 3; *ad Magn.* 6, 7, 8.

[108] POLYC. *ad Philip.*

[109] EPIST. BARN. c. 2, n. 5; c. 7, n. 11.

[110] JUST. M. *Apol.* 1 n. 63.

consiliarius evaserit in condenda creatura »[111]. IREN. valde instat in veritate vocis *Filii Dei,* vetans ne creaturae nomen ejus assumant : « Nihil ex his, quae constituta sunt, comparabitur Verbo Dei, per quem facta sunt omnia, qui est *Dominus noster J. C.* Quae facta sunt... non juste id vocabulum sumere deberent, *quod est Creatoris* »[112]. ATHEN. Filium confitetur *Deum* eumque consubstantialem Patri praedicat[113]. THEOPH. Christum vocat *Verbum Deum,* ex Deo genitum et a Patre missum[114]. CLEM. Alex. eundem dicit « divinum Verbum, *verum* sine controversia *Deum* »[115]; TERTUL. « ex Deo prolatum... et idcirco *Filium Dei* et *Deum* dictum ex unitate substantiae »[116]; HIPPOL. : « *Deum hominem factum,* cui omnia Pater subjecit praeter se et Spiritum S. »[117]. Etiam ORIG. confitetur divinitatem et consubstantialitatem Filii cum Patre, salva distinctione personarum[118] et CYPR. damnat Marcionem quia negabat *Deum Christum*[119].

39. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Cum Judaei de Christi *divinitate* scandalum paterentur, Christus sensum vocis aperuit dicens : *Nonne scriptum est in Lege vestra : Ego dixi dii estis* ? [120] : atqui *dii,* de quibus loquitur Psalmista, non sunt veri : ergo. **Resp.** « In Psalmo **81.** 6 verba illa diriguntur ad judices impios, injustos, quibus ira Dei et poena denuntiatur ; quare hoc loco Jesus argumentum *a minori ad majus* clare affert »[121]. Scil. si judices impii in Scripturis vocantur *dii,* profecto *Deus* vocandus est qui, aeterna generatione et consubstantialitate (v. 30) sanctificatus et in mundum missus (v. 36), vere est Deus. Ne autem, responso *a pari* intellecto, judaei a vera notione divinitatis recederent, hanc iterum Christus confirmat dicens se facere *opera Patris* et esse *in Patre* (v. 38) ; quod tam bene illi intellexerunt, ut quasi blasphemum vellent apprehendere et occidere (v. 39)[122].

40. **Objic. 2.** Christus consubstantialitatem suam cum Patre comparavit unitati qua nos fide conjungimur[123] : atqui haec identitatem na-

---

[111] HERM. *Pastor* Sim. IX, c. 12, n. 2.

[112] IREN. *Adv. haer.* III c. 8 n. 3.

[113] ATHEN. *Leg. pro christ.* n. 10-12.

[114] THEOPH. *ad Autolyc.* c. 2 n. 22.

[115] CLEM. Alex. *Cohort. ad gent.* c. 10 ; *Pedag.* VI passim.

[116] TERTUL. *Apol.* n. 21.

[117] HIPP. *C. Noët.* n. 8.

[118] ORIG. *C. Cels.,* VIII, n. 12.

[119] CYPR. ep. *ad Jub.,* n. 12. Cf. FRANZ. *De Deo Trino* thes. 10, p. 145 sqq. ; PESCH n. 26 ; JANSSENS III p. 178 sqq.

[120] Joan. **10.** 34.

[121] KNAB. in *Joan.,* p. 344.

[122] Non est singulare in sermonibus Christi quod a proprietate locutionis tunc videatur recedere, cum instantius affirmat. Cf. Matt. **12.** 47 sqq. ; **19.** 17 ; Joan. **2.** 4 sqq. ; **6.** 64-69.

[123] Joan., **17.** 21.

turae non infert : ergo nec illa. **Resp.** Particula *sicut* identitatem non semper exprimit, sed aliquando analogicam convenientiam; hanc autem in objecto testimonio exprimere, contextus edocet [124].

41. **Objic. 3.** Proprie dictam divinitatem Christus sibi aperte negavit cum ait : *Pater major me est* [125] : ergo. **Resp.** « Dicendum quod illa verba intelliguntur dicta de Christo secundum humanam naturam, in qua minor est Patre, et ei subjectus; sed secundum naturam divinam aequalis est Patri. Et hoc est quod ATHAN. dicit [126] : Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Vel secundum HILAR. [127] : Donantis auctoritate Pater major est : sed minor non est cui *unum esse* donatur » [128].

42. **Objic. 4.** Legimus : *Haec est vita aeterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* [129] : ergo divinitas soli Patri competit. **Resp.** Neg. *conseq.;* nam adject. *solum* non afficit pronomen *te,* sed praedicatum *Deum verum;* unde non respicit personam Patris sed naturam divinam, de qua scriptum est : *Videte quod ego sim* SOLUS *et non sit alius Deus praeter me* [130]. Sane *a)* in codicibus ponitur comma post pron. *te,* neque licet sine gravi causa a traditionali interpunctione recedere. *b)* In adversariorum sententia, tota argumenti vis in adject. *solum* inesset; hoc igitur deberet praecedere nomen, nec dicendum foret « ut cognoscant *te solum Deum* », sed « ut cognoscant *solum te* Deum verum ». *c)* Omnem tandem dubitationem aufert textus graecus in quo articulus praecedit adjectivum [131]. Nihil igitur ex nostro testimonio evincitur contra divinitatem Christi, quam potius multi Patres [132] inde confirmant. Revera, ut ratiocinatur A LAPIDE, si *solum Deum verum* diceretur de uno Patre, « propositio esset hjulca, pendens et imperfecta, nam si de Patre credendum est eum esse *solum Deum verum,* de J. C. nihil diceretur credendum, nisi intelligamus illum etiam esse *Deum verum* aeque ac est Pater. Sic ergo ordinanda est sententia : *ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, esse solum Deum verum* » [133]. Adde in objecto testimonio *cognitionem* Christi adsociari cognitioni Patris tamquam necessariam ad vitam aeternam

---

[124] Cf. vol. 2 n. 283.

[125] Joan. **14.** 28.

[126] ATHAN. *in Symb.*

[127] HIL. *De Trin.* IX.

[128] S. THOM. 1 p. q. 42 a. 4 ad 1. Utraque sententia Patrum auctoritate commendatur apud KNAB. in *h. l.* p. 440, sed prima ex contextu est tenenda.

[129] Joan. **17.** 3.

[130] Deut. **32.** 39. Ps. **17.** 32, etc.

[131] Non *τὸν σὲ μόνον,* sed *σὲ τὸν μόνον.*

[132] CYPR. *C. Judaeos* I; HIL. *De Trin.* IX; BASIL. *C. Eunom.* IV; AMBR. *De fide* V; CHRYS., CYRIL., THEOPH. in *h. l.*

[133] A LAPIDE in *h. l.* cui consentiunt HIL., AUG., BEDA et S. THOM. Verba sic exposita respondent Joan. **14.** 1 : *Creditis in Deum et in me credite.*

consequendam : atqui nulla creatura cum creatore potest connumerari [134], et ad illum in necessitate salutis coaequari [135] : ergo.

43. **Objic. 5.** Deus veritas est : atqui Christus erravit circa secundum adventum Messiae et mundi finem, quem proximum aestimavit [136] ergo. **Resp.** Stulte de errore incusatur qui tam multa prophetice annuntiavit [137] : Christus non putavit proximum finem mundi, secus enim Ecclesiam non fundasset, neque Apostolos misisset usque ad extrema terrae [138] : adventus, quem proximum annuntiavit, contigit in *trasfiguratione* vel in *destructione Jerusalem,* qua veritas suae missionis apparuit [139].

44. **Objic. 6.** Christus aperte edixit se tempus eversionis mundi ignorasse [140] : atqui Deus est omniscius : ergo [141]. **Resp.** Christum novisse diem judicii contra Agnoëtas et Themistianos jam ostenderunt Patres [142] *ex judicio mundi* Christo in terris commisso, quia judicare non potest omnes gentes qui eorum tempora ignorat [143] : *ex praedictione circumstantiarum,* quia haec tempus comitantur et quodammodo consti-

---

[134] ATHAN. *C. Arian.* or. 3; ISID., Pelus., I *ep.* 109.

[135] KNAB. in *Joan.* p. 490. — *NB.* Attendas realem parallelismum inter testimonium nostrum et Apoc. **21.** 23 : *Civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam et lucerna ejus est agnus.*

[136] MODERNISTAE prop. 33, DECR. *Lament.;* ANON. *Il Progr.* p. 80. — *Rigidiores* cum RENAN, HARNACK, STALKER, LOISY, etc. errorem tribuunt Christo; *mitiores* cum CORLUY, BATTIFOL, BONACCORSI, etc. tribuunt evangelistis vel evangeliorum corruptoribus. Cf. BALLERINI in *Scuola* agosto 1906.

[137] Cf. vol. 1 n. 150.

[138] LOISY *Autour d'un petit livre,* objicit fundationem Ecclesiae et missionem Apostolorum subsequi *resurrectionem,* quae ad historiam non pertinet, sed Vol. 1 n. 200 vidimus haec gratuito asseri.

[139] Cf. vol. 2 n. 413 in nota.

[140] Marc., **13.** 32.

[141] LOISY *L'Évang. et l'Égl.;* cf. PIUM X Enc. *Pascendi.*

[142] AGNOËTAE omniscientiam Christo negabant quia diem judicii ignoravit (Matth. **24.** 36; Marc. **13.** 32), quia quaesivit de sepulchro Lazari (Joan. **11.** 34) et quia profecit in sapientia (Luc. **2.** 52). *Primae* difficultati respondent Patres Christum non ignorasse simpliciter diem judicii, sed ignorasse uti magistrum *ad docendum* (HILAR. *De Trin.* IX n. 71; ATHAN. *C. Arianos* or. 3 n. 48-9; BASIL. *ad Amph.* ep. 236 n. 1; GREG. Naz. *or.* 30 n. 15; CHRYS. in *Matth.* hom. 77 n. 1; HIER. in *Matth.* **24.** 36; AUG. *83 Quaest.* q. 60; DAMASC. *De haer.* n. 85) : *alteram* explicant de *accomodatione* ad humanos mores, quo sensu Deus in Eden quaesivit *ubi* esset Adam (ORIG. in *Matth.* **13.** 51; ATHAN. *C. Arian.* or 3 n. 50; CHRYS. in *Matth.* hom. 77 n. 3; EULOG. *apud Phot.* c. 230) : *tertiam* exponunt de *scientia acquisita* et de *manifestatione* praehabitae sapientiae (ATHAN. *C. Arian.* or. 3 n. 51; GREG. Naz. *or.* 20; AMBR. *De incar.* c. 7; BEDA hom. *in I Dom. post Epiph*). PESCH n. 269 sqq. KNAB. in *Luc.* p. 149.

[143] AUG. *Epist.* 10 n. 39.

tuunt [144] : *ex contextu,* quia in cognitione ultimi diei Christus se opponit Apostolis [145]. Itaque Christus non simpliciter nescivit diem judicii, sed nescivit *scientia communicabili,* h. e. *qua magister.* « Dicit itaque Christus, uti fert explicatio longe communior, se nescire diem illum, quia *tamquam legatus ad homines missus* illa solummodo docet, quae ex voluntate Patris mittentis hominibus communicanda sunt; quod ad cetera, si quae forte legatus sciat, ita se gerere debet ac si nesciat, sique de iis rogatur, respondet se nescire ac verum respondet, ut legatus enim loquitur, ut autem legatus nihil scit nisi quae dicere jussus est : illum diem illamque horam Deus nos latere vult; Christus ergo Dei legatus utrumque se nescire dicere vere potuit » [146].

45. **Objic. 7.** Plures Patres *antenicaeni* de Christi divinitate silent, alii autem cum CLEM. Alex., ORIG., TERTUL. et LACTAN., faciunt Christum Patri inferiorem : ergo ante concil. Nicaen. fides de divinitate Christi non erat unanimis, sed ex notione Messiae paullatim evoluta est. **Resp.** Si forte excipias LACTAN., qui aeternam generationem *Verbi* confundere videtur cum primo *fiat,* quo res conditae sunt [147], ceteri a veritate non defecerunt; siquidem de divinitate Christi deque ejus cum Patre consubstantialitate aperta testimonia dederunt et opposita verba catholicum sensum possunt habere [148]. Attendas etiam difficiles locutiones non occurrere, cum Patres populum alloquuntur, et fidem profitentur, sed cum philosophorum placita, Platonis imprimis, cum catholicis dogmatibus componere vel haec illis illustrare conantur; non sunt itaque testimonia *traditionis,* sed *privatae* explicationes quae sensu metaphorico et improprio ex ipsa fidei securitate ante Arium sine fidei periculo adhibebantur [149]. Ceterum ne obliviscaris paucorum silentium, vel etiam dissensum, aliorum consensum non infirmare [150].

---

[144] « Quod non ignorem diem illum jam multis ostendi vobis : spatia temporum et quae ventura sunt omnia dixi ». CHRYS. in *Matth.* hom. 27 n. 2.

[145] Hic v. 33 et Act. **1**. 7. « Quando (Christus) dicit *non est vestrum scire,* ostendit quod ipse sciat, sed non expedit nosse apostolis ». HIER. in *Matth.* **24**. 36; BEDA in *Marc.* **13**. 32.

[146] KNAB. in *Marc.* p. 355. In hanc sententiam quoad substantiam conveniunt AUG., LEPOR., CHRYS., DAMASC., ALB., JANS., SCHANZ., PATR., etc. — MODERNISTAE repugnare aestimant Christum plenitudinem suae scientiae « noluisse communicare cum discipulis ac posteritate » (DECR. *Lament.* prop. 34); sed nonne fuerunt silentii Christi optimae rationes? Profecto « ut ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine *utilis silentii ratione* esse scire-mus, vigilare nos Dominus propter adventum furis admonuit, et orationum assiduitate detentos, omnibus praeceptorum suorum operibus inhaerere ». HILAR. *hom.* in Matth. **24**; CHRYS. in *Matth.* hom. 27 n. 3.

[147] JANSSENS *De Trin.* p. 196. Alii tamen etiam LACT. defendunt.

[148] JANSSENS *l. c.* p. 186 sqq.

[149] Cf. Vol. 2 n. 288.

[150] Vol. 1 n. 599.

ART. 2 - DE DIVINITATE CHRISTI CONTRA RATIONALISTAS ET MODERNISTAS.

46. **Quaestionis ratio.** Hucusque antiquorum more divinitatem Christi consideravimus uti dogma fidei in revelatione contentum : at *nova scientia* distinguit inter factum historicum et dogmaticum, quod transfiguratione fidei ita efformatum dicit, ut liceat « praemissas adstruere ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse » [1]. Contra nova sophismata ostendere volumus quod non « est geminus Christus : realis alter, alter qui numquam reapse fuit sed ad fidem pertinet : alter qui certo loco certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur » [2], sed unus idemque, siquidem Christus, qui nunc fide Deus creditur, historicis documentis constat vere *existisse* et pro *Deo* a fidelibus semper habitum fuisse.

47. **Errores — Veritas.** Realem *existentiam* Christi in dubium vocarunt RATIONALISTAE cum STRAUSS ; originariam notionem *divinitatis* ejus post RENAN impugnarunt MODERNISTAE [3]. **Veritas,** jam professa in omnibus SYMBOLIS, quae divinitatem efferunt de filio B. V. M., ac definita contra Arianos [4] et in dogmate de revelatione completa tempore apostolico [5], contra Modernistas iterum est proposita damnatione harum propositionum : « Divinitas J. C. ex Evangeliis non probatur ; sed est dogma quod conscientia christiana ex notione Messiae deduxit. — Concedere licet Christum, quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo, qui est objectum fidei. — Doctrina de Christo, quam tradunt Paulus, Joannes et Concil. Nicaen., Ephes., Chalced., non est ea quam de Jesu concepit conscientia christiana » [6].

THES. 8. *Historice constat — 1 Christum vere extitisse — 2 deque sua divinitate dedisse testimonium, — 3 quod ab Apostolis et primis fidelibus confirmatum, — 4 omni fide est dignum.*

48. **Prima pars.** *Christus non mythus est, sed realis persona historice nota.* **Argum. 1.** *Ex ipsa Christi notione.* Nam mythorum efformatores notiones tantum confusas, generales et fabulosas

---

[1] DECRET. *Lament.* pr. 24. Cf. pr. 61.

[2] PIUS X enc. *Pascendi;* ANON. *Il Progr.* p. 114.

[3] Supra n. 5 in fine.

[4] Profecto contra Arianos non est vindicata divinitas cujusdam mythi, sed realis hominis Christi.

[5] CONC. VAT. *Pastor* cp. 4 ; Vol. I n. 494.

[6] DECRET. *Lament.* prop. 27, 29, 31 ; PIUS X Enc. *Pascendi.*

exhibent fictae personae; Christi e contra novimus *locum* ubi natus et commoratus est, *tempus* quo mundum est ingressus et praedicavit, *opera* quae fecit, *miracula* quae patravit, *doctrinam* quam docuit, *mortem* qua occubuit, *principes, sacerdotes* et *reges* sub quibus vixit; et quidem ita ut haec a primis Ecclesiae temporibus publice fuerint affirmata, quin de reali existentia fundatoris Ecclesiae quis umquam dubium moverit. Si haec non sufficiunt pro historica certitudine existentiae Christi, profecto historia est vana res, et non solum dubitandum est de existentia Alexandri Macedonis, Caesaris Augusti, Neronis et ipsius Napoleonis, sed etiam de Strauss ejusque schola [7]. **Argum 2** *ex priorum fidelium sententia.* Nam nemo ambigit sub fine saec. 1 et initio 2 innumera pene multitudo christianorum historicam existentiam Christi habuisse fundamentum religionis, cui vitam privatam et publicam conformarunt, in cujus invocatione exempla omnium virtutum dederunt, pro cujus veritate sanguinem fuderunt: atqui psychologice repugnat omnes istos in re fundamentali et facilis comprobationis [8] esse deceptos, repugnat ex errore innumera bona moralia oriri [9], repugnat miraculis et martyrio falsum esse confirmatum [10]: ergo [11]. **Argum. 3** *ex documentis.* Nam de reali existentia Christi aperte testantur *Evangelia* ejus vitam enarrantia, *catacumbae* picturis praecipua facta infantiae et praedicationis ejus exhibentes, atque *profana documenta* de crucifixione fundatoris religionis christianae loquentia. Quam vero stulte rationalistae personificationem Christi tribuere voluerint S. Paulo [12], vel inde patet quod ipse verba Christi refert sicut Evangelia docent et in reali resurrectione Christi universam fundat religionem [13].

49. **Secunda pars.** *Christus suam divinitatem multipliciter testatus est* [14]. Revera CHRISTUS nomen *Dei* [15] et *Filii Dei* [16] sibi

---

[7] BILLOT *De Ver. Inc.* p. 539-42.

[8] Cf. Vol. 1 n. 161.

[9] Cf. Vol. 1 n. 172.

[10] Cf. Vol. 1 n. 150 sqq. 161-2.

[11] BURCHANY in *L'Université catholique* 15 Juin 1909 apud *Scuola* marzo 1910.

[12] WREDE apud *Scuola* maggio 1910.

[13] BATIFFOL in *Revue du Clergé Franc.* 15 marz. apud *Scuola* maggio 1910.

[14] Testimonia sumimus praecipue ex Evangeliis quorum *genuinitatem, integritatem* et *veracitatem* vindicavimus vol. 1 n. 135-7. De authentia Act. et Epist. SS. AA. vide A. CELLINI *Prop. Biblica* I p. 253-60, 294-9; CORNELY *Int. in Sacr. Scrip.* III p. 315 sqq.

[15] Matth. **22**. 42-5.

[16] Matth. **11**. 27; Luc. **10**. 22; **22**. 70; Joan. **3**. 16-7; **5**. 26-8; **9**. 35-7; **10**. 36 sqq., etc.

vindicavit, et ab aliis tributum non respuit [17]; *consubstantialitatem* suam cum Patre saepius confessus est [18]; divina attributa, qualia *aeternitatem* [19], *omniscientiam* [20], *omnipotentiam* [21], *supremum omnium dominium* [22], *spirationem Spiritus S.* [23] sibi tribuit; testatus est se omnia *opera divina* agere [24], propria auctoritate *remisit peccata* [25], solo imperio *miracula* patravit [26], et actus divini cultus non solum recepit [27], sed exegit [28].

50. **Tertia pars.** *Testimonium Christi ab angelis, apostolis et primis fidelis confirmatum est.* Revera GABRIEL Christum vocat *Filium Altissimi* [29]: ZACHARIAS dicit Joan. Baptis. praecursorem *Altissimi* et *Domini* [30]: ELISABETH nuncupat B. V. matrem *Domini* [31]: B. V. M. suam *divinam* maternitatem ab Elisabeth praedicatam confirmat cantico *Magnificat* [32]: APOSTOLI Jesum confitentur *Filium Dei* eumque *adorant* [33]: PETRUS praedicat *Filium Dei vivi* [34], *Deum* [35], *Dominum* [36], *auctorem vitae* [37], omniscium [38] et in ejus nomine miracula operatur [39]: THOMAS Christo post resurrectionem sibi apparenti clamat: *Dominus meus et Deus meus!* [40]: MATTHAEUS est auctor primi evangelii, e quo plura testimonia pro divinitate deduximus [41]: JACOBUS J. C. vocat *Dominum* eadem

---

[17] Nomen *Dei* tribuerunt Christo Judaei (Joan. **5**. 18; **10**. 24-39) et Thomas (Joan. **20**. 28); nomen *Filii Dei* Joan. Bapt. (Joan. **1**. 34), Nathanaël (Joan. **1**. 49), Petrus (Matth. **16**. 16), Apostoli (Matth. **14**. 33), Martha (Joan. **11**. 27), judices synedrii (Luc., **10**. 22, etc).

[18] Joan. **10**. 30. **14**. 9-11; **17**. 21; etc.

[19] Joan. **8**. 58.

[20] Matth. **11**. 27.

[21] Joan. **14**. 13-4.

[22] Joan. **16**. 15.

[23] Joan. **15**. 26; **16**. 7; 14, etc.

[24] Joan. **5**. 17; 19; **10**. 37.

[25] Luc. **5**. 24; **7**. 40, etc.

[26] *Surde, et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo* (Marc. **9**. 24): *tibi dico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (Matth. **9**. 6): *adolescens, tibi dico, surge* (Luc. **7**. 14): etc.

[27] Matth. **14**. 33; **28**. 9, 17; Joan. **9**. 38.

[28] Vide quae diximus de *fide, spe* et *charitate* n. 37.

[29] Luc. **1**. 32-35. Attendas part. *ideoque* non referi ad solam miraculosam conceptionem, sed ad integram promissionem de *Filio Altissimi*, qui de Spiritu S. concipiendus erat.

[30] Luc. **1**. 76-78.

[31] Luc. **1**. 42.

[32] Luc. **1**. 46 sqq.

[33] Matth. **14**. 33; **28**. 17.

[34] Matth. **16**. 16.

[35] 2 Petr. **1**. 1; 11.

[36] Matth. **14**. 28; Joan. **6**. 69; 2 Petr. **1**. 2; 11, etc.

[37] Act. **3**. 15.

[38] Joan. **21**. 17.

[39] Act. **4**. 10.

[40] Joan. **20**. 28.

[41] Supra n. 35-7.

ratione qua Dominus est Pater [42]: JUDAS eum dicit *Dominatorem, Dominum* et *Deum* [43]: JOANNES contra Cerinthum sic multiplicat testimonia de Christi divinate, ut in toto evangelio et 1 epist., quae illius est exordium, vix inveniatur comma ex quo validum argumentum non deducatur: PAULUS constanter J. C. vocat τὸν Κύριον, in eo agnoscit *formam Dei* qua *aequalis* est *Deo* [44], praedicat *Filium Dei in virtute* [45], *magnum Deum* [46], *super omnia benedictum in saecula* [47] et adorat [48]. PRIMI FIDELES divinitatem J. C. confessi sunt *a)* lingua, scriptis et monumentis, *b)* expressis verbis et symbolis, *c)* privatim in christianorum conventibus, et publice, ita ut ipsis paganis innotesceret, *d)* tam vero instanter ut pro illius confessione sanguinem effuderint [49].

51. **Quarta pars.** *Testimonium Christi, Apostolorum et priorum fidelium verax est.* Profecto CHRISTO non defuit *veritas in cognoscendo;* quod enim aliquis sit vel non verus Filius naturalis Dei, principium Spiritus S., consubstantialis Patri, aeternus, omniscius, omnipotens, etc., subjacet testimonio conscientiae, quod in soli amentibus fallitur: atqui Christum amentem fuisse nec suspicabitur, qui noscit altitudinem sapientiae, qua a callidis inimicis numquam in sermone capi potuit. Dicemus ergo *decepisse?* Non solum ab hoc refugit anima christiana, sed *historia,* quae Christum exhibet virum honestum, justum et sanctum, talem ut in fine vitae provocare potuerit inimicos ad arguendum se de peccato: atqui ne vir quidem mediocriter bonus potest rapinam arbitrari se esse Deum et totum mundum decipere in his quae ad ultimum finem spectant [50]. Accedit testimonium miraculorum et prophetiarum; his enim Christus divinam suam missionem et veritatem suae praedicationis firmavit [51]. — Quod attinet ad APOSTOLOS iterum res est manifesta. Nam origine judaei, naturaliter a deorum pluralitate abhorrebant [52], unde nec poterant proprio marte hominem in Deum transformare, nec sine validis argumentis filium hominis

---

[42] Jac. **1**. 1; **2**. 1; **5**. 11.

[43] Jud. v. 4.

[44] Philip. **2**. 10.

[45] Rom. **1**. 4.

[46] Tit. **2**. 13. In tex. graec., ut notat JANSSENS IV p. 802, *magnus Deus* est Salvator.

[47] Rom. **9**. 5.

[48] Phil. **2**. 10.

[49] Testimonia dedimus n. 38.

[50] Cf. vol. 1 n. 151.

[51] Cf. vol. 1 n. 146-9.

[52] Judaei ipsi, qui Christum prophetam agnoscebant, cum audiebant se Deum dicere, in furorem agebantur, et occidere volebant.

in Deum recipere. Commemora quam essent *tardi ad credendum* [53], *modicae fidei* [54], a Christo exprobati propter *incredulitatem* [55], et videbis an facile fidem divinitatis Christi susceperint. Dices male intellexisse verba Christi? Absurdum! Nam Apostolis datum erat nosse mysteria quae ceteris occultabantur [56], et in ultima coena tam clare locutus erat Christus, ut dixerint: *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis: Nunc scimus quia scis omnia... in hoc credimus quia a Deo existi* [57]. Ceterum si quid erat in verbis Christi obscurum, solebant Apostoli sive verborum, sive rerum explicationem petere a Magistro [58]: quomodo ergo in re fundamentali verba ambigua sine explicatione receperunt? An et magister ignoravit suorum discipulorum hebetudinem? [59]. — Tandem rationalistis et modernistis « explicandum remanet quomodo duodecim piscatores, simplices et philosophiae ignari, *potuerint* invenire tale dogma, quod in se involvit profundissimum SS. Trinitatis mysterium; quomodo praedicare *ausi fuerint* doctrinam quae erat Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultiam [60]; quomodo *sanguinem suum fuderint* in testimonium facti, cujus falsitatem optime noverant; quomodo tandem *suadere* potuerint tum *Judaeis*, tum *Gentilibus* merum hominem, in cruce morte ignominiosa affectum, esse vere Deum verumque Dei Filium » [61]. — Quod de Apostolis diximus, etiam de testimonio PATRUM et FIDELIUM priorum saeculorum valet; non enim omnes erant simplices et indocti, sed plurimi etiam praeclari ingenii et in omni disciplina eruditi; Christum vero Deum esse confessi sunt usque ad sanguinem [62].

52. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Christus in opinionem suae divinitatis devenire potuit evolutione notionis messianicae [63], vel enthusiasmo [64]; nil ergo conficitur ex ejus testimonio. **Resp.**

---

[53] Luc. **24**. 25.

[54] Matth. **8**. 26; **14**. 31.

[55] Matth. **17**. 19; Marc., **16**. 14.

[56] Luc. **8**. 10.

[57] Joan. **16**. 29-30.

[58] Matth. **13**. 36; **15**. 15; Joan. **16**. 17; **14**. 22.

[59] Revoca Joannem B. opinionem de sua messianitate aperte oppugnasse (Joan. **1**. 19 sqq.); Christum vero per se (Joan. **3**. 4 sqq.; **6**. 62 sqq.), vel per evangelistam (Joan. **2**. 20 sqq.; **21**. 22 sqq.) pravas interpretationes praecavisse.

[60] 1 Corinth. **1**. 23.

[61] TANQUEREY *l. c.* n. 67.

[62] Vide vol. 1 n. 161-2, ubi de vi probativa martyrii egimus.

[63] MODERNISTAE hanc evolutionem tribuunt primis fidelibus. *Il Program.* p. 70 sqq.

[64] MODERNISTAE in Decr. *Lamentabili.* prop. 27.

Evolutione ideae messianicae, quae Christi tempore habebatur, notio divinitatis deduci non poterat, quia Judaei expectabant regem terrenum et divinitatem Messiae ignorabant [65]; *enthusiasmus* autem inepte adducitur *a)* quia nulla fuit ejus occasio, *b)* quia in contradictionibus durare non poterat, et *c)* quia characteri Christi repugnans, ut vidimus in tract. *de Religione* [66].

53. **Objic. 2.** Nomen *Dei* et nomen *Filii Dei* erant synonyma *Messiae* [67]: nil ergo ex eis deducitur pro divinitate Christi. **Resp.** *Nego* simpliciter. Nam *a)* Judaei distinguebant inter nomen *Messiae* et nomen *Dei* et *Filii Dei* [68]: *b)* hae voces in Scripturis, eo modo quo dicuntur de Christo, numquam enuntiantur de puris hominibus: *c)* Christus vero, cum nomine, attributa divina, divinasque operationes sibi vindicavit.

54. **Objic. 3.** Apostoli et evangelistae, qui erant *sine intellectu* [69], non pollebant *arte critica* ut realitatem a specie distinguerent et secernerent historiam a *transfiguratione* fidei [70]; suspectum est ergo eorum testimonium. **Resp.** Christum esse Deum, facta revelatione, a rudibus ipsis et parvulis cognoscitur; Apostoli vero non debebant arte critica *judicare* an Christus esset Deus, sed simplici auditu de ore magistri hoc *apprehendere* [71]: quod iterum dicendum est de miraculorum relatione in qua evangelistae non agunt partem *philosophi* sed *historici;* scil. non *judicant* esse miraculum, sed *scriptis mandant* quod oculis viderant et auribus audierant. Ceterum Apostoli, qui naturaliter erant rudes, gratia Spiritus S. sapientes facti sunt; inscitia enim et hebetudine non docuerunt mundum universum.

55. **Objic. 4.** Divinitas Christi est dogma fundamentale in religione christiana, de quo silere prima monumenta non poterant: atqui Synoptici Christi divinitatem non commemorant [72] ergo. **Resp.** Nego

---

[65] Cf. quae diximus n. 27.

[66] Vol. 1 n. 151.

[67] MODERNISTAE *Il Prog.* p. 81, 83.

[68] Etiam dato quod Judaei notionem naturalis originis ex Deo non semper tribuerent nomini *Filii Dei* (n. 4 not. 10), certum est quod in sensu proprio de vero Deo intelligebant, siquidem, cum Christus Deum dicebat patrem suum, volebant lapidare *quia se faciebat Deum* (Joan. **5.** 18; **10.** 33); cum in synedrio eandem divinam filiationem testatus esset, Caiphas exclamavit: *Blasphemavit* (Matth. **26** 64-5 coll. Luc. **22.** 66-71); et coram Pilato Judaei, Christum accusantes, clamabant: *secundum legem debet mori quia Filium Dei se fecit* (Joan. 19. 7): patet autem quod blasphemia digna morte non erat testificatio proriae messianitatis (Cf. n. 19), sed assumptio nominis incommunicabilis Dei.

[69] Matth. **15.** 16.

[70] Juxta modernistas fides *transfigurat* historiam, quam aptat objecto credito, *Il Program.* p. 63.

[71] Cf. vol. 1 n. 141.

[72] MODERNISTAE *Il Prog.* p. 45 sqq.

consequentiam et *assertum*. Nego *consequentiam* quia religio christiana non *scriptis* sed *praedicatione* erat propaganda [73]: nego *assertum* quia difficultas, quam MODERNISTAE ex JULIANO apostata[74] derivarunt, falso innititur fundamento. Synoptici enim non solum Christum vocant *Filium Dei* [75], omnino contradistinctum a filiis adoptivis, quod abunde sufficeret ad naturam divinam exprimendam; sed dicunt etiam *Deum* ac *Dominum* [76], ei tribuunt *consubstantialitatem* [77], *omniscientiam* [78] et *omnipotentiam*, qua propria virtute operabatur *miracula* [79], remittebat *peccata* [80] et *legem* promulgabat [81], atque referunt actus cultus divini ei praestitos [82].

56. **Objic. 5.** *Evolutio divinitatis* Christi apparet ex collatione Evangeliorum, siquidem in Synopticis obscura et indirecta tantum habet testimonia, in Joanne vero clarissima [83]. **Resp.** *Nego consequentiam.* Evangeliorum differentia non ex evolutione doctrinae repetenda est, sed ex diverso scriptorum fine. SYNOPTICI pro neophytis scribentes, divinam Christi *missionem* juxta auditorum conditionem [84] demonstrarunt, ut fideles, Ecclesiae agnita veritate et auctoritate, eam in omnibus audirent; at JOANNES scribens pro adultis in fide, Ecclesiae Apostolorumque auctoritatem supponit et contra Cerinthi Ebionitarumque fallacias Christi divinitatem defendit. altissimosque coelestis sapientiae thesauros effundit. Nil ergo mirum quod Synoptici et Joannes duplicem Christi respectum tractantes, diversa de eodem J. C. enarrent [85].

---

[73] Matth. **28**. 18-20; Rom. **10**. 14 sqq.

[74] Apud CYRIL. Alex *C. Jul.* 10.

[75] Matth. **3**. 17; **16**. 16; **17**. 5. **18**. 19; Marc. **1**. 1; **9**. 6; **14**. 62; Luc. **1**. 32; **9**. 35; **22**. 70.

[76] Matth. **1**. 23; **14**. 28; **22**. 41-5; Luc. **6**. 46. Revoca *Κύριον (Dominum)* in versione LXX, qua utebantur Apostoli, esse *Jahve*.

[77] Consubstantialitas effertur a Matth. **28**. 19 in forma baptismi. Cf. vol. 2 n. 285.

[78] Matth. **11**. 27; Luc. **10**. 22.

[79] Matth. **8**. 1-5; 7; **9**. 28; Luc., **6**. 17; **8**. 46; **10**. 17.

[80] Matth. **9**. 1-6; **5**. 20-5; **7**. 47.

[81] Matth. **5**. 21; 27; 38; 43; etc.

[82] Matth. **10**. 37; Luc. **14**. 26. Cf. PESCH n. 11 sqq.; TANQUEREY *De Chr. Div.* n. 58 sqq.; PALMIERI in *Civiltà Catt.* ottobr. 1904 q. 1304.

[83] MODERNISTAE *Il Progr.* p. 45-8.

[84] Scil. judaeis probarunt Christum esse *Messiam* (Matth. et Luc.), ethnicis vero esse *thaumaturgum*, visibilium omnium et invisibilium *Dominum* (Marc. et Luc.).

[85] CORNELY *Int. in Sacr. Scr.* Diss. VII § 7 n. 7-8; § 8 n. 1 sqq. *NB.* Joan. *post* synopticos scribens eorum opera non *retractat* sed *complet*.

CAPUT III.

De humana Christi natura.

57. **Capitis divisio.** Ut audivimus a Conc. Chalc., duae sunt in Christo naturae, divina scil. et humana; postquam ergo diximus de Christi divinitate, manet ut de ejus humanitate loquamur: porro in humanitate Christi attendenda est nostra consubstantialitas, qua processit de illo *uno*, ex quo Deus *fecit omne genus hominum inhabitare super faciem terrae* [1], et integritas, qua nihil ei deest de constitutivis vel consectariis nostrae naturae. Hinc tres articuli hujus capitis. 1 *De veritate carnis Christi*, — 2 *de integritate naturae assumptae*, et — 3 *de defectibus coassumptis*.

Art. 1 - De veritate carnis Christi.

58. **Quomodo Christus sit nobis consubstantialis.** Cum Christus de Spiritus S. sit conceptus, profecto cogitari nequit de *naturali* ejus origine ex Adam: nobis est consubstantialis quia B. V. in generatione ejus praestitit omnia quae matres necessario [2] ponunt in generatione filiorum [3]. Et si petis quae haec fuerint, dicimus cum Damasc. quod « Dei Filius *ex castis purissimisque Virginis sanguinibus* carnem anima rationali et intelligente animatam ipse sibi compegit » [4]. Ratio est quia materia, quam feminae praestant in generatione, « secundum Philosophum [5] est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quamdam ampliorem digestionem per virtutem generativam matris, ut sit materia apta ad conceptum » [6]. Dicitur autem ex *purissimis sangui-*

---

[1] Act. **17**. 26.

[2] Dicimus *necessario*, quia corruptio carnis et consequentes motus concupiscentiae non sunt de necessitate generationis, nec esse potuerunt in conceptione virginea. S. Thom. 3 p. q. 31 a. 5 ad 3.

[3] Basil. *De Spirit. S.* c. 5; Hilar. *De Trinit.* X c. 15; Athan. *C. Apol.* II c. 5; Fulg. *epist.* 17 c. 2 sqq. Cf. Petav. *De Incar.* V c. 16.

[4] Damasc. *De fide orth.* III c. 2.

[5] Arist. *De gen. anim.* I c. 19.

[6] S. Thom. 3 p. q. 31 a. 5. Neque dicas Ecclesiam *carnem* Christi vocare *carnem* Mariae, respondet enim idem S. Doctor, quod « ideo dicitur *carnem* de Virgine sumpsisse, non quod materia corporis ejus fuerit *actu* caro; sed sanguis, qui est *potentia* caro » *l. c.* ad 1.

nibus et non ex *sanguinibus* tantum, « ut omnis excludatur impuritas ab eo conceptu, quem operatus est Spiritus S., quique matris virginitatem, nedum abstulerit, magis consecravit » [7].

59. **Errores — Veritas.** *Veritatem* carnis Christi apostolico tempore negaverunt DOCETAE seu Phantastici quos secuti sunt GNOSTICI, MARCIONITAE et MANICHAEI : *orginem* ex V. M. impetiti sunt APELLES, CHRISTOLITI, SELEUCIANI, ERMINIANI, VALENTINIANI, PRISCILLIANISTAE, PAULICIANI, ANABAPTISTAE, QUAKERI et PSEUDOMYSTICI qui dixerunt B. V. fuisse quasi fistulam per quam Verbum, aliunde carne accepta, transivit [8]. **Veritas** est definita in CONC. CHALCED. : « Docemus eundem (D. N. J. C.)... consubstantialem nobis secundum humanitatem... genitum... ex Maria virgine Dei genitrice » [9].

THES. 9. *Christi corpus — 1 non est phantasticum, neque de coelo allatum, sed — 2 ex B. V. derivatum.*

60. **Prima pars.** — *Christi corpus est verum et non phantasticum.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *Ex voce carnis* qua Joan. saepe humanitatem Christi designat [10]. Licet enim nota synecdoche caro pro homine ponatur, tamen, ut notant Patres, Joannes hanc vocem elegit, quia « significatur ea quam maxime veritas assumptae naturae » [11]. Profecto *res* non dicitur fieri *sua figura, pars* (caro) non accipitur ut similitudo *totius* (hominis), neque in signum *rei visibilis* (hominis) res per se *invisibilis* (caro) assumitur. Adde Joannem *Christum venisse in carne* proponere ut dogma necessario credendum [12] contra haereticorum blasphemias [13], dogma autem fidei obscuris imaginibus non exprimitur [14], et haeretici, qui negabant Christum venisse in carne, erat Docetae non adventum J. C. sed realitatem suae carnis impugnantes. ARGUM. 2. *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem* [15]. Haec verba in se et in contextu veri-

---

[7] BILLOT Quaest. 31 § 1 p. 366; JANSSENS V p. 390-4.

[8] Supra n. 5.

[9] CONC. CHALC. Oecum. IV (a. 451); CONC. TOLET. a. 441; SYMB. propos. *Petr. episc.* a Leone IX; PROF. prop. *Michaëli Paleol.* a. 1267; CONC. FLOR. decr. *pro Jacobitis.*

[10] Joan. **1.** 14; 1ª **4.** 2; 2ª 7.

[11] KNAB. in *h. l.* p. 82.

[12] *Omnis qui confitetur J. C. in carne venisse, ex Deo est.* Joan. 1 **4.** 2.

[13] *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur J. C. venisse in carnem.* Joan. 2ª 7.

[14] Cf. vol. 1 n. 555.

[15] Hebr. **2.** 14.

tatem carnis Christi manifeste exprimunt. *In se* quia testantur Christum habuisse carnem et sanguinem quae in phantasmate distingui nequeunt [16], imo habuisse *similiter* ac nos qui carnem veram profecto habemus. *Ex contextu,* nam Apostolus Christo vindicat carnem et sanguinem ut mori posset [17], ut infirmitatibus nostris compati valeret [18], ut sua oblatione nos redimeret [19] : atqui haec omnia veritatem carnis manifeste supponunt : ergo. ARGUM. 3. *Ex testimonio Christi.* Cum enim Apostoli, videntes eum super mare deambulantem, putarent *phantasma,* dixit eis : *confidite ego sum,* nolite timere [20]; post resurrectionem vero incredulis discipulis, qui *existimabant se spiritum videre,* ait : *spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere,* et ut omnem dubitationem ab eorum cordibus expelleret coram eis manducavit [21]. — **Ex Patribus** IGNAT. M. improperat Docetas quod, negata veritate carnis Christi, ab Eucharistia abstinerent [22] : ATHAN. et THEOD. arguunt *ex verbis consecrationis* quae loquuntur de carne et sanguine [23] : IREN. *ex veracitate sensuum* nostrorum, siquidem Christus videbatur, audiebatur, tangebatur non secus ac ceteri homines [24] : AUG. *ex veracitate Christi* qui decepisset nos si, in phantasmate existens, pro vero homine apparuisset [25] : TERTUL. *ex absurdis;* « si (enim) Christus homo non fuit, sequitur ut omnia, quae per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint... Eversum

---

[16] Phantasma exhibet tantum figuram *externam,* in qua profecto distinctio inter carnem et sanguinem locum non habet.

[17] *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, i. e., diabolum : et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Hebr. **2**. 14-5.

[18] *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret. L. c.* 17.

[19] *Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi... Una oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. L. c.* **10**. 5-14.

[20] Marc. **6**. 48-50.

[21] Luc. **24**. 36-43. — *NB.* Frustra quaeritur an argumenta data a Christo *per se* omnem dubitationem expellere valebant; sunt enim sola *possibilia* et certe *apodictica* ratione *finis,* quia Christus decipere non poterat.

[22] IGNAT. M. ep. *ad Smyr.,* c. 7, n. 1.

[23] THEOD. *Dial.* 2 apud Petavium.

[24] « *Putativum est igitur,* et non veritas *omne* apud eos : et nunc jam quaeritur, ne forte, cum et ipsi homines non sint, sed muta animalia, hominum umbras apud plurimos perferant ». IREN. *Adv. haer.* IV c. 33 n. 5.

[25] « Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, et, si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus; non igitur fuit phantasma corpus ejus ». AUG. *83 Quaest.* q. 14.

est igitur totum Dei opus »[26]. — **Rationis** argumenta a Patribus modo audivimus : veritas scil. carnis Christi requiritur *a veracitate sensuum nostrorum* quia, si corpus phantasticum a vero non posset dignosci, in scepticismum ruere necesse esset : *a veracitate Christi* quia magister sapiens et bonus nostram deceptionem pati non potuit : *ab analogia fidei,* quia si Christus veram carnem non habuit, nec passus est, nec resurrexit, *si* autem *Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris*[27].

61. **Secunda pars.** *Caro Christi non de coelo delata, sed de B. V. est assumpta.* **Ex Scripturis** tot fere testimonia adduci possunt quot de promissione et de adventu Messiae agunt. Revera in Eden Salvator promittitur ut *semen mulieris*[28], Abraham, Isaac, Jacob et David[29] iterum dicitur eorum *semen:* in N. T. Christus est *ex judaeis* secundum carnem[30], et Evangelistae nobis servarunt ejus genealogiam physicam[31] et legalem[32], necnon modum conceptionis et circumstantias nativitatis[33]. Ceterum humana origo melius exprimi nequit quam *a)* VERBIS *concipere, habere in utero, parere, generare* active de matre, passive de filio enuntiatis, *b)* NOMINIBUS *matris* et *filii* seu *seminis* quibus solemus indicare principium et terminum generationis, atque *c)* PRAEPOSITIONIBUS *ex* et *de* quibus ablativum materiae inducitur : atqui his omnibus modis proponitur humana origo Christi de B. V. : ergo. PROB. MIN. Revera *a)* quod attinet ad VERBA, habemus Gabrielem prophetantem : Ecce *concipies* in utero et *paries* filium... qui *nascetur ex te*[34], Matthaeum narrantem quod Maria inventa est *in utero habens* de Spiritu S.[35], Lucam dicentem quod, cum Maria esset Bethlehem, impleti sunt dies ut *pareret* et *peperit* filium suum *primogenitum*[36], Paulum affirmantem quod Christus, *factus* ex muliere[37], *semen Abrahae apprehendit*[38]. *b)* Quod attinet ad NOMINA Christus

---

[26] TERTUL. *Adv. Marc.* III c. 8.
[27] 1 Corinth. **15**. 17.
[28] Gen. **3**. 15.
[29] Gen. **22**. 18; **26**. 2-4; **28**. 14; Ps. **48**. 36-8.
[30] Rom. **9**. 5.
[31] Matth. **1**. 1-16.
[32] Luc. **3**. 23-38. KNAB. *in Luc.;* CORNELY *Int. in Sacr. Script.* Diss. 7 § 6 n. 4.
[33] Matth. **1**. 18-25; Luc. **2**. 5-7.
[34] Luc. **1**. 31-5; Matth. Christum dicit *natum in Maria* **1**. 20.
[35] Matth. **1**. 18.
[36] Luc. **2**. 6-7. Christi origo apud Matth. **1**. 18 vocatur *generatio.*
[37] Gal. **4**. 4.
[38] Hebr. **2**. 16.

vocatur *filius hominis* [39], *filius Mariae* [40], *fructus ventris ejus* [41], *semen* David [42], *fructus lumbi* David [43]; Maria vero dicitur *mater* Christi a plebe [44], ab Elisabeth [45], ab angelo [46], et saepius ab evangelistis [47]. *c)* Quod attinet ad PRAEP. Christus dicitur *ex* patribus [48], *ex* semine David [49], factus *de* muliere [50], *in* ea [51], et *de* ea natus [52], ita ut *qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes* [53] sint. — **Patres** non secus a Scriptura *a)* expresse dicunt quod « errant qui docent eum (Christum) nihil ex Virgine accepisse » [54], siquidem « qui universos homines formavit in utero, finxit sibi corpus ex Virginis sanguine » [55]. *b)* Veritatem hujus originis frequenter deducunt ex partic. *ex;* « ut enim ostenderet Apostolus ex humana massa carnem deiferam esse concretam, significantiorem vocem praeelegit; nam illud *per mulierem* posset notionem transitus in nativitate ingerere, hoc autem *ex muliere* satis declarat communicationem naturae in genito relate ad genitricem » [56]. *c)* Idem evincunt ex nomine *filii hominis,* « nam quomodo filius Dei *hominis filius* erit natus... si non... carnem intra Virginem assumeret... et corpus quidem... ex virgine conceptum? » [57]. Tandem arguunt ex sapientia Dei, ex dignitate B. V. M. et ex incarnationis fine. *d) Ex sapientia Dei,* quia si ex Maria nihil accepit « sine causa eo se intulit, unde nihil extulit. Sed *non sine causa* descendit in vulvam : ergo ex illa accepit » [58]. *e) Ex dignitate B. V. M.,* nam « si

---

[39] Matth. **8**. 20; **9**. 6; **10**. 23; **12**. 32, etc.

[40] Matth. **1**. 21; 23; 25; Luc. **1**. 31.

[41] Luc. **1**. 42.

[42] Rom. **1**. 3 et alias saepe.

[43] Act. **2**. 30.

[44] Matth. **12**. 46; Marc. **3**. 32; Joan. **6**. 42.

[45] Luc. **1**. 43.

[46] Matth. **2**. 13-20.

[47] Matth. **1**. 18; **2**. 11, 14, 21; Luc. **2**. 33, 34, 38, 51; Joan. **2**. 1, 3, 5, 12; **19**. 25, 26. Nota etiam quomodo Luc. **3**. 23 Josephi *reputatam* paternitatem expresse signaverit.

[48] Rom. **9**. 5.

[49] Rom. **1**. 3.

[50] Gal. **4**. 4.

[51] Matth. **1**. 20.

[52] Matth. **1**. 16.

[53] Hebr. **2**. 11. « Scil. tam Redemptor quam redempti, omnes ab uno patre Adamo descendunt, idest ejusdem naturae partecipes sunt ». PADOVANI in *h. l.*

[54] IREN. *Adv. haer.* III c. 32; JUST. M. *Dial. c. Tryph.* apud Petav. *De Verb. Inc.* V. c. 16 n. 2.

[55] IGNAT. M. epist. *ad Trall.*

[56] BASIL. *De Spir. S.* c. 5. Cf. TERTUL. *De carne Chr.* 20; ATHAN. *ad Epict.* n. 5; EPHREM serm. *De margarita;* THEOPH. Alex. apud. *Cyril.* in Petavio; FULG. *De incar.,* n. 4.

[57] HIL. *De Trin.* X; IREN. *Adv. haer.* III c. 22, n. 1. LEO M. *ep.* 18 arguit ex nomine *hominis.*

[58] TERTUL. *De carne Chr.* c. 19.

caro Verbi Dei, secundum carnem nascentis, a carne Virginis pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset, ubera, quae lactassent, beatificantur » [59]. *f) Ex fine incarnationis,* quia oportebat quod ipsamet caro, quae peccaverat, satisfaceret Deo, ac proinde quod Salvator « totum verumque in se *de homine natum hominem* contineret » [60]. Argumenta **rationis** dedimus supra n. 16.

62. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Dicit APOSTOLUS quod Christus *in similitudinem hominum factus* (est) *et habitu inventus ut homo* [61] : atqui *similitudo* opponitur identitati, et *habitus* veritati : ergo. **Resp.** *Similitudo* nonnumquam solam distinctionem numericam subaudit, quare Apostolus in objecto testimonio « exprimit *veritatem humanae naturae* in Christo, per modum quo omnes, qui vere in natura humana existunt, *similes specie* esse dicuntur » [62]. Quod si *similitudo* presse sumatur de convenientia cum diversitate, in quo diversitas sit reponenda non a priori, sed ex contextu, deducenda erit : atqui differentiam non tenere in natura humana expresse docet Apostolus, cum affirmat quod Christus accepit *formam servi* [63] : ergo in alio est quaerenda, scil. in persona et concupiscentia : in persona quia Christus *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* [64], in concupiscentia quia factus est similis nobis per omnia *absque peccato* [65]. « Quia (vero) defectus omnes, et proprietates consequentes speciem, praeter peccatum, suscepit; ideo *habitu inventus* (est) *ut homo,* scil. in *exteriori conversatione;* quia esuriit ut homo, fatigatus fuit et hujusmodi » [66].

63. **Objic. 2.** DAMASC. docet Christum non assumpsisse humanam naturam in *genere,* neque in *specie,* neque in *individuo* [67] : ergo in sola apparentia. **Resp.** Damascenus non negat Christum habuisse veram naturam humanam, sed affirmat assumpsisse naturam *propriam* et non naturam *universalem* vel *praeexistentem.* « Primitias massae nostrae assumpsit, non quidem naturam per se subsistentem et quae *prius* fuerit individuum atque ita dein ab ipso assumpta, sed in ipsius hypostasi subsistentem » [68].

64. **Objic. 3.** Angelus Raphaël visus et tactus est a Tobia, coram quo manducavit et bibit : ergo ex visibilitate Christi nil concluditur pro veritate suae carnis. **Resp.** *Nego paritatem.* Nam Scripturae non testan-

---

[59] BEDA *in Luc.,* **11**.

[60] FULG. *ad Thras.* I, c. 15.

[61] Philip. **2**. 7.

[62] S. THOM. 3 p. q. 5 a. 1 ad 1.

[63] *Formam* significare *naturam,* constat ex proprietate vocis, et quia ex *forma Dei* Apostolus concludit Christum esse *aequalem Deo.*

[64] Phil. **2**. 6.

[65] Hebr. **4**. 15.

[66] S. THOM. in *Philip.* **2**. lect. 2.

[67] DAMASC. *De fide orth.* III c. 11.

[68] DAMASC. *l. c.*

tur carnem et sanguinem Raphaëlis, qui antequam discederet, deceptionem omnem removit dicens : *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili et potu, qui videri ab hominibus non potest, utor* [69]; Christus e contra numquam suam puram spiritualitatem confessus est, sed ab hujusmodi opinione removit discipulos suos.

65. **Objic. 4.** *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de coelo coelestis* [70] : ergo corpus Christi non de virgine est effectum, sed de coelo allatum [71]. **Resp.** Christus dicitur *homo coelestis* non quia ejus caro de coelo venit, sed quia incarnatione Verbum descendit *de coelo* [72], et sic, titulo hypostaticae unionis, *humana natura* in coelum conscedit; anima quidem immediate beatifica visione, corpus vero post vitam mortalem gloriosa resurrectione. « J. C., inquit CORNELY, vere Filius Dei unigenitus est, qui propter nos homines *descendit de coelis* et incarnatus est de Spiritu S. ex M. V. et homo factus est. Coelestem igitur, utpote de Deo natus, habens *originem, coelestis* est homo, quum corpore sit instructus quod non tantum ab incarnationis primo momento *capax* fuit glorificationis a spiritu accipiendae, sed etiam ad illam assumendam *jus* habuit illamque quoque juxta divinum consilium in resurrectione vere assumpsit » [73].

ART. 2 - DE INTEGRITATE NATURAE ASSUMPTAE.

66. **Corpus et anima in Christo sunt substantialiter unita.** Constat ex CONC. VIENNENSI « Confitemur unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae *simul unitas*... assumpsisse » [1], et sequitur ex dictis de humano composito [2]. Profecto partes essentiales, cum divisae inveniuntur, specie differunt : si ergo anima et corpus Christi separata essent, a nostris specie different, nec ipse esset verus homo. Ceterum

---

[69] Tob. **12**. 19

[70] 1 Corinth. **15**. 47. *Coelestis* in graeco non habetur, sed a contextu exigitur, unde « Vulgata optimo glossemate membrum parallelum complet ». CORNELY in *h. l.* p. 501.

[71] APOLLINARIS apud *Hergenr.* II p. 84.

[72] AMBR., HIL., AUG. apud *A Lapide* in h. l. dicunt Christum *de coelo* quia virtute coelesti, h. e. *de Spiritu S.*, est conceptus ; sed post S. THOM. in *h. l.* lect. 7, CORNELY in *1 Corinth.* p. 501 exponit de *hypostatica unione*, quippe comparatio cum Adamo exigit ut, sicut ille ratione *originis* dicitur terrenus, ita Christus propter originem, et non ratione *modi* quo factus est, dicatur coelestis.

[73] CORNELY in *h. l.* p. 501.

[1] CONC. VIEN. appr. a *Clem. V.*

[2] *De Deo Creante* vol. 2 n. 496.

nonne *emissione spiritus* mortuus est? [3] Ergo, ipso vivente, anima et corpus *unum esse* constituunt. Hinc CYRIL. Alex. dicebat quod « Deus factus est caro, h. e. *homo animatus* anima rationali » [4], et PATRES affirmare solebant quod Verbum assumpsit carnem *rationalem* [5], quod profecto dicit corpus anima rationali informatum.

67. **Verbum assumpsit** CORPUS **mediante anima,** ANIMAM **mediante spiritu,** SPIRITUM **mediante composito.** Haec S. THOM. sententia [6], non respicit prioritatem *temporis* vel *naturae* (siquidem conceptio Christi fuit in instanti [7] et non, ut nostra [8], cum successione), sed logicam seu *rationis,* quatenus, attento fine incarnationis, illud intelligitur *prius* assumptum quod ad redemptionis opus magis ordinatur. Atqui Christus *qua homo* factus est mediator [9]; ergo compositum per prius est ab eo assumptum. Quod si partes ipsae considerentur, anima *per prius* est assumpta, quia corpus reduplicative inspectum, utpote irrationale, non est convenienter assumptibile [10]; anima vero assumpta est *mediante* mente seu spiritu, quia ipsamet non « est assumptibilis secundum congruitatem, nisi per hoc quod est *capax Dei* ad imaginem ejus existens, quod est secundum mentem, quae spiritus dicitur... Similiter etiam intellectus inter ceteras partes animae est *superior* et dignior et Deo similior, et ideo, ut DAMASC. [11] dicit, unitum est carni *per medium intellectum* Verbum Dei » [12].

68. **Errores** — **Veritas.** Integritatem nostrae naturae non agnoverunt in Christo ARIANI plurimi et APOLLINARISTAE; illi quidem quamcumque animam ei denegantes, hi vegetativam tantum et sensitivam concedentes [13]. **Veritas** est definita in CONC. CHALCED. « Docemus eumdem (Filium et Dominum N. J. C.) perfectum in deitate, et eumdem *perfectum in humanitate...* eumdem ex *anima rationabili et corpore...,* genitum... *ex Maria Virgine* » [14].

THES. 10. *Christus — 1 est perfectus homo, — 2 non ergo caret anima intellectiva.*

69. **Prima pars.** *Christus est homo perfectus.* Nam proprietas vocis omnino est tenenda quando nomen saepius et anto-

---

[3] Matth. **27**. 50.
[4] CYR. Alex. *Ep. III ad Nest.* n. 19.
[5] FRANZ. *De Verb. Inc.* p. 95-7.
[6] S. THOM. 3 p. q. 6 a. 1, 2, 5.
[7] S. THOM. *III Dist.* 3 q. 5 a. 2.
[8] Cf. vol. 2 p. 470.
[9] 1 Tim. **2**..5.
[10] Supra n. 15.
[11] DAMASC. *De fid. orth.* III c. 6.
[12] S. THOM. 3 p. q. 6 a. 2.
[13] Supra n. 5.
[14] CONC. CHALC. *Oec. IV* (a. 451). Cf. SYMB. Athan.; LEON. M. Epist. dog. *ad Flav.;* OECUM. V cn. 2 et 3. — *Pro veritate animae rationalis* cf. DAM. *Anath.* 7 a. 378; CONC. TOLET. XI a. 675; VIEN. a. 1311-2; etc.

nomastice de aliquo dicitur : atqui in **Scripturis** Christus antonomastice dicitur *filius hominis* [15], et *homo* vocatur a Christo [16], ab Apostolis [17], a muliere Samaritana [18], a caeco nato [19], a Caipha [20], a Pilato [21], a centurione [22], a militibus [23], a synagoga [24], a turbis [25] : ergo. Et CONFIRMATUR, nam Christus dicitur *homo* in eodem testimonio in quo vox adhibetur de ceteris hominibus [26], quos ille, humanitatis titulo, non confunditur *fratres* vocare [27] : atqui non licet in eodem testimonio sine gravissima et evidenti ratione sensum vocis mutare : ergo. CONFIRMATUR iterum quia Apostolus in Christi humanitate fundat *universalitatem* voluntatis salvificae [28], *antithesim* qua Christus praefiguratus est ab Adam [29], et convenientiam *humiliationum et passionum* crucis [30] : atqui haec manifeste supponunt identitatem naturae cum hominibus qui salvantur, cum Adamo qui factus est nobis causa ruinae, cum nobis qui humiliationibus et doloribus subjicimur : ergo. — **Patres** saepe docent cum IGNAT. M. quod Christus « perfectus homo factus est » [31] ; hujus autem perfectae humanitatis rationem petunt ex nomine *hominis* et *filii hominis* quod soli homini perfecto convenit [32] : *ex perfectione Christi,* « nihil enim in Christo imperfectum » [33] : *ex veracitate* Christi qui est ipsa veritas ; « si enim, cum homo non

---

[15] In solo evang. S. Matth. Christus 28 vicibus dicitur *Filius hominis.*

[16] Joan. **8.** 40.

[17] JOANNES Christum vocat *carnem* **1.** 14 ; 1ª **4.** 2 ; 2ª 7 quae, ut vidimus, synecdoche significat hominem ; PAULUS *hominem* dicit in Rom. **5.** 12, 19 ; Ephes. **4.** 24 ; Philip. **2.** 17 ; 1 Tim. **2.** 5 ; Hebr. **2.** 6 sqq.

[18] Joan. **4.** 29.

[19] Joan. **9.** 11.

[20] Joan. **11.** 47 ; 50 ; **18.** 14.

[21] Luc. **23.** 6 ; 14.

[22] Marc. **15.** 39.

[23] Joan. **18.** 17.

[24] Joan. **9.** 16-24.

[25] Matth. **11.** 19.

[26] *Per hominem* (Adam) *mors et per hominem* (Christum) *resurrectio mortuorum.* 1 Corinth. **15.** 21 ; Joan. **7.** 46 ; **9.** 11 sqq. ; Rom. **5.** 12 sqq. ; Phil. **2.** 7 ; 1 Tim. **2.** 4-5.

[27] Hebr. **2.** 6-18.

[28] *Unus mediator Dei et hominum,* HOMO *Christus Jesus.* 1 Tim. **2.** 5.

[29] *Per unum hominem... qui est forma futuri* Rom. **5.** 12-4 ; 1 Corinth. **15.** 45-7 ; Ephes. **4.** 23-4.

[30] Hebr. **2.** 6-18 coll. PADAV. in *h. l.*

[31] IGNAT. M. *Ad Smyr.* n. 4 ; DAMAS. apud *Theod.* Hist. V c. 9 ; EPHR. Or. *De marg. pret.* ; EPIPH. *Haer.* 77 ; FULG. ad *Thras.* I c. 15.

[32] HIL. *De Trin.* IX ; THEOD. *Dial.* 2 ; BASIL. *C. Eunom.,* arguit ex Phil. **2.** 6, siquidem « *formam assumpsisse servi,* illud significat Dominum in substantia fuisse humanitatis nostrae ».

[33] AMBR. *De incarn.* c. 7 ; AUG. *epist.* 57.

esset, *apparebat* ut homo, neque quod vere erat *perseveravit,* h. e., spiritus Dei (quoniam invisibilis est spiritus), *neque veritas quaedam erat in eo,* non enim erat quod videbatur » [34] : *ex incarnationis fine* qui fuit ut diabolus ab eo, quem vicerat, vinceretur, et homo a languoribus sanaretur ac Deo conjungeretur. « Nisi humani generis adversarium, inquit IREN., *homo* ipse vicisset non esset juste ille superatus » [35]. « Nostra causa, addit JUST. M. homo est factus Dei Verbum ut passionum nostrarum particeps factus *remedium adhiberet* » [36]. Et AUG. : « Inter Deum et homines *mediator* apparuit, ut in unitate personae *copulans utramque naturam* et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret » [37]. **Rationis** congruentiae patent ex verbis Patrum et ex praedictis n. 15 et 16.

70. **Secunda pars.** *Etiam animam intellectivam Christus assumpsit.* Haec pars est corollarium praecedentis, ut enim arguit AUG., Christus « non est homo perfectus, si vel anima carni, vel animae ipsi mens humana defuerit » [38]. **Scripturae** saepe loquuntur de *anima* Christi [39], eamque esse *rationalem* constat ex voce *spiritus* [40] quae, cum absolute effertur, de angelo vel anima humana tantum dicitur [41]. Accedunt testimonia quae exprimunt operationes, passiones, habitus spirituales; hi enim a sola anima intellectiva procedunt, et in ea sola subjectantur. Porro quoad HABITUS SPIRITUALES Isaias prophetavit quod *requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitu-*

---

[34] IREN. *Adv. haer.* V c. 1 n. 2; TERTUL. *De carne Ch.;* GELAS. *De duabus nat.*

[35] IREN. *Adv. haer.* III c. 20; ATHAN. *De salut. adv.;* THEOD. *Haer.* V c. 11.

[36] JUST. M. sub fine *Apol.* 1; IREN. *Adv. haer.* V c. 14; ATHAN. epist. *ad Epict.;* GREG. NAZ. *Or.* 14 et 42. — Hinc PATRES pro axiomate habent tritum effatum : « *Quod assumptum non est, salute caret* ». GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1; GREG. Naz. ep. 101 *ad Cledon.* n. 7; AMBR. ep. 48 *ad Sab.;* CYRIL. Alex. *in Joan.;* THEOD. *Dial.* 2; DAMASC. *De fide orth.* III c. 6.

[37] AUG. ep. 3 *ad Volus.;* HILAR. *De Trinit.* IX; CYRIL. Alex., *Dial. de incarn.*

[38] AUG. *De praes. Dei* n. 4; TERTUL. *De carne Chr.* c. 11.

[39] Matth. **20.** 28; **26.** 38; Marc. **14.** 34; Joan. **10.** 15; **12.** 27; Act. **2.** 27, coll. Ps. **15.** 10; 1 Joan. **3.** 16.

[40] Matth. **27.** 50; Marc. **8.** 12; **2** 8; Joan. **11.** 33; **13.** 21; **19.** 30. Cf. Joan. **6.** 64; 1 Corinth. **15.** 45.

[41] In V. T. anima generice inspecta vocatur *spiritus vitae* (Gen. **7.** 15), vel *jumentorum* (Eccl. **3.** 2); in N. T. etiam *spiritus* (Jac. **2.** 26), sed in directa oppositione ad corpus.

dinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini [42]; Evangelistae autem testantur quod *proficiebat sapientia* [43], et erat *plenus gratiae et veritatis* [44] : quoad OPERATIONES SPIRITUALES Scriptura commemorat Christi *intellectionem* [45], *cognitionem* [46], *volitiones* [47], *orationes* [48], *supplicationes* [49], *gratiarum actiones* [50], *merita* [51], *absolutionem* peccatorum [52], miracula *imperio* patrata [53], *sermones* plurimos [54], etc. : quoad PASSIONES SPIRITUALES nominat *desiderium* [55], *gaudium* [56], *pavorem* et *taedium* [57], *turbationem spiritus* [58], etc. — **Patres** animam rationalem agnoscunt in Christo *a)* cum ejus carnem dicunt *rationalem* et sanctam [59]; *b)* cum merita et virtutes ejus constituunt fundamentum redemptionis et vitae christianae [60]; *c)* cum integritatem nostrae naturae arguunt in Christo ex adagio quod non est salvatum nisi quod est assumptum [61]; *d)* cum, duce AUG., irrident Apollinaristas qui auferentes a Christo animam rationalem, tribuunt ei animam pecoris [62]. — **Rationes** facile derivantur *a)* ex *integritate* naturae assumptae : *b)* ex *meritis*, quae libertatem et intellectum supponunt : *c)* ex *operationibus* intellectus et voluntatis.

71. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Evangeliis nomen *filii hominis*, ex Daniele sumptum, est synonymum Messiae [63] : nil ergo inde desumitur pro veritate humanitatis Christi. **Resp.** Extrinseca impositio nominis non mutat proprium sensum ejus, « non potest autem quasi nomine proprio *Filius hominis* vocari, qui non est homo » [64]; filius siquidem oritur generatione, quae est in similitudinem naturae.

---

[42] Isai. **11**. 2-3.
[43] Joan. **1**. 14.
[44] Luc. **2**. 52.
[45] Isai. **52**. 13.
[46] Joan. **5**. 42, etc.
[47] Matth. **8**. 3, etc.
[48] Matth. **14**. 23; **25**. 42, etc.
[49] Hebr. **5**. 7.
[50] Matth. **15**. 36; **26**. 27.
[51] 1 Corinth. **6**. 20; **7**. 23.
[52] Matth. **9**. 2, etc.
[53] Matth. **8**. 3; 13; etc.
[54] Matth. **5-7**, etc.
[55] Luc. **22**. 15.
[56] Joan. **11**. 15; **15**. 11.
[57] Marc. **14**. 33.
[58] Joan. **13**. 21.
[59] ATHAN. *C. Apol.* II n. 1; ep. *ad Anth.*; CYRIL. Alex. ep. *ad Nest.* 3 n. 19; SOPHRON. ep. lecta in *Oecum. VI* act. 11.
[60] IGNAT. M. ep. *ad Smyr.* n. 4; IREN. *Adv. haer.* III c. 18 n. 5-6.
[61] IREN. *Adv. haer.* V c. 1; TERTUL. *Adv. Marc.* II c. 8.
[62] AUG. *in Joan.* tr. 47 n. 8
[63] Dan. **7**. 13.
[64] PESCH IV n. 29.

72. **Objic. 2.** *Verbum caro factum est* [65]: atqui *caro* contra *spiritum* dividitur: ergo Christus animam vel saltem mentem non habet [66]. **Resp.** « Carnem poni pro homine *Verbum homo factum est* veteres jam ex usu vocis ostendunt; unde evangelista voce *carnis* utens, nihil nobis inusitatum aut peregrinum ingerit, cum saepe S. Scriptura solius *carnis* vocabulo totum hominem significat; v. g. [67] *effundam de spiritu meo super omnem carnem* » [68]. Revera synecdoches, qua homo *carne* exprimitur, communissima est in V. et N. T. [69]; cum vero presse sumitur pro determinata parte hominis, non opponitur *animae* sed *spiritui,* quo designatur homo in ordine supernaturali [70]. Adde *carnem* a Verbo assumptam non esse mortuam sed *vivam;* in homine vero anima intellectiva est principium etiam vitae sensitivae [71].

ART. 3 - DE DEFECTIBUS COASSUMPTIS.

73. **Passiones, propassiones et defectus.** PASSIO in generica sua ratione est terminus actionis creatae qui recipitur in subjecto quod immutat [1]; stricte accepta importat abjectionem prioris conditionis et per prius dicitur de affectione appetitus sensitivi, dein de affectionibus animae [2]. — Cum hujusmodi affectiones appetitus sensitivi et intellectivi non subduntur perfecte rationi, nomen passionis retinent, eo quod eorum subjectum passive quodammodo se habet [3]; cum vero perfecte subduntur rationi et dispotico imperio reguntur a voluntate, nomine proprio vocantur PROPASSIONES, h. e. passiones *secundum quid* et *inchoatae*

---

[65] Joan. **1.** 14.

[66] APOLLINARIS apud *Hergenr.* II p. 84.

[67] Joël **2.** 28.

[68] KNAB. in *h. l.* ex *Cyr.* p. 81.

[69] Isai. **40.** 6; Jer. **17.** 5; Eccl. **14.** 18-9; Matth. **24.** 22; Luc. **3.** 6; Act. **2.** 17; Rom. **3.** 20; 1 Corinth. **1.** 29; 1 Petr. **1.** 24.

[70] Hoc sensu distinguitur *caro Christi* a *Filio Dei.* Joan. **1.** 14 sqq.; Rom. **1.** 3; **9.** 5; Hebr. **2.** 14; vel *caro* a *divinitate.* 1 Corinth. **2.** 14; 2 Corinth. **13.** 4; 1 Tim. **3.** 16; 1 Petr. **3.** 18.

[71] Cf. vol. 2 n. 487.

[1] Cf. vol. 2 n. 291.

[2] S. THOM. 1-2 q. 22 a. 1 et 3. — *NB.* Passiones dividuntur per ordinem ad prosecutionem boni et fugam mali, et per ordinem ad difficultates superandas in eadem prosecutione et fuga. Primo modo passiones pertinent ad appetitum *sensibilem* et sunt sex, scil. *amor* et *odium, desiderium* et *fuga, gaudium* et *dolor:* altero pertinent ad *irascibilem* et a S. THOM. (1-2 q. 23, a. 4) quinque enumerantur, scil. *spes* et *desperatio, timor* et *audacia,* atque *ira* cui, quoad fugam mali, addi potest *dejectio.*

[3] Utique etiam *active* influunt, quia passiones sunt actus vitales, sed principalius se habent *passive,* quia ab extrinseco est eorum excitatio.

tantum. — DEFECTUS generice dicunt privationem alicujus perfectionis, proprie vero important privationem boni *convenientis* et *proportionati* naturae cujus sunt defectus; dividuntur in *universales* et *particulares*, *physicos* et *morales*, *voluntarios* et *ex necessitate*. Defectus *universales* seu *communes* conditionem naturae sequuntur, unde omnibus insunt, ut v. g. passibilitas et mors; *particulares* in quibusdam tantum inveniuntur, eo quod causam particularem habeant in subjecto vel in parentibus, ut v. g. caecitas, febris, hebetudo, etc. *Morales*, seu melius *detrectabiles*, dicuntur qui derogant perfectioni nobilioris partis animae, scil. scientiae vel virtuti, ut v. g. ignorantia, dubium, error, proclivitas ad malum, peccatum. *Physici* seu *indetrectabiles* « defectum scientiae et gratiae non important » [4], ut v. g. sitis, tristitia, dolor, etc. *Voluntarii* seu *assumpti* libere suscipiuntur, ut v. g. incommoda jejunii vel poenitentiae dolores; *involuntarii* seu *contracti* ex necessitate naturae vel ex aliorum malitia proveniunt, ut v. g. vulnus ab inimico illatum.

74. **In Christo non fuerunt passiones, sed propassiones.** Christum vere habuisse affectiones appetitus sensibilis et irascibilis demonstrabimus in thesi, nunc cum S. THOMA considera « quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo quam in nobis, quantum ad tria; primo quidem *quantum ad objectum*, quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicitum, quod in Christo non fuit. Secundo *quantum ad principium*, quia hujusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt judicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis... Tertio *quantum ad effectum*, quia in nobis quandoque non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humanae carni convenientes, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quae conveniebant » [5].

75. **Errores — Veritas.** *Defectu* erraverunt DOCETAE, qui corpus phantasticum tribuentes Christo, passiones et dolores ei denegarunt: hos secuti sunt INCORRUPTICULAE cum JULIANO et GAJANO dicentes humanitatem in Christo ita absorptam fuisse a divinitate, ut impassibilis et immortalis evaserit [6]. *Excessu* peccaverunt MODERNISTAE tribuentes Christo etiam defectus detrectabiles [7]. **Veritas** contra Docetas et Incorrupticulas est proposita in PROF. FIDEI imposita *Waldensibus:* « Christus... Deus.. mandu-

---

[4] S. THOM. 3 p. q. 14 a. 4.
[5] S. THOM. 3 p. q. 15 a. 4.
[6] Supra n. 5.
[7] LOISY *Études Bibliques* 1901 p. 7 sqq.; DECR. *Lament.* pr. 32, 34.

cavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera suae carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, etc. : [8] contra Modernistas in damnatione propr. « Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangeliorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia (scil. sanctitate) et scientia infallibili J. C. » [9].

THES. 11. *In Christo* — 1 *fuerunt defectus et passiones universales indetrectabiles, sed* — 2 *non fuerunt particulares, detrectabiles et involuntarii.*

76. **Prima pars.** *In Christo fuerunt defectus et passiones universales indetrectabiles.* Nam **Scripturae** dicunt quod Christus *defatigatus est* [10], *esuriit* [11], *sitivit* [12], *lacrymas* [13] et *sudorem sanguinis* effudit [14], *flagella* excepit [15], *spinis* coronatus est [16], et, *clavibus* confixus [17], *expiravit* [18] : item referunt Christi *tristitiam* [19], *gaudium* [20], *admirationem* [21], *iram* [22], *desiderium* [23], *amorem* [24], etc. : atqui haec ex communi sententia sunt defectus indetrectabiles et universales corporis et animae nostrae : ergo. ARGUM. 2. *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse (Christus) similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret... diabolum... Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex... repropitiaret delicta populi* [25]. In hoc testimonio agi de passionibus et infirmitatibus Christi, manifestum est, nam « *caro et sanguis* est locutio hebraica, qua denotatur homo infirmus, debilis, passibilis et mortalis » [26] ; *mors* est suprema passionum ; *misericordia,* de qua loquitur Apostolus, experimentum dolorum sequitur [27] ; *assimilatio per omnia* ex sese et ex contextu [28] importat defectus ac naturales passiones, quas iterum revocat *repropitiatio*

---

[8] PROF. FIDEI ab Inn. III prop. *Wald.* ; cf. SYM. APOST. ; DAMAS. *Anath.* 14 a 378 ; LEON. M. ep. dog. *ad Flav.* ; CONC. FLOR. decr. *pro Jacob.*

[9] DECR. *Lament.* pr. 32.

[10] Joan. **4**. 6.

[11] Matth. **4**. 2.

[12] Joan. **19**. 28.

[13] Luc. **19**. 41 ; Joan. **11**. 35.

[14] Luc. **22**. 44.

[15] Marc. **15**. 15.

[16] Marc. **15**. 17.

[17] Joan. **20**. 25.

[18] Luc. **23**. 46.

[19] Matth. **26**. 37-8.

[20] Joan. **11**. 15.

[21] Matth. **8**. 10.

[22] Joan. **2**. 17 ; Marc. **3**. 5.

[23] Luc. **22**. 15.

[24] Joan. **13**. 34.

[25] Hebr. **2**. 14-18.

[26] PADOVANI in *h. l.*

[27] Cf. PADOV. in vers. 17-8.

[28] Nam ostendit convenientiam passionum Christi ex *fraternitate,* qua nobis *passibilibus* conjungitur.

quae fit oblatione in holocaustum pro peccatis nostris. — **Patres** veritatem passionum Christi deducunt *ex Scripturis,* in quibus « non falso utique referuntur » [29]; et probant *ex veritate carnis ejus,* siquidem « qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quae corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur » [30]; *ex passibilitate nostra,* quia « corpus Christi communem habuit cum ceteris substantiam » [31]; *ex mediocritate nostrae naturae,* cui congruebat « ut Verbum incarnatum vim majestatis suae... humilitate temperaret » [32]; *ex incarnationis fine,* siquidem « ut absolutissimum humilitatis esset exemplum, (expertus est) omnia, quae hominum sunt, et oravit et passus est » [33]. Congruentias **rationis** S. THOM. deducit *ex fine incarnationis,* quia vicaria satisfactio exigit ut sponsor poenam peccato alterius debitam in se suscipiat : *ex fide incarnationis,* siquidem passionibus et defectibus ostenditur veritas assumptae humanitatis : *ex exemplo patientiae* quod exhibuit, passiones et defectus nostros fortiter tolerando : *ex debilitate nostra* quae erat sananda, ea siquidem sanavit quae assumpsit.

77. **Secunda pars.** *Defectus particulares, detrectabiles et necessarii non fuerunt in Christo.* Non fuerunt defectus *particulares,* quia hi oriuntur ex debilitate virtutis formativae vel ex culpa personali : atqui Christus de Spiritu S. conceptus, perfectissimam naturam habuit, et, impeccabilis, personali vitio illam corrumpere nequivit : ergo in Christo non fuerunt aegrotationes, « indecorum quippe fuisset eum, qui aliorum morbos curaverat, proprium instrumentum morbis attritum negligere » [34]. — Non fuerunt defectus *detrectabiles,* quia, plenus gratiae et veritatis, ignorantiae et peccatis subjici non potuit [35]. — Non fuerunt defectus *necessarii,* quia virtute theandrica, omnia mala a se poterat arcere [36]. « Naturales passiones nostrae inquit DAMASC., et *secundum* naturam in Christo erant et *supra* naturam. Etenim *secundum naturam* in illo ciebantur, cum naturam pati sineret, quae carni erant propria; *supra*

---

[29] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 9 n. 3.

[30] AMBR. *in Luc.* VII; ATHAN. *De inc. Verb.;* FULG. *ad Regin.,* ep. 18 n. 8; LEO M. *De Nat. Dom.* ser. 1 c. 2.

[31] ATHAN. *De Incarn. Verb.*

[32] TERTUL. *C. Marc.* II, c. 27.

[33] HIL. in *Ps.* **53** n. 7.

[34] ATHAN. *De Verb. incar.*

[35] Plura dicemus agentes de consectariis hypostaticae unionis.

[36] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 9 n. 3; FULG. *ad Regin.* ep. 18 c. 4 n 10; LEO M. ep. 35 *ad Jul.*

naturam autem, quia in Domino, quae naturalia erant, voluntatem minime pervertebant. Neque enim *coactum* quid in eo conspicitur, sed *omnia voluntaria*. Volens enim fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est » [37].

78. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In hac ipsa vita Christus beatifica fruebatur visione : atqui ex beatifica visione sequitur glorificatio corporis, ac proinde ejus impassibilitas : ergo dolores et passiones in Christo esse non potuerunt. **Resp.** Redundantia beatitudinis animae in partes inferiores non est *physica,* « nam alias gratia etiam sanctificans, quae est radix luminis gloriae et immediate inhaeret essentiae animae, immutaret modum essendi corporis, quod constat esse falsum » ; est igitur *moralis* seu ex convenientia, « quatenus rectus ordo requirit ut corpus participet immutabilem animae statum, exigitque ut consequenter ad beatitudinem animae in superiori parte rationis, elevetur etiam pars inferior, secundum quam anima communicatur corpori ut forma materiae » [38] : atqui in Christo mortali *exigentia* immediatae glorificationis corporis non sequebatur beatitudinem animae, quia ipse adhuc erat viator, et pro salute mundi mori debebat : ergo.

79. **Objic. 2.** Eadem potentia non potest simul contrario affectu moveri : atqui potentiae spirituales Christi in hac ipsa vita ineffabili gaudio beatificabantur : ergo dolores spirituales in Christo non fuerunt. **Resp.** *Dolores animae* non impediebantur beatifica visione, quia Christus non cognoscebat res sola scientia beatifica, qua omnia percipiuntur adaequate prout ultimo in gloriam Dei cedunt, sed etiam scientia infusa et acquisita, qua res considerantur in se ipsis, quo modo passiones corporis, despectus, peccata, etc., sunt mala, de quibus dolere quisque potest et debet : sub hoc igitur respectu anima Christi poterat tristari, et tristis facta est usque ad mortem. « Fruitio divinitatis, inquit BILLOT, et dolor seu afflictio intellectivae partis animae Christi, sese mutuo non excludebant. Non ratione *objecti,* quia non erant de eodem secundum idem ; quin imo, tristitia se habebat ut materiale respectu gaudii beatifici [39]. Non ratione *intensitatis,* quia... nulla spiritualis operatio potest impedire aliam, praecise quia intensa est, sicut intensus actus intellectus non impedit intensum actum voluntatis. Non denique *ratione redundantiae,* quia existente in intellectu cognitione beata simul cum apprehensione

---

[37] DAMASC. *De fide orth.* III c. 20.

[38] BILLOT. *De Verb. inc.* p. 241-2. Hinc DAMASC. *l. c.* dicit. quod in Christo beneplacito divinae voluntatis, permittebatur « naturam pati quae carni erant propria ».

[39] Scil. superior pars animae Christi considerans passionem et mortem esse a Deo volitas, et his mundum redimi, de passione et tristitia suae partis inferioris gaudebat.

ingruentium malorum in seipsis, naturaliter in voluntate sequebantur affectus unicuique cognitioni respondentes ac proportionati » [40]. Sicut igitur in superiori coeli parte sol coruscat etiam cum in inferiori nubes ingruunt, fulgura emicant, tonitrua constrepunt et grando segetes devastat; ita in superiori parte animae Christi erat perfecta beatitudo etiam cum inferior tristitia, taedio et moerore afflictabatur.

80. **Objic. 3.** Dicit HILAR.: « Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desevientis excepit »; « fallitur ergo humanae aestimationis opinio, putans eum dolere, quod patitur » [41]: ergo dolores Christi fuerunt apparentes tantum. **Resp.** Non defuerunt theologi qui cum BARONIO de *incorrupticularum* errore incusarent Hilar.; sed qui attendit eum aperte testari veritatem passionum Christi [42], et sub nomine *Christi* aliquando intelligere *Verbum* [43]; cum communiori sententia ita explicabit ejus verba, « ut eis nihil doceatur nisi impassibilitas ipsius Verbi » [44].

81. **Objic. 4.** Martyres in cruciatibus gaudebant: ergo et Christus. **Resp.** Saltem generatim martyrum gaudium erat de gloria Dei, nec impediebat dolores sensuum. Porro paritas non tenet; si enim Adam voluptate cibi vetiti amaritudines mundo intulit, oportebat Christum, gustata morte, dolores nostros mulcere. Ceterum martyres proprium gaudium verbis exultationis pandebant; Christus vero dolores corporis et tristitiam animi gemitibus patefecit.

CAPUT IV.

De persona assumente seu de unione hypostatica.

82. **Capitis divisio.** Locuti sumus de divina et humana natura Christi, manet ut de eorum unione disseramus; et quia naturae uniuntur hypostatice seu ratione personae, dicendum est de unica persona Christi: 1 *praemissis* igitur quibusdam *notionibus* de persona, agemus — 2 *de unitate personae in Christo,* et — 3 *de modo hypostaticae unionis.*

---

[40] BILLOT *l. c.* p. 244-5.
[41] HIL. *De Trin.* X n. 13 et 46.
[42] HILAR. in *Ps.* **53** n. 7; in *Ps.* **68** n. 23; *De Trin.* III n. 10; X n. 9 et ipso n. 10 objecto; *De Syn.* n. 49.
[43] HILAR. *De Trin.* IX c. 9 et 14.
[44] PESCH n. 228.

ART. 1 - NOTIONES PRAEVIAE.

83. **De duplici naturae et personae sensu.** Cum voces sint primo et per se signa *conceptuum,* et his mediantibus *rerum,* in eis distinguere oportet ordinem ad mentem et ad *res.* Haec distinctio parvi sane esset momenti si conceptus semper et necessario res aequarent, sed quia mens nostra *inadaequate* etiam et *abstractive* percipit objecta, saepe contingit quod ordo vocum ad conceptus et ad res valde differat [1], et ideo ad confusionem et errores vitandos, summi refert ut in vocibus distinguamus id quod per se *significant,* et id quod a parte rei *verificat mentis conceptus:* prima dicitur vocum significatio *formalis,* altera *materialis.*

84. **De formali significatu naturae et personae** [2]. NATURA est realitas qua res constituitur in propria specie, dicitur etiam *essentia* seu *quidditas* et definitur *id quo res est id quod est;* SUPPOSITUM seu *persona* [3] superaddit naturae illud omne, quo res fit per se stans seu incommunicabilis; et quia communicabilitas est triplex, scil. *partis, assumptibilis* et *identitatis,* persona est *a)* substantia *completa* seu natura cujus partes, si quae sunt, in unum coëunt, *b)* substantia *prima* seu cum notis individuantibus, et *c)* substantia *individua* seu a quavis altera contradistincta et nulli communicata; unde definitur cum BOËTIO: *Rationalis naturae individua substantia,* vel cum S. THOM.: *Individuum subsistens in natura rationali* [4].

85. **De materiali significatu naturae et personae.** A parte rei NATURA est *substantia prima completa* seu quidditas rei considerata in concreto extra suas causas, ac proinde cum notis individuantibus. Huic naturae PERSONA addit incommunicabilitatem quae in SS. Trinitate constituitur *relatione* inducente oppositionem ac proinde distinctionem divinarum Personarum [5]; in creatis vero debet constitui aliqua realitate absoluta, siquidem est terminus operationis divinae transeuntis, qua res esse absolutum accipiunt. Realitas, qua humana substantia fit

---

[1] Sic v. g. *animalitatis* conceptus idem est in bestia et in homine, sed in homine animalitas rationalitatem includit.

[2] De his plura diximus vol. 2 n. 256 sqq.

[3] *Persona* superaddit *supposito* rationalitatem; prouti vero suppositum consideratur subjectum accidentium, dicitur *hypostasis.* Cf. vol. 2 n. 257.

[4] BOËT. *De duab. nat.* c. 2; S. THOM. III *Dist.* 5 q. 1 a. 3.

[5] Cf. Vol. 2 n. 259.

incommunicabilis in *ratione partis,* communi sententia, est formalis unio animae ad corpus, ex anima enim corpus speciem accipit, et cum illi conjungitur, aliae formae nequit copulari [6]; sed qua realitate natura completa fiat *inassumptibilis,* disputant catholici ipsi. SCOTUS, quem sequuntur TIPHAN., FRANZ., HURTER et PESCH [7], « constituit rationem hypostaseos in negatione dependentiae *actualis et aptitudinalis,* h. e., ut substantia sit nec actu dependens ab altero ut supposito, sicut est humana natura Christi dependens actu, nec ex se postulet talem dependentiam, ut eam postulat anima humana etiam separata » [8]; CAJET., SUAREZ, VASQUEZ, VALENTIA, LUGO cum modernis plurimis [9] dicunt personam superaddere naturae modum substantialem [10], quem vocant *subsistentiam* [11]; CAPREOLUS, PALUDANUS, ZUMEL, et e recensioribus

---

[6] Cf. Vol. 2 n. 487.

[7] SCOT. *in III Dist.* 1 q. 1; n. 9; TIPHAN. *De hypost. et persona* c. 46 sqq.; C. GERDIL *Inst. Log. Met. et Eth.* Ont. q. 1 c. 4; STORCHENAU *Ontol.* sect. III c. 3 § 125 Schol.; FRANZ. *De Verbo Inc.* th. 30; STENTRUP *Christol.* I thes. 31-4; PALMIERI *Ontol.* c. 2 thes. 16; LAHOUSSE *Ont.* p. 2 c. 3 a. 2 § 3; HURTER II n. 533; PESCH n. 86 sqq.; TIL. PESCH *Inst. logic.* n. 1478.

[8] FRANZ. *l. c. thes. 29* p. 256. Argumenta hujus sententiae sunt duo, scil. *a)* quia in Scripturis et apud Patres Christus factus est similis nobis *in omnibus* absque peccato, unde ei deesse nequit creata existentia vel modus substantialis quem alii obtrudunt; *b)* quia ratio personae consistit in independentia ab alio; haec autem formaliter cessat assumptione, quin substantia rei assumptae imminuatur.

[9] CAJET. *in 3 p.* q. 4 a. 2; FERRAR. *in Cg.* IV c. 43; SUAREZ *Metaph.* Disp. 34; VASQUEZ *in 3 p.* q. 4 a. 2 Disp. 31; VALENTIA *in 3 p.* Disp. 1 q. 4 p. 2; LUGO *De incar.* Disp. 12 sect. 2; ZIGLIARA *Ont.* III c. 1 a. 4 n. 9; LIBERAT. *Ont.* c. 2 a. 4; TEPE III n. 871; LORENZELLI *Metaph. Gen.* III lec. 1 n. 5; CAPPELLAZZI *La Persona* c. 3 p 131-210.

[10] Hunc *modum* omnes habent pro complemento substantiali superaddito naturae; sed SUAREZ concipit supervenire naturae existenti, CAJET., FERRARIENS., CABRERA, BANNEZ, JOAN. A S. THOM, etc., intelligunt logice praecedere existentiam, quae supervenit personae reali ut ejus terminus, seu ut *principium quo* persona in rerum natura existit.

[11] Ratio est quod notio personae comprehensior est quam notio naturae, quae ex sese est indifferens ad subsistendum ut in se vel in alio; ut igitur natura in se sit, eget nova perfectione reali et substantiali; *reali* quia realis est distinctio naturae et personae, *substantiali* quia pertinet ad primum esse rei quod accidentibus praesupponitur. — Qui vero hanc realitatem contradistinguunt ab existentia, inde arguunt quod persona spectat ad complementum ipsius substantiae, unde praesupponitur existentiae quae non pertinet ad perfectionem substantiae, sed est principium quo substantia secundum suam perfectionem existit. Neque valet quod posita existentia, natura jam sit in se; hoc enim non probat existentiam creatam esse constitutivum suppositi, sed, utpote supremum actum in linea substantiali, dicere ordinem transcendentalem ad supposi-

SCHIFFINI, BILLOT, DE MARIA, REMER, JANSSENS, MATTIUSSI, LÉPICIER, etc. [12] tenent personam in creatis constitui existentia, prout, recepta in essentia individua, cum ea esse completum constituit [13].

86. **Quae S. Thomae sententia.** Saltem *terminative* S. THOM. ponere existentiam ultimum complementum personae, ita ut unitas personae revocet unitatem existentiae, certum est; sed utrum existentiam fecerit etiam *formalem* constitutivum personae acriter disputatur. Qui affirmant, notant S. THOM. *modum substantialem,* quem primus invexit Cajet., nullibi commemorare, docere e contra quod « *esse* (existentia) pertinet ad ipsam constitutionem suppositi » [14]; ita ut compositio essentiae et existentiae sit « compositio *duorum principiorum* suppositi, quorum essentia est potentia, et esse est actus » [15], et sit impossibile multiplicare *esse* primum unius hypostasis vel personae [16], quia « *esse* est id *in quo fundatur unitas suppositi;* unde *esse* multiplex praejudicat unitati essendi » [17]. Alii reponunt *Summam totius Logicae* esse apocrypham, cetera vero testimonia non loqui de constitutivo *formali,* sed de *terminativo,* quatenus personae debetur existentia ut in ordine rerum consistat [18]: in doctrina quippe S. Thom. persona logice praecedit existentiam quae a persona *habetur* [19]. Subtilem quaestionem definire

---

tum. Si solum *factum* inseparabilitatis existentiae a supposito eorum identitatem evinceret, actum esset de ipsa distinctione essentiae et existentiae, siquidem nulla essentia, ut ut realis, constitui potest in ordine rerum sine existentia et vicissim.

[12] CAPREOL. *III Dist.* 5 q. 3 a. 3 ad 1; PALUD. *III Dist.* 1 q. 1 a. 3; ZUMEL *in 1 p.* q. 3 a. 3 conc. 4; q. 50 a. 2; SCHIFF. *Princ. Phil.* 538 sqq. BILLOT *De Ver. Inc.* p. 72-4; DE MARIA *Phil. perip.-schol.* I p. 544 sqq.; REMER *Sum. Prael. Philos.* I p. 301 sqq.; MATTIUSSI *Scuol. Catt.* Mar. 1898 p. 276 sqq., et in *epist. ad Cappell.* (La Pers. p. 145) in qua citat ANSELMI et MAURI; JANSSENS IV p. 627 sqq.; LÉPICIER *De Ver. Inc.* p. 104 et 109; CROSTA III n. 66.

[13] Ratio hujus sententiae inde sumitur quod « si ad principia constitutiva suppositi creati, puta hominis, animum convertas, facile intelliges duo requiri et sufficere ut verificetur ratio *distincti subsistentis in natura:* primo quidem *individuum naturae,* sive naturam completam, prout ad gradum individualem contrahitur per individualia principia; tum secundo *esse proprium* hujus individui, quod scil. in eo sit receptum ut proprius actus in propria potentia. Ex primo enim horum habetur *distinctum in natura,* quia differentia individualis, puta socrateitas, facit distinctum in specie seu natura humana; ex altero autem habetur subsistens, quia subsistens in creatis nihil aliud est quam substantia habens suum esse proprium in se ». BILLOT *De Verb. Inc.* p. 72.

[14] S. THOM. 3 p. q. 19 a. 1 ad 4.

[15] S. THOM. *Sum. tot. Log. Arist.* tr. 2 c. 2.

[16] S. THOM. 3 p. q. 17 a. 2.

[17] S. THOM. *Quod.* IX a. 3 ad 2.

[18] Cf. CAPPELLAZZI, *La persona nella dott. di S. Tom.* p. 146 sqq.

[19] S. THOM. 3 p. q. 17 a. 2.

non audeo, fateor tamen sententiam, quae ponit *esse* ultimum complementum personae, valde mihi arridere.

87. **Heterodoxae notiones personae.** Licet scholastici doctores disputent de propria ratione qua substantia ultimo fiat individua seu incommunicabilis, tamen conveniunt in hoc quod persona superaddat naturae aliquid absolutum, quo fiat *in se* et *non in alio;* sed philosophi novae scholae personam habent quasi proprietatem et actum naturae. POSITIVISTIS persona est *autonomia* entis quae *operatione* perficitur, MATERIALISTIS *ultimus status evolutionis* materiae [20], SENSISTIS *identitas subjecti* quod manet cum mutantur sensationes [21], CARTESIO *cogitatio animae percipientis suam permanentiam* [22], KANT *conscientia suipsius,* GÜNTHER *natura sui conscia* [23], ROSMINIO *voluntas independens* [24]. Quantum hujusmodi notiones, nomine scientiae obtrusae, a veritate aberrent, vel inde constat quod *a)* contradicunt communi et veluti rudimentali conceptui supposito, exhibenti substantiam undequaque perfectam, quod *b)* personam adimunt amentibus et dormientibus, qui profecto actu conscientiae carent, et quod *c)* corrumpunt dogmata fidei, siquidem, cum in Deo sit unica conscientia et in Christo duplex, güntherianâ sententiâ negatur *trinitas* personarum in Deo et *unitas* personae in Christo [25].

ART. 2 - DE UNITATE PERSONAE IN CHRISTO

88. **Quomodo procedendum.** Cum usque ad saec. 4 voces *natura* et *persona* non habuerint sensum definitum [1], in testimoniis SCRIPTURAE et priorum PATRUM non de *voce* solliciti esse debemus, sed de *re* quae in conciliis et apud Patres posteriores voce *unitatis personae* est significata. Porro contra Nestorium unitas personae in Christo inde est vindicata quod *Deus* et *homo* in Christo non sunt *duo* substantialiter distincti qui voluntatum consensu uniantur, sed *unus* simpliciter: in dictione ergo Patrum persona est substantia completa, in se subsistens, alteri non communicata, quod profecto respondet defi-

---

[20] BOVIO *Filos. del diritto* apud CAPPELLAZZI l. c. p. 14.

[21] LOKE, TRACY, CONDILLAC, VOLNEY apud *Cappellazzi* l. c. p. 29.

[22] Apud *Cappellazzi* l. c.; *Til. Pesch* Inst. Psyc. n. 293.

[23] Apud *Cappellazzi* l. c. p. 30-1.

[24] DECRET. *Post obitum* prop. 27.

[25] Cf. TIL. PESCH *Inst. Psych.* n. 295; BILLOT *De Verb. Inc.* p. 87.

[1] Cf. Vol. 2 n. 260.

nitioni BOËTII. Ni ergo verbis ludere velimus, et sensum constitutionum conciliorum mutare, dogma unitatis personae in Christo non est probandum juxta sensum quem novatores voci *personae* obtruderunt, sed juxta illum quem Scholastici e Patribus derivarunt. Sepositis igitur definitionibus scholae positivae, demonstrabimus esse in Christo unam personam, quatenus est in ipso *unus idemque* qui subsistit in divina et humana natura.

89. **Quid unio hypostatica.** Hypostasis idem est quod persona [2], unde *unio hypostatica* est illa qua plura conjunguntur in una persona. Porro aliter *partes* unius *naturae* uniuntur *in natura*, et *plures naturae* uniuntur *in persona* seu hypostatice. « Natura (enim) significat cum praecisione reliquorum omnium essentiam... et quia quidquid ingreditur essentiam, est quoddam constitutivum talis essentiae, (quo sublato ipsa non manet eadem, sed necessario mutatur in aliam), plura fieri unum in ratione naturae, est plura concurrere inter se ut potentiam et actum, ad constituendam unam essentiam quae est *tertia res* resultans ex praedictorum conjunctione. E contra, unio duorum in persona non est necessario [3] unio ex qua resultat *nova persona*... Non enim omnia quae ingrediuntur personam sive suppositum, ut constitutiva supposita haberi debent [4], quia non omne quod ad distinctum subsistens pertinet, est eo ipso principium quo in ratione hujus subsistentis constituitur... Quare unio in persona recte definiri potest, *conjunctio qua unum est ab alio indivisum secundum suppositum*, sive suppositum ex conjunctione resultet, sive non » [5].

90. **Unio hypostatica** EFFICIENTER, FORMALITER et TERMINATIVE **inspecta.** Cum unio hypostatica consideratur *efficienter* quaeritur de causa qua natura humana, propria personalitate carens, ac proinde ex sese incapax subsistendi, de facto subsistit influxu divinae personae, et respondetur quod quidquid est divini influxus in tali natura ut existere possit, spectat ad *opera ad extra*, ac proinde est commune toti Trinitati, licet per appropriationem dicatur de Spiritu S. [6]. — Cum consideratur *formaliter*, quaeritur de modo quo natura humana est assumpta, et respondetur quod, creatae personalitatis expers, unita est personae divinae, quae ab aeterno subsistens in divina natura, incarnatione subsi-

[2] Cf. Vol. 2 n. 257.

[3] Dicitur *non necessario*, quia cum naturae componuntur, etiam eorum supposita componuntur.

[4] Cf. S. THOM. *III Dist.* 5 q. 1 a. 3; 3 p. q. 2 n. 3. Sic v. g. accidentia pertinent ad personam sed eam non constituunt, et in Christo natura humana est Verbi, licet Verbum non mutetur.

[5] BILLOT *th.* 5 p. 90.

[6] Hinc J. C. dicitur conceptus *de Spiritu S.* Cf. S. THOM. 3 p. q. 3 a. 4.

stere coepit in humana. — Cum consideratur *terminative*, quaeritur de modo quo, tota Trinitate operante naturae assumptionem, Secunda tantum Persona sit assumens, et respondetur quod « nihil prohibet quominus una persona (divina) sine alia *terminet* unionem; ad hoc enim sufficit ut quacumque ex ratione, una (Persona) ab alia realiter distinguatur, cum terminatio reducenda sit ad formalem causalitatem qua *persona unita*, citra omnem efficientiam, sola communicatione sui sustentat assumptum... Cum igitur *assumptio* non solam importet uniendi actionem, sed indivisim consignificet terminum ad quem unio fit, uni et eidem supposito utrumque attribuens: hinc est quod solus Filius dicendus est humanam naturam assumpsisse, non autem Pater nec Spiritus S. » [7].

91. **Hypostaticae unionis inseparabilitas.** Quidquid sit de absoluta *possibilitate* derelictionis humanae naturae assumptae [8]; quoad *factum* tenet commune adagium : *Verbum quod semel assumsit numquam dimisit* [9]. Hoc innuit Symbolum, quo confitemur D. N. *mortuum* et *sepultum descendisse ad inferos* [10], et testantur ATHAN., GREG. Nyss., DAMASC. e Patribus graecis, AUG., LEO M., FULG., ALCUIN. e latinis, dicentes quod « ab ipso exordio virginalis conceptionis sic in Christo personalis unitas mansit, et utriusque naturae inconfusae veritas perduravit, ut *nec homo a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari*... et licet in Christi morte

---

[7] BILLOT *th. 11* p. 158; S. THOM. 3 p. q. 3 a. 2.

[8] Cum natura assumpta careat propria personalitate; si relinqueretur a Verbo, creatam subsistentiam accipere deberet ut in ordine rerum existentium permanere posset.

[9] De *sanguine effuso* in passione, vetitum est « disputare, praedicare... quod haereticum vel peccatum sit tenere... sanguinem... triduo passionis ejusdem D. N. J. C. ab ipsa divinitate quomodolibet *fuisse* vel *non fuisse* divisum vel separatum, donec... fuerit per sedem apostolicam definitum » (PIUS II a. 1464). Nunc theologi communissime tenent unitum fuisse divinitati Christi sanguinem qui mansit in corpore (TEPE *De Verb. inc.* n. 907), sed non omnes particulas ejus quae efflu-xerunt; quod profecto tenendum est de guttulis quae asservantur in sanctuariis, siquidem Christus resurgens a mortuis, ea quae pertinebant ad integritatem suae naturae, eidem conjunxit. Quapropter « sanguinis reliquiae... adorandae sunt, sicut ejus *vestis* adoratur, quae contactu membrorum ejus nobilitata est, non autem sicut illius propria caro aut proprius sanguis in Eucharistia ». (LÉPICIER *De Ver. inc.* p. 275-7).

[10] Profecto *corpus* est sepultum et *anima* descendit ad inferos; si ergo *Dominus* est sepultus et descendit ad inferos, profecto Dominus erat corpus et Dominus anima, quod hypostatica tantum unione ad Verbum fuit possibile.

carnem morientem fuisset anima desertura, divinitas tamen Christi nec ab anima, nec a carne posset separari suscepta »[11]. Quod autem in triduo mortis non contigit, neque in futuro fiet; Christus *(homo-Deus)* enim qui immortalis resurrexit[12], regnabit in aeternum[13], secundum illud Apostoli: *Jesus Christus heri et hodie ipse et in saecula*[14].

92. **Persona Christi estne composita?** VOCEM respuit TIPHAN.[15], quasi contradiceret locutionibus PP. et CC., sed merito admittit FRANZ., quia « conciliorum et Patrum modus loquendi, quo non solum *Christus* compositus dicitur sed disserte *hypostasis Christi* composita esse docetur, tam constans est, et adversus haereticos... inde a saec. 5 tam frequenter et asseveranter adhibitus, ut eam damnare nullo modo fas sit »[16]. De RE nullum dubium, nam « persona sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari: uno modo *secundum illud quod est in se,* et sic est omnino simplex, sicut et natura Verbi; alio modo *secundum rationem personae* seu hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi *unum subsistens,* est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi: et sic dicitur persona composita in quantum unum *duobus subsistit* »[17].

93. **Errores — Veritas.** Unitatem personae in Christo jam negaverat CERINTHUS dicens Jesum filium naturalem Mariae in quem baptismi tempore descendit Verbum. Eum secutus est PHOTINUS et dein THEOD. Mops. qui dixit Jesum propriis operibus meruisse inhabitationem Verbi ad ultimum complementum perductam in resurrectione. Pater tamen hujus haeresis habetur NESTORIUS qui unionem moralem inter Jesum et Verbum statuit. Post HUSS, nostris temporibus nestorianam haeresim renovarunt GUNTHERIANI unionem *formalem et dynamicam* obtrudentes, ROSMINI explicans *subordinatione humanae voluntatis* quae a divina movebatur, et MODERNISTAE unionem intelligentes de *sensu* seu *conscientia* divi-

---

[11] FULG. *ad Thras.* III c. 16; ATHAN. *De salut. adv. J. Ch.;* GREG. Nyss. *C. Enom.,* 1; DAMASC. *De fide orth.,* III, c. 27; AUG. *Expl. Symb.;* in 1 *Corinth.* **2.** 8; in *Luc.* **23.** 43; epist. *ad Dardan.;* LEO M. serm. 68 *De Pass. Dom.* 17 n. 1; ALCUIN. *De Trin.* III c. 16; S. THOM. 3 p. q. 50 a. 2 et 3; PESCH n. 155; JANSSENS *l. c.* p. 841 sqq.

[12] Rom. **6.** 9.

[13] Luc. **1.** 31 sqq.

[14] Hebr. **13.** 8.

[15] TIPHAN. *De hyp. et pers.* c. 64-5.

[16] FRANZ. th. 36, p. 323.

[17] S. THOM. 3 p. q. 2, a. 4; SATOLLI *De Verb. Inc.* p. 1 q. 2 conc. 4.

nitatis vel de *receptione* divinae *bonitatis* [18] — **Veritas** est definita in CONC. EPHES. : « S. q. non confitetur carni secundum substantiam (καθ' ὑπόστασιν *hypostatice*) *unitum* Dei Patris Verbum, *unumque* esse Christum cum propria carne, eundem scil. Deum simul et hominem ; a. s. ». Et iterum : « S. q. in uno Christo *dividit substantias* (ὑποστάσεις *hypostases* seu personas) post unitionem, sola eas connexione conjungens, quae secundum *dignitatem* fit vel etiam *auctoritatem* et *potestatem* ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem, a. s. » [19].

THES. 12. *In Christo — 1 una est persona, — 2 eaque divina, — 3 scil. Verbum.*

94. **Prima pars.** *In Christo una est persona.* **Ex Scripturis** triplex argumentum desumitur, scil. ex *unitate Christi,* ex *identitate subjecti* de quo humana divinaque efferuntur, et ex *communione idiomatum.* 1 ARG. *Ex Christi unitate.* Quod est simpliciter seu substantialiter unum, est unum suppositum seu una persona ; suppositum enim est distinctum subsistens in natura, unde multiplicatis suppositis multiplicantur *distincta* et in creatis *entia :* atqui in Scripturis Christus praedicatur absolute, perfecte et substantialiter unus : ergo. PROB. MIN. *a)* Nam dicit JOAN. *Verbum caro factum est* [20] : atqui quod factum est aliquid, est illud quod factum est : ergo *Verbum est* caro seu *homo :* atqui verbum *est* facit identitatem subjectum inter et praedicatum propositionis, ac proinde ostendit perfectam unitatem eorum quae subjecto et praedicato exprimuntur : ergo *Verbum* et *homo* in Christo sunt *unum* simpliciter seu substantiale [21]. *b) Omnis qui confitetur quoniam Jesus est Christus ex Deo natus est* [22]. Hic iterum JOAN. identitatem ac proinde unitatem profitetur *Jesum* inter et *Christum :* atqui *Jesus* est *homo,* Christus est *homo-Deus :* ergo unus idemque sunt homo et Deus [23]. — 2 ARG. *Ex identitate subjecti* de quo efferuntur prae-

---

[18] Supra n. 5.

[19] CONC. EPHES. cn. 2 et 3 ; CONC. TOL. a. 447 ; CHALCED. a. 451 ; CP. II a. 553 ; TOLET. XI a. 675 ; CP. III a. 680 ; LATER. IV a. 1215.

[20] Joan. **1.** 14.

[21] Cf. S. THOM. *Cg.* IV c. 34. Attendas praedicatum *homo* esse substantiale.

[22] 1 Joan., **5.** 1. *NB.* Hoc testimonium non tenet juxta graec. qui legit : *Qui non confitetur Jesum in carnem venisse ;* lectio tamen Vulgata, quae communis est apud latinos, defenditur a FRANZ. p. 89 in nota.

[23] Conclusio est manifesta, nam *pars* non dicitur per identitatem *(est)* de *toto,* neque vicissim. Idem argu-

dicata divina et humana. Cum enim suppositum sit supremum in linea substantiae, de eo enuntiantur omnia quae in re inveniuntur et in propositionibus semper locum subjecti occupat [24]: atqui in Scripturis de uno eodemque, quod subjecti propositionis locum occupat, efferuntur praedicata divina et humana seu quae spectant Christum Deum et Christum hominem: ergo in Christo unum idemque est subjectum omnium praedicamentorum, ac proinde unum suppositum seu una persona. PROB. MINOR. *a)* Ex praedictis de divinitate et humanitate Christi; ibi enim vidimus praedicata divina *Deus, Dominus, Jahve, El gibbor* (Deus fortis), *Emmanuel, creator, sanctificator,* etc. efferri de illo ipso qui dicitur *Jesus, filius hominis, Messias, nobis natus,* qui *de torrente in via bibet,* etc. *b)* In particulari legimus: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre. — Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo. — Quod promiserat... Filio suo, qui est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est* (h. e. manifestatus) *Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. — Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* [25]. Jamvero in primo testimonio de *Verbo* vel de *Verbo carnem facto* dicitur quod *habitavit in nobis* et *visus est* quae sunt praedicata humana, et quod habet *gloriam* quasi *Unigeniti a Patre* quod est praedicatum divinum. In secundo de *Filio hominis* non solum effertur praedicatum ambiguum *qui est in coelo* [26], sed praedicatum certe divinum *qui descendit de coelo,* et praedicatum certe humanum *qui ascendit in coelum* [27]. In tertio identitas subjecti patet ex pronomine *qui* repetito, quod tenet locum ejusdem nominis *Filii Dei,* et in primo commate suscipit prae-

---

mentum deducitur ex 1 Joan. **4**. 3: *Omnis qui solvit Jesum ex Deo non est;* nam *solvit* Jesum seu Christum (ut patet ex contextu), qui in eo dividit hominem a Deo, quasi esset *duo* et non *unus* tantum.

[24] Cf. Vol. 2 n. 257.

[25] Joan. **1**. 14 — **3**. 13 — Rom. **1**. 2-4 — **9**. 5. Cf. etiam Phil. **2**. 6-11 quod testimonium, ut ostendit FRANZ. p. 134, est parall. Joan. **1**. 14. De sensu testimoniorum diximus n. 38 sqq., nunc de *unitate subjecti* agimus.

[26] Quidam intelligunt de divinitate, alii de beatifica visione, ut infra dicetur.

[27] *Deus* per antonomasiam dicitur *inhabitare* coelum, unde in coelum *ascendere* nullo modo dici potest: *humanitas* vero de coelo non *descenderat,* quia Christus *corpore* nondum ascenderat in coelum, et *anima* numquam peccaverat.

dicatum humanum *(ex semine David)*, in altero praedicatum divinum *(Filius Dei in virtute)*. In quarto pronomen *qui* refertur ad Christum, de quo in prima propositionis parte dicitur quod est *ex patribus*, in altera quod est *super omnia Deus*. — 3 ARG. *Ex communione idiomatum*. Nam in Scripturis saepe humana de Deo et divina de homine praedicantur : atqui haec communio idiomatum supponit unitatem personae in Christo : ergo PROB. MAJOR. *Humana de Deo* praedicat Petrus exprobrans Israëlitas quia *auctorem vitae interfecerunt* [28], Paulus docens principes hujus mundi *Dominum gloriae crucifixisse* [29], Joannes testificans se *vidisse* et *manibus contrectasse Verbum vitae, quod ab initio erat apud Deum* [30]. *Divina de homine* efferunt Scripturae cum de visibili homine [31] dicunt quod *descendit de coelo* [32] et *est antequam Abraham fieret* [33]; de coelo enim descendit tantum qui habitat in altissimis Deus [34], et solus Deus temporum differentiam sua aeternitate ignorat [35]. Divina de homine etiam Paulus annuntiat cum de illo, per quem Pater *locutus est nobis* (scil. de homine Christo), dicit quod est *splendor gloriae et figura substantiae ejus* (Patris), *portans omnia verbo virtutis suae* [36]. PROB. MIN. Nam divina de homine et humana de Deo praedicari nequeunt, nisi praesupposita reali eorum identitate [37] : atqui identitas Deum inter et hominem accidentalis esse non potest, quia in Deo non sunt accidentia : ergo est substantialis, ac proinde in natura vel persona : atqui homo idem esse nequit cum Deo in natura, quia hoc induceret pantheismum : ergo, cum datur communio idiomatum, Deus et homo sunt idem in persona.

95. **Patres** POST-EPHESINI uno ore cum AUG. fatentur quod « quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scil. rationalis et caro, ita est Christus una persona, Verbum et homo » [38].

---

[28] Act. **3**. 15.

[29] 1 Corinth. **2**. 8.

[30] 1 Joan. **1**. 1-2; ev. **1**. 1-18; Act. **20**. 28.

[31] Solus homo potest *ascendere* in coelum.

[32] Joan. **3**. 13.

[33] Joan. **8**. 58.

[34] Ps. **113**. 3; Eccl. **24**. 7; Luc. **2**. 14.

[35] Cf. vol. 2 n. 138.

[36] Hebr. **1** 2-3. His verbis efferri *divinitatem, consubstantialitatem* cum Patre et *omnipotentiam*, videbis apud PADOVANI in *h. l.*

[37] Nam verbum *est* identitatem manifestat inter subjectum et praedicatum.

[38] AUG. *Enchir.* c. 36; SYMB. ATHAN.; CYRIL. Alex. *C. Nest.* I c. 1.

Quoad Patres ANTE-EPHESINOS notandum imprimis concil. Ephes. et Oecum. VI contra Nestorium adduxisse NICAEN. cujus fides et non alia erat subscribenda [39]. Accedunt aperta testimonia. Profecto unitas personae effertur *absoluta unitate* Christi, *substantiali unione* carnis ad Verbum, *identitate subjecti* praedicamentorum utriusque naturae, et *communicatione idiomatum:* atqui his omnibus modis Patres explicant unionem Verbi ad humanam naturam: ergo. PROB. MIN. *a) Absolutam* seu *substantialem unitatem* Christi docent SYMBOLA, cum fidem profitentur in *unum* D. N. J. C. [40]; unitas enim haec non minus proprie est intelligenda, quam quae in praecedentibus *(in unum Deum)* est dicta de unitate *substantiae* SS. Trinitatis; unde IREN. cum GREG. Naz. et EPIPH. dicebat: « Si alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit et alter quidem natus est, alter vero in eum, qui natus est, descendit et rursus reliquit eum, non *unus,* sed *duo* monstrantur... *unum* autem eum, et qui natus est et qui passus est, novit Apostolus » [41]. *b) De unione substantiali naturae humanae ad Verbum* Patres reddunt testimonium dicentes cum ATHAN., AMPHIL., EPIPH. GREG. Naz. divinitatem « *secundum substantiam copulatam fuisse et copulari* (humanae naturae) » [42], vel cum JUST. M. et GREG. Nyss. Verbum assumpsisse humanam naturam *ad instar formae substantialis* [43], ac proinde, ut HIPPOL. ait, « carnem seorsum a Verbo non potuisse subsistere, quia in Verbo habebat consistentiam » [44]. *c) De unitate subsistentis in duabus naturis* loquuntur IREN., MELIT., ATHAN. et GREG. Naz.: « Discite insensati, inquit IREN., quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui habitavit in nobis, *idem ipse* est Verbum Dei »; et ATHAN.: « Deus cum esset et homo factum esset (Verbum), *ut Deus* excitabat mortuos; *prout* autem *gestabat corpus,* sitiebat, laborabat, etc. ». Similiter GREG. Naz.: « *Aliud* et *aliud* sunt ea ex quibus Salvator..., non tamen *alius* atque *alius*...

---

[39] CONC. EPHES. act. 6; OECUM. VI act. 3.

[40] In formulis orientalibus fere semper additur εἰς ἕνα, cum vero omittitur, sensus non mutatur, quia de uno eodemque praedicata divina et humana efferuntur.

[41] IREN. *Adv. haer.* III c. 16 n. 9; GREG. Naz. ep. 1 *ad Cledon;* or. 51; EPIPH. *Anc.* n. 120.

[42] GREG. Naz. ep. 1 *ad Cledon.;* ATHAN. *C. Apol.* 1 n. 12; AMPHIL. or. *in Nativ. Chr.* n. 4; EPIPH. *Ancor.* n. 120; *Haer.* 20 n. 4; 77 n. 29.

[43] JUST. M. *Apol.* 1 n. 5; GREG. Nyss., *C. Eunom.*

[44] HIPPOL. *C. Noë.* n. 15.

Porro aliud et aliud dico, contra quam in Trinitate res habet [45]. Illic enim alius atque alius, ne *personas* confundamus, non autem aliud atque aliud, quoniam tria quoad *divinitatem* (naturam) unum idemque sunt » [46]. *d) Communicatio idiomatum* communissima est apud Patres. CLEM. ROM. passionem Christi vocat *passionem Dei;* Auct. EP. BARN. ait : « *Dominus* sustinuit *pati* cum sit Dominus omnium » ; IGNAT. M. : « Amor meus crucifixus est », « *Deus* noster J. C. *in utero gestatus est* a Maria » ; MELIT. sard. : « *Deus passus est* a dextra Israëlitica » ; TERTUL. : « Nonne vere *crucifixus est Deus* ? » [47]. **Confirmatur** testimonio judaeorum et ethnicorum christianis exprobrantium non quia adorabant Deum inhabitantem Jesum, sed quia *hominem* adorabant, et *Deum* dicebant natum, crucifixum, etc. Nec ideo christiani de calumnia sunt conquesti, sed potius « coram tyrannis profitebantur *Filium Dei,* Verbum veritatis, qui vocatur *J. C.* (S. Achatius); J. C. Filium Dei, cujus *adventus* praedicatus est a prophetis, cujus *divinitas* infinita (S. Justinus); Christum *Deum crucifixum* (S. Ignatius); creatorem coeli et terrae, qui *crucifixus* est (S. Pionius); *sempiternum* D. N. *crucifixum* et qui *resurrexit* (S. Epipodius) » [48].

96. **Ratio theologica** desumi potest : *a) ex adoratione* quae Christo visibili ac proinde homini redditur; si enim natura humana non subsisteret ex hypostasi Verbi, terminus cultus esset pura creatura, quae nequit adorari. Item *b) ex incarnationis fine;* ideo enim factus est homo Deus, ut pretio magno nos redimeret; sed si humana natura non esset hypostatice unita Verbo, meritum Christi non esset infinitum; siquidem *qua Deus* Christus non satisfacit sed satisfactionem accipit; *qua homo* ejus opera, precisione facta a persona divina, sunt opera purae creaturae quae meritum infinitum non habent.

97. **Secunda pars.** *Christi persona est divina.* Constat ex Patribus qui cum ATHAN. unitatem Christi ita explicant quod « formam servi ipsum *Verbum suam propriam fecit*... et caro facta

---

[45] Attendas quomodo *alium* (masculinum) dicat de persona, *aliud* (neutrum) de natura.

[46] IREN. *Adv. haer.* 1. c. 9 n. 3; MELITO *Fragm.* 7; ATHAN. ep. 4 *ad Serap.* n. 14, GREG. Naz. ep. 1 *ad Cledon.*

[47] CLEM. *Rom.* ep. 1 *ad Corinth.* n. 2; Epist. BARN. c. 5; IGNAT. M. ep. *ad Rom.* n. 7; *ad Ephes.* n. 18; MELITO *Frag.* 8; TERTUL. *De Carne Chr.* c. 5.

[48] FRANZ. *th.* 16 n. 149.

est secundum naturam *propria Dei* »[49]. Ceterum hoc evidenter sequitur : *a) ex immutabilitate Verbi* quod ex unione ad humanam naturam cessare non potest ab eo quod erat : *b) ex permanentia* duarum *naturarum,* siquidem compositio personae praesupponit compositionem naturarum : *c) ex adoratione* Christi, quia adoratio divinae tantum personae debetur : *d) ex communione idiomatum,* quia divina de homine praedicari nequeunt ratione naturarum, quae distinguuntur, unde dici debent ratione personae divinae quae, in humana natura subsistendo, ejus praedicata recipit.

98. **Tertia pars.** *Christi persona est secunda SS. Trinitatis.* Non repugnat quod alia e divinis Personis humanam naturam assumpserit, imo quod tota Trinitas hypostatice conjuncta fuerit eidem numero naturae[50], sed ex fide constat quod secunda tantum est incarnata. Revera **Scriptura** Christum vocat nominibus propriis secundae Personae, scil. *Verbum* et *Filium Dei;* eumque distinguit a Patre qui *misit* Filium suum in mundum[51], et a Spiritu S. qui ante glorificationem Christi *nondum erat datus*[52] quemque Christus insufflavit super Apostolos[53] ac *misit* a Patre[54]. — **Patres** *a)* humana praedicata numquam efferunt de Patre vel de Spiritu S.; *b)* aperte docent *Verbum* seu *Filium Dei,* esse incarnatum[55], atque *c)* incarnationis secundae Personae prae aliis multiplicem convenientiam pandunt[56]. — **Rationis** congruentias dedimus n. 14.

99. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *Unam* esse *personam* in Christo primis fidei temporibus non credebatur, sed saec. 5 in CONC. EPHES., juxta temporum *scientiam,* est propositum : ergo, scientiis progressis et notione personae mutata, unitas personae in Christo sustineri non debet. **Resp.** Non de *nomine* est nostra quaestio, sed de *re,* scil. de unitate substantiali Christi et de reali unione humanae naturae ad Verbum, a quo ita est assumpta, ut nonnisi per eum subsistere valeat. Hic est *sensus* definitionis CONC. EPHES., in quem cadit definitio, quique est immutabilis et continetur in Scripturis et fide priorum christianorum. Quod si per se loquendo mutatio *vocum*

---

[49] ATHAN. *C. Apol.* I n. 12.

[50] S. THOM. 3 p. q. 3 a. 4 et 5; BILLOT *th. II.* schol. p. 165; JANSSENS IV p. 224 sqq.; LÉPICIER *De Verb. Inc.* p. 194 sqq.

[51] Joan. **3**. 17; 34 etc.

[52] Joan. **7**. 39.

[53] Joan. **20**. 22.

[54] Joan. **15**. 26; **16**. 7.

[55] Testimonia dedimus n. 95.

[56] ATHAN. *De inc. Verb.* n. 3; AUG. *in Joan.* tr. 2 n. 15; *De Trin.* II c. 5 n. 7; GENNAD. *De dogm. eccl.* c. 2; FULG. *De Fide ad Petr.* c. 2 n. 7; LEO M. *Serm.* 64 *De pass. Dom.* 13 c. 2 apud PESCH n. 378-30.

non repugnat, in nostra tamen quaestione non est toleranda, *a)* quia confusionem induceret, *b)* quia inde facile corrumperetur sensus, *c)* quia Ecclesia ad aequivocationes vitandas sensum vocis personae sua auctoritate sacravit. Scientiarum progressus non consistit in inventione novarum vocum et praecedentium immutatione, sed in naturae scrutatione et fidei clariori perceptione [57].

100. **Objic. 2.** Persona est *rationalis naturae individua substantia:* atqui humana natura Christi est substantia rationalis et individua: ergo. **Resp.** « Cum substantia *individua,* inquit S. THOM., sit quoddam completum per se existens, humana natura in Christo, cum sit assumpta in personam divinam, non potest dici *substantia individua,* quae est hypostasis; sicut nec manus, nec pes, nec aliquid eorum, quae non subsistunt per se ab aliis separata » [58].

101. **Objic. 3.** Persona superaddit naturae dignitatem et excellentiam: atqui humanitas Christi non est inferior nostra: ergo est persona. **Resp.** « Personalitas in tantum pertinet ad utilitatem alicujus rei et perfectionem, in quantum ad dignitatem et perfectionem pertinet quod *per se subsistat* [59]. Dignius autem est alicui, quod existat in aliquo digniori, quam quod existat in se. Et ideo ex hoc ipso humana Christi natura dignior est in Christo, quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens *propriam personalitatem* habet, in Christo autem *existit in persona Verbi* » [60].

102. **Objic. 4.** Si in Christo esset unica persona, divinitas esset passa et mortua [61]: atqui hoc repugnat: ergo. **Resp.** Cum nomina abstracta praedicentur de *naturis,* ex unitate personae non sequitur divinam *naturam* esse mortuam, sed *Deum* esse passum et mortuum, quod juxta Scripturas et Patres est affirmandum.

ART. 3 - DE MODO HYPOSTATICAE UNIONIS.
(CATHOLICORUM DISPUTATIO).

103. **De modo unionis hypostaticae sententiae plurimae.** Consequenter ad ea quae docent de materiali significatione personae, catholici theologi disputant de modo unionis seu de ratione qua realis et concreta natura humana conjuncta est Verbo. FRANZ. post SCOT. et TIPHAN. docet quod « non defectu ad imperfectius, sed profecto ad perfectius humana natura Christi elevata est supra rationem hypostaseos

---

[57] Cf. Vol. 1 n. 510 sqq.

[58] S. THOM. *De Pot.* q. 9, a. 2; Cf. 3 p. q. 2 a. 2 ad 3; BILLOT p. 69.

[59] Scil. sit tota in se.

[60] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 2 ad 2.

[61] NESTOR. apud *Hergenr.* II p. 231.

in se subsistentis »[1]; scil. natura Christi habens quidquid realitatis est in ceteris personis humanis, est sola natura, quia Verbum divino quodam influxu ad se traxit et substantialiter suam fecit. SUAREZ docet quod natura humana Christi non est persona quia ei deest modus creatae subsistentiae, conjungitur autem Verbo modo quodam substantiali, quo realem relationem naturae assumptae accipit[2]. BILLOT, SCHIF., SATOL., JANS., etc., tenent humanam naturam Christi non esse personam quia caret creata existentia, substantialiter vero uniri Verbo quia ab ipso habet quod existat[3].

THES. 13. *Unio hypostatica — 1 non videtur explicanda formali assumptione, qua humana natura in Christo novam perfectionem accipiat, — 2 neque modo quodam substantiali unionis, sed — 3 unitate τοῦ esse existentiae.*

104. **Prima pars.** *Unio hypostatica non explicatur perfectione superaddita naturae subsistenti.* Nam ubi est tota realitas entis, ibi est ens; si ergo humana natura Christi habet quidquid realitatis est in humana persona, est persona et non natura tantum. Neque valet assumptione novam perfectionem accipere qua fit Verbi, nova enim perfectio non destruit praecedentem, et ex communi sensu natura est quid minus quam persona, et non e converso. CONFIRMATUR, nam terminus assumptionis[4] non constituitur talis vi ipsius assumptionis, sed praesupponitur ei: si igitur humanitas Christi deficit a ratione personae formaliter quia assumpta, *antecedenter*[5] ad assumptionem esset *persona,* unde dici non posset Verbum *assumpsisse naturam,* sed assumpsisse personam humanam seu *hominem* quem fecit naturam; hoc autem manifeste absonum est, et improbatur a S. THOMA[6].

105. **Secunda pars.** *Unio hypostatica non explicatur peculiari* MODO *unionis.* Nam *a)* ut taceamus hujusmodi *modos* sine sufficienti ratione obtrudi, et *b)* naturam creatam ex se existentem esse personam[7], *c)* cum modus unionis recipiendus esset in sola natura humana,

---

[1] FRANZ. *th. 31 p.* 268.

[2] Attendas CAJET. et generatim thomistas defectum personae creatae in Christo deducere quidem ex privatione modi subsistentiae, sed unitatem hypostaticam explicare unitate *τοῦ* esse existentiae.

[3] Allegationes dedimus supra n. 85.

[4] Scil. res assumpta.

[5] Profecto non *tempore* sed *ordine logico;* licet enim FRANZ. *th. 31* p. 283-4 possibilitatem assumptionis naturae praeexistentis admittat, cum ceteris docet naturam assumptam a Christo non praeextitisse separatam a Verbo, sed tunc esse conditam, quando est assumpta.

[6] S. THOM. *III Dist.* 6 q. 2 a. 1; 3 p. q. 4 a. 3.

[7] Nonne natura sola existentia, sine modo subsistentiae, ut concedit etiam SUAREZ, posset constitui in se extra suas causas, et sic notas definitionis S. Thomae explere?

unio hypostatica foret *solius relationis*, similis ei qua creatura pendet a creatore, ideoque accidentalis tantum. *d)* Accedit quod in sententia SCOTI et SUAREZ necesse est ponere in Christo duo *esse* (duas existentias) substantialia : « impossibile est (autem) quod *unum aliquod* habeat duo *esse* substantialia; quia unum fundatur supra ens; unde si sint plura *esse*, secundum quae aliquid dicitur *esse simpliciter*, impossibile est quod dicatur unum » [8]; quod enim « advenit post *esse completum*, accidentaliter advenit nisi trahatur in communionem illius esse completi » [9].

106. **Tertia pars.** *Unio hypostatica explicanda videtur unitate existentiae.* Profecto tria ex fide tenenda sunt de hypostatica unione : scil. naturam humanam esse perfectam, non esse personam, et substantialiter uniri Verbo : atqui haec, in sententia quam defendimus, salvantur : ergo [10]. PROB. MINOR. Salvatur *perfectio humanae naturae* quia existentia realiter differt ab essentia [11]; unde carentia existentiae creatae in Christo non officit integritati et perfectioni naturae assumptae [12]. Salvatur *defectus personae humanae* quia humanitas Christi non actuatur existentia creata, quae est constitutivum personae creatae [13]. Salvatur *unitas substantialis* quia haec fundatur in identitate principii communis utrique extremo, et in hac sententia una est existentia Christi, scil. divina qua humana ipsa natura existit; « non est autem inconveniens quod *esse* unius subsistentis sit per respectum ad plura, sicut *esse* Petri est unum habens tamen respectum ad diversa principia constituentia ipsum » [14]; unde etiam « corpus in resurrectione adveniet animae praeexistenti » [15], quin inde sequantur duo entia : similiter

---

[8] S. THOM. *III Dist.* 6 q. 2 a. 2.

[9] S. THOM. 3 p. q 2 a. 6 ad 2.

[10] Si quaeris quomodo existentia divina possit supplere existentiam creatam, respondeo esse mysterium; illustratur tamen a S. THOM. (*Comp. theol.* c. 201) exemplo beatificae visionis, ubi divina essentia supplet defectum speciei creatae, qua semper informatur intellectus noster ut in actum prosilire possit. — *NB.* FRANZ. *th. 34* p. 303, et BILLOT *De Verb. Inc.* p. 132 suas oppositas sententias probare contendunt auctoritate Patrum, sed aestimo Patres de subtili hac questione ne cogitasse quidem.

[11] SCHIFFINI, *Princ. Phil.* n. 588 sqq.

[12] FRANZ. *objicit* existentiam esse proprietatem naturae (*l. c.* p. 303), nec esse salvatum quod non est assumptum (*l. c.*, p. 271). *Resp.* existentiam non esse proprietatem naturae, quae ex illa fluat, sed quae aliunde provenit (Cf. Card. PALLAV. apud SCHIFFINI, *Princip. Phil., th.* 20, p. 628); sanata vero est etiam humana persona, quin sit assumpta. — Adagium e Patribus derivatum intelligi debet de perfectionibus *intrinsece* pertinentibus ad naturam ipsam.

[13] Supra n. 85. not. 13.

[14] S. THOM. *III Dist. l. c.*

[15] S. THOM. 3 p., q. 2 a. 6, ad 2.

ergo « suo modo *unum esse* Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam alterum ad divinam » [16]. CONFIRMATUR AUCTORITATE S. THOMAE, qui aperte docet quod « *esse est id* in quo fundatur *unitas suppositi:* unde esse multiplex praejudicat unitati suppositi » [17] quare proposita quaestione *utrum in Christo sit unum esse,* respondet affirmative, dicens quod « opinio (quae in Christo) ponit unum subsistens et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae [18], oportet quod ponat *unum esse* » [19].

CAPUT V.

De consectariis unionis hypostaticae.

107. **Quaestionis momentum.** MODERNISTAE, etsi verbo tenus divinitatem quamdam Christi fateantur, *hominem* tamen ita *Deum* concipiunt ut ex personali unione ad Verbum humanitas Christi perfectionem suprahumanam non acceperit [1]; contra istos de consectariis hypostaticae unionis agemus, dicentes *a)* de modo loquendi, seu — 1. *de communione idiomatum: b)* de his quae spectant unitatem personae seu — 2. *de divina filiatione* et — 3. *de adoratione Christi: c)* de duarum naturarum inconfusione seu — 4. *de perfectione utriusque naturae* ac — 5. *de duplici voluntate:* tandem *d)* de perfectione naturae assumptae seu — 6. *de scientia creata* et — 7. *de gratia Christi.*

---

[16] S. THOM. *III Dist.* 6 q. 2, a. 2.

[17] S. THOM. *Quod.* IX a. 3 ad 2.

[18] Hanc sententiam S. THOM. 3 p. q. 2 n. 6 dicit *catholicae fidei.*

[19] S. THOM. *III Dist.* 6 q. 2 a. 2; q. 3 a. 2; 3 p. q. 2 a. 6; ad 2; 17 a. 2; *Quod.* IX a. 3. — *NB.* FRANZ., *th. 34* p. 307, opponit S. THOM. loqui de *esse hypostatico* et non de *esse existentiae,* sed frustra; nam S. Doctor qui triplicem *esse* saepe distinguit, scil. *verbi, essentiae* et *existentiae,* numquam addit *esse hypostasis,* quod semper convertit cum *esse existentiae.* In citatis testimoniis S. THOM. de illo *esse* loquitur *a)* quod « est *actus entis* resultans *ex principiis rei,* sicut lucere est actus lucentis » (S. THOM. *III Dist.* 6 a. 2), *b)* quod opponitur esse accidentali (S. THOM. *l. c.*), *c)* quod in Deo identificatur cum essentia (S. THOM. *l. c.* ad 2; 3 p. q. 17, a. 2 ad 3) : atqui *esse* hujusmodi est esse existentiae, quam S. Thom. in creaturis realiter distinguit ab esse essentiae. *d)* Accedit quod in *Compendio theol.* c. 212, unitatem *esse* in Christo *opinanter* proponit (« *Videtur* dicendum quod in Christo sit tantum *unum esse* »), quod profecto non faceret si de *esse hypostatico* formaliter inspecto loqueretur; esse enim in Christo *unam hypostasim* est de fide et non probabilis opinio.

[1] DECRET. *Lament.* pr. 34, 35.

Art. 1. — De communione idiomatum.

108. **Quid communio idiomatum.** *Idioma* proprie loquendo est lingua alicujus nationis, metaphorice autem « a theologis dicitur id, quod est alicui naturae ita proprium, ut de habente natura praedicari possit » [2]; quapropter idiomatum communicatio seu permixtio est *mutua praedicatio proprietatum seu attributorum divinorum et humanorum in Christo,* et consistit in hoc quod de *Verbo* enuntientur quae conveniunt *homini* [3], et de *Christo homine* efferantur quae sunt *Dei* [4], ac tandem de *uno eodemque* Christo simul dicantur praedicata humana et divina [5].

109. **Factum communionis idiomatum** constat ex Scripturis et ex Patribus quos attulimus n. 94-5 : addi possunt concilia. Sic v. g. Conc. Ephes. : « S. q. non confitetur *Dei Verbum passum carne et crucifixum carne et mortem carne gustasse...* a. s. ». Et Oecum. V. : « S. q. non confitetur *crucifixum* carne Dominum nostrum... a. s. ». Similiter Later. : « S. q. non confitetur... unum *Sanctae... Trinitatis...* confixum carne... condemnatus sit ». Et Flor. : « Sancta R. E... firmiter credit... Filium Dei... vere natum, vere passum, vere mortuum et sepultum, etc. » [6]. Porro *excessu* in hac communione idiomatum peccaverunt Eutyches dicens praedicata unius *naturae* fieri praedicata alterius naturae, et Ubiquistae aestimantes incarnatione corpus Christi factum esse ubique : *defectu* Nestoriani sola morali imputatione communionem idiomatis explicantes [7].

110. **Communionis idiomatum radix et lex.** Radix est *unitas personae* quae in utraque natura subsistens utriusque suscipit praedicata. Profecto praedicatum dicitur de subjecto propositionis : atqui subjectum propositionis est suppositum seu persona [8] : ergo omnia praedicata dicuntur de persona quae, si est composita [9], su-

---

[2] Pesch n. 161. *Analogia* est manifesta : sicut nempe singulae *nationes* diversum habent sermonem, ita singulae *res* suas proprietates, unde et diversa suscipiunt attributa.

[3] V. g. quod sit *natus, passus, mortuus,* etc.

[4] V. g. quod sit *Deus, Filius Dei,* quod *descendit de coelo,* quod sit *auctor fidei,* etc.

[5] V. g. : Christus est Deus *et* homo : Filius Dei *et* filius Mariae.

[6] Conc. Ephes. cn. 12; Oecum. V. cn. 10; Later. a. 647 cn. 2; Flor. *decr. pro Jac.*

[7] Cf. Pesch n. 162-3.

[8] Vol. 2 n. 257.

[9] Supra n. 92.

scipere debet praedicata utriusque naturae. Verum si per se praedicata enuntiantur de supposito, sub speciali forma grammaticali aliquando efferuntur etiam de natura; unde praedicationis LEX praecipit ea tantum verba in communione idiomatis esse permutanda, quae *ex usu* intelliguntur de supposito : atqui, recepto usu, *nomina concreta* praedicantur de supposito, *abstracta* de natura [10] : ergo in Christo communione idiomatum permutari poterunt nomina *concreta*, non *abstracta* [11].

111. **Lex praedicationis sequenda in communione idiomatum magis declaratur.** Cave ne praedicata *concreta* et *abstracta* ex sola forma grammaticali judices, juxta metaphysicam enim significationem affirmantur vel negantur de proprio subjecto. Itaque « PRO CONCRETIS habenda sunt illa omnia et sola nomina, quae significant naturas *ut in hypostasi* habente ipsas, vel proprietates *ut in subjecto* cui insunt; PRO ABSTRACTIS vero, ea quae significant naturas *seorsum ab hypostasi*, vel proprietates *seorsum a subjecto*, sive ille significandi modus fundetur in reali compositione objecti secundum se, ut in iis quae spectant creaturas, sive fundetur solum in conditione illarum rerum, ad quarum similitudinem mens simplicia et divina apprehendit » [12]. *Concreta* ergo in re nostra sunt nomina quae pro supposito seu persona supponunt [13]; *abstracta* quae ex recepto usu non supponunt pro persona, sed pro re, quae a persona contradistinguitur ut habitum (res habita) ab habente illud. Hinc *a)* nomina quae *partes naturae* exhibent, etsi grammatice sint concreta, non suscipiunt communionem idiomatum, quia partes non praedicantur per identitatem de supposito; unde non dicitur *Verbum est anima* vel *sanguis*. — *b)* E converso nomina quae *grammatice sunt abstracta*, sed attenta divina simplicitate ex communi loquendi modo in Deo de persona usurpantur, in re nostra pro concretis habentur, quare bene dicitur : « Ecce pro impio *pietas* flagellatur, pro stulto *sapientia* illuditur, pro mendace *veritas* necatur, damnatur *justitia* pro iniquo, *misericordia* afficitur pro crudeli, pro misero repletur *sinceritas* aceto, moritur *vita*, pro mortuo » [14], et Ecclesia canit : « Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua *Vita* fuit » [15]. — *c)* Nomina quae non significant naturam ut in hypostasi a qua habentur, sed directe et *per se exprimunt ipsam hypostasim*, si notionem rei creatae praeseferunt, de Christo praedicari nequeunt, quia enuntiarent personam creatam, quae

---

[10] V. g. *Petrus est bonus*, non *Petrus est bonitas*.

[11] Hinc dicitur *Deus est homo* et *homo est Deus*, sed non *Deus est humanitas* vel *homo est divinitas*.

[12] BILLOT p. 252-3.

[13] *Supponere* scholastice valet *locum tenere* subjecti vel praedicati.

[14] BILLOT p. 256.

[15] LITURG. *Off. S. Crucis*.

in Christo non est. Tale est nomen *filii adoptivi,* quod dicitur de homine justo, sed nullatenus de Christo, et nomen *servi* quod, « etsi in umbra prophetiae dictum sit » de Christo [16], non est dictum in proprietate vocis, quia « non ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem » [17], nomen servi accepit. — *d) Nomina negativa* per se loquendo communionem idiomatum non habent, quia excluderent a Christo alterutram naturam; illa tamen quae forma negativa exprimunt positivam perfectionem sub communi lege cadunt. Non dicam ergo : *Verbum non est corpus,* sed *Verbum est incorporeum;* dicam e contra : « Hic homo (Christus) *increatus* est, et *impassibilis,* et *incircumscriptus* » [18] et omnipotens. — *e)* Tandem nota communicationem idiomatum spectare ad *modum loquendi,* et ideo a locutionibus per se bonis, quae ab haereticis fraudolenter sunt adhibitae ad errorem fidei exprimendum, prudenter declinandum est, nisi catholicus sensus expresse revocetur. Tales habentur : *Unus de Trinitate crucifixus est* [19], — *Christus est creatura,* — *Christus est servus.*

112. **De reduplicatione.** Ad ineptas vel falsas locutiones in communione idiomatum praecavendas, in perspecto est tenenda REDUPLICATIO, qua in subjecto propositionis (ideoque in persona) specialis respectus consideratur et proponitur, ut si dicam : Petrus *ut homo* est bonus, *ut clericus* fervidus, *ut discipulus* sapiens. Jamvero pro reduplicatione non sufficit quod praedicatum quomodocumque conveniat subjecto, sed necesse est ut conveniat sub respectu, qui in reduplicatione proponitur. Hinc si replico in Christo aliquam naturam communicatio idiomatum non habet locum, nec dicere licet : *Christus ut homo est Deus.* Si tamen reduplicatio non cadit in naturam sed in personam, adhuc praedicata divina possunt enuntiari de homine; cum enim dico *Christus ut hic homo est Deus,* non affirmo divinitatem convenire Christo ratione humanitatis, sed ratione *personae* quae subsistit in humana natura, quaeque profecto est divina.

ART. 2 - DE JESU CHRISTI DIVINA FILIATIONE.

113. **Filiatio naturalis et adoptiva.** Filius *naturalis* est terminus generationis qui de substantia patris procedens, in bona

---

[16] HADR. ep. 2 *ad episc. Hisp.*
[17] CONC. FRANCOF. *Cont. Adopt.*
[18] DAMASC. *De fide orth.* III c. 4.
[19] Haec propositio prius a PATRIPASSIANIS approbata et dein a MONOPHYSITIS reprobata, prius displicuit HORMISDAE, dein placuit JOAN. II. Cf. *Denziger* n. 142; *Hergenr.* II p. 337-8.

patris titulo haereditatis intrat. Porro ars naturam imitatur; et ideo si quis in communionem bonorum alicujus ita assumatur, ut veluti *ab intestato* ei succedat, *electione* seu *adoptione* reputatur filius. Hinc a juristis et theologis adoptio definitur : *gratuita et liberalis assumptio personae extraneae ad haereditatem* [1]. Quod si naturalem et adoptivam filiationem comparare voluerimus, inveniemus : *a)* primam fundari in generatione, alteram in libera electione; *b)* primam respicere personam quae ex sese est de familia patris, alteram personam extraneam; *c)* primam afferre veram et proprie dictam consubstantialitem, alteram similitudinem tantum [2]; *d)* primam tribuere filio intrinsecum et absolutum jus ad haereditatem, alteram conferre quidem tale jus, sed juxtam mensuram et conditiones ab adoptante constitutas.

114. **Errores - - Veritas.** Jesum esse *etiam* filium Dei adoptivum primus docuit in Hispania a. 636 THEODISCUS, quem secuti sunt ELIPANDUS arc. Tolet., FELIX ep. Urgell., ASCARICUS, FIDELIS aliique vocati ADOPTIANI, quibus nonnihil accessit DURANDUS affirmans Jesum esse Filium adoptivum, si ly *quatenus homo* reduplicet naturam [3]. **Veritas** constat ex condemnatione Adoptianorum per HADRIAN. 1 et CONC. FRACOFORD. et prostat in CONFES. FIDEI prop. *Michaëli Palaeol.:* « Credimus ipsum Filium Dei... temporaliter natum... *non adoptivum*... sed unum et unicum Filium Dei » [4].

THES. 14. *Jesus Christus etiam* ut hic homo *est filius Dei naturalis, et nullo modo adoptivus.*

115. **Ex Scripturis.** Nam Scripturae nullibi Christo tribuunt *adoptionem,* sed constanter eum a filiis adoptivis distinguunt [5], esse autem *Filium* Dei affirmant etiam cum humanam naturam reduplicant loquendo de proprietatibus ejus [6]. — **Patres** *a)* non

---

[1] INSTIT. *De adoptionibus.*

[2] Requiri in filio adoptivo similitudinem aliquam cum patre, constat ex facto et etiam a priori, siquidem adoptio naturalem filiationem imitatur.

[3] Cf. supra n. 5. — *NB.* Natura humana in Christo non est *filia naturalis* Dei, neque *adoptiva,* siquidem nomen filii de persona dicitur.

[4] HADR. I a. 785; CONC. FRANCOF. a. 794; PROF. FIDEI *Clem. IV* a 1267.

[5] Cf. supra n. 34.

[6] Sic v. g. vocant *Filium Dei* qui fit *de muliere* (Gal. **4**. 4-5), *nascitur* de B. V. M. (Luc. **7**. 32-6) et pro nobis *patitur* (Rom. **8**. 32).

solum semper tribuunt Christo filiationem Dei naturalem, sed *b)* in divina filiatione Christum nobis opponunt, siquidem « *adoptati* filii ministri sunt *unici* » [7], et Christus « verus et proprius est Filius *origine, non adoptione* » [8]; unde *c)* cum FULG. negant Christum dici posse Filium Trinitatis [9], quod de adoptivis profecto fatendum est. — **Ratio** inde sumitur quod « *filiatio* proprie convenit hypostasi vel personae, non autem naturae... In Christo autem non est alia hypostasis quam increata, cui convenit esse filium per naturam. Dictum est autem supra quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur aliquid dici *participative*, quod *per se* dicitur. Et ideo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus » [10].

116. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Nomen *filii Dei* convenit Christo homini communione idiomatum; nil ergo inde evincitur contra filiationem adoptivam. **Resp.** Lege communionis idiomatum non semper divina praedicantur de homine, sed aliquando tantum et cum proprietates humanae sunt notae; si ergo nomen filii Dei Christo homini conveniret sola communione idiomatis, in Scriptura et apud Patres filiatio adoptiva aperte doceretur, nec Christus filiis adoptivis semper opponeretur.

117. **Objic. 2.** Apostolus dicit Christum esse Filium Dei *praedestinatum* [11] : atqui praedestinatio spectat ad filios adoptivos : ergo. **Resp.** S. THOM. ex latina etymologia verbum explicando ait : « Sicut hominem esse unitum Deo *per gratiam adoptionis* cadit sub praedestinatione, ita etiam esse unitum Deo per gratiam *unionis in persona* sub praedestinatione cadit, et quantum ad hoc dicit : *Qui praedestinatus est Filius Dei* » [12]. Verum graeca vox ορισθέντος litteraliter vertitur *definitus est; definire* autem in N. T. sumitur per ordinem ad intellectum qui cognoscendo ponit quodammodo fines rei cognitae, et valet *declarare, manifestare*, et per ordinem ad voluntatem quae rem producendo eidem fines constituit, et valet *efficere, constituere* : si prima significatio, cum multis PP. GG. eligitur, sensus est : *Homo Jesus Christus apparuit*, uti vere est, *Filius Dei*, secundum illud Joan. : *et vidimus gloriam ejus, gloriam*

---

[7] AUG. *in Joan.* tr. 7 n. 4; GREG. M. *Moral.* XVIII c. 52 n. 85.

[8] HILAR. *De Trin.* III n. 11; IREN. *apud Theod.* Dial. 3; DIONYS. Alex. epis. syn. *ad Paul. Samos.*; ATHAN. *De incarn.; ad Epict.*; EPIPH. *Haer.* 77; GREG. Naz. ep. 1 *ad Cled.*; AMBR. *De Fide* V c. 3; CYRIL. Alex. *hom.* 8 Pasc.; DAMAS., *Anath.* 6; HIER. *in Matth.* **28**; LEO M. *ad Flav.*; GAUD., LEPOR., FULG. *apud Petav.* De Inc. VII c. 2.

[9] FULG. *Frag. c. Fab.* c. 32.

[10] S. THOM. 3 p. q. 23 a. 4.

[11] Rom. **1**. 4.

[12] S. THOM. *in Rom.* **1** lect. 3.

quasi Unigeniti a Patre; si altera significatio praeplacet, utpote communior in N. T., Jesus Christus *ex resurrectione* « constitutus est *Filius Dei in virtute,* quatenus *nunc* eam potestatem, quam etiam in exinanitione sua possedit, sed paucis tantum radiis pro temporum opportunitate manifestavit, juxta Patris decretum perfecte ac plene exercet nomine donatus, quod est super omne nomen » [13].

118. **Objic. 3.** Patres loquuntur de *adoptione* Christi [14], quem dicunt filium Dei ex gratia quae nobis datur [15] : atqui *adoptio* non est filii naturalis, et *gratia nostra* non tribuit filiationem naturalem : ergo. **Resp.** Patres *adoptionem* referunt *ad naturam* quae gratuito assumpta est a Verbo [16]; *gratiam* vero unionis hypostaticae comparant nostrae non ex identitate *rei,* sed ex similitudine *gratuitae donationis* [17].

119. **Objic. 4.** Ubi est forma, ibi est effectus formalis : atqui in Christo est gratia sanctificans, quae est causa formalis adoptionis in filios Dei : ergo. **Resp.** Proprius effectus gratiae sanctificantis est elevatio naturae et quasi deificatio, quam utique consequitur filiatio adoptiva in iis qui naturali carent; at si quis est filius naturalis adoptio filiorum evacuatur meliori perfectione, sicuti in coelo visione beatifica evacuatur fides, et in justo infusio gratiae non confert remissionem culpae mortalis, quam operatur in peccatore.

ART. 3 - DE ADORATIONE JESU CHRISTI.

120. **De cultu Christo debito.** Christum esse *adorandum* patet ex praedictis de Christi divinitate; vidimus enim in Scripturis Christi adorationem adprobari eamque vetusta monumenta testari [1]. Hinc CONC. OECUM. V definivit : « S. q.... non *una adoratione* Deum *Verbum* incarnatum *cum propria ipsius carne* adorat... a. s. » [2]. Ratio theologica est in promptu; nam cultus primo et per se tribuitur personae [3], unde hujus dignitati respondet : atqui persona

---

[13] CORNELY in *h. l.* p. 40.

[14] HILAR. *De Trin.* II n. 27; CYRIL. Alex. *Dial.* de *Trin.* c. 3. Citatur etiam IREN. *Adv. haer.* III c. 19 n. 1, sed loquitur de *nostra* adoptione.

[15] AUG. *De praed. Ss.* c. 15 n. 31.

[16] Revoca quae modo a S. THOM. audivimus de *praedestinatione* Christi.

[17] FRANZ. *th. 28* p. 364-6; PESCH n. 183.

[1] Supra n. 37-8. — *NB.* Adoratio humanitatis Christi est impugnata a JANSENISTIS in Syn. Pist. Cf. *Hergenr.* VII p. 238.

[2] CONC. OECUM. V cn. 9.

[3] Licet cultus non semper deriveture ex constitutivis personae, sed aliquando ex accidentibus, ut cum homo honoratur quia *sapiens, bonus, sanctus,* etc.; honor tamen semper personae rependitur : est enim Petrus qui honoratur uti *sanctus, sapiens,* etc.

Christi *una* est eaque *divina*, et cultus, qui debetur Deo, est cultus latriae : ergo cultus, quo honorandus est Christus, est *latriae*, cujus actus vocatur *adoratio*.

121. **Quae observanda in adoratione Christi.** In cultu distinguere oportet inter objectum *materiale* et *formale*, et in objecto materiali id quod honoratur cultu *absoluto* et quod honoratur *relativo* [4]. Objectum FORMALE adorationis Christi est *divinitas* personae, quae in utraque ejus natura subsistit : objectum MATERIALE est *totus* Christus cum *omnibus suis partibus*. Porro adorari debet Christus ejusque humanitas non cultu relativo, sed ABSOLUTO, h. e. terminante in eodem Christo ejusque partibus, ita tamen ut persona adoranda sit *per se*, natura vero humana ejusque partes (*corpus, anima, cor, manus*, etc.) *ratione suppositi divini* ad quod pertinent [5]. « Adoratio latriae, inquit S. THOM. non exhibetur humanitati Christi *ratione suipsius*, sed ratione divinitatis cui unitur, secundum quam Christus non est minor Patre » [6]. Et DAMASC. « Timeo prunas tangere propter ignem ligno unitum ; adoro Christi *ambas naturas* propter unitam carni deitatem » [7]. — Quod « si dividas subtilibus intelligentiis, *quod videtur* ab eo *quod intelligitur*, (Christus) inadorabilis est ut creatura » [8]. Scil. si humanitas Christi praecisive a Persona consideratur, adorari nequit, sed propter excellentiam naturae et gratiae, quae in illa invenitur, cultu *hyperduliae* honoranda est [9]. Quia tamen non solemus naturas sejunctas a personis honorare, a cultu *duliae* praestando humanitati Christi abstinendum est ; hunc enim cultum « Ecclesia in *mente* retinet, non in *usu* ad evitandos errores » [10].

122. **De cultu SS. Cordis.** COR Christi esse adorandum sequitur ex praedictis ; nam quaelibet corporis Christi pars propter adjunctam divinitatem potest adorari, maxime si peculiaris ratio distincte honorandi inveniatur, quod certe contingit in cultu *SS.*

---

[4] *Objectum materiale* est res quae honoratur, v. g. B. V. M. : *objectum formale* est excellentia quae movet ad cultum, v. g. divina maternitas. Cultus est *absolutus* cum honor sistit in ipso objecto cultus, v. g. hyperdulia tributa personae B. V. M. : *relativus* cum res honoratur intuitu alterius, v. g. cultus reliquiae et imaginis B. V.

[5] Cum partes sint assumptae a persona ratione totius (n. 67), adoratio, quae datur alicui parti determinatae corporis Christi, non redditur ei quasi avulsae a ceteris ; sic enim non est Christi pars, neque est assumpta. *Pars determinata* specialiter adoratur ob specialem rationem, quae in ea invenitur, v. g. manus et pedes ob dolores quae in illis Christus pertulit, vel quia fuit instrumentum specialis theandricae operationis, puta *satisfactionis* pro peccatis, *miraculorum, amoris*, etc.

[6] S. THOM. 3 p. q. 25 a. 2 ad 3 ; *III Dist.* 9 a. 2 sol. 1.

[7] DAMASC. *De fide orth.* III c. 8.

[8] DAMASC. *De fide orth.* IV c. 3.

[9] S. THOM. 3 p. q. 25 a. 2.

[10] CAJET. *in* 3 p. q. 25 a. 2.

Cordis. Attento enim intimo nexu quo anima et corpus vinciuntur, cor, quod est centrum vitae sensitivae et sedes affectionum sensibilium, communiter assumitur in signum amoris, cujus actus propriis motibus quadantenus resonat [11]; adoratio ergo Cordis Jesu est adoratio amoris divini simul et humani Christi, divini quidem *per se,* humani *propter Verbum* ad quod pertinet [12]. Porro in cultu SS. Cordis OBJECTUM MATERIALE est cor carneum prout est *physica* quaedam pars corporis Christi et simul *signum* amoris, scil. est *cor symbolicum* [13], secundum illud PII VI : « Substantia devotionis SS. Cordis Jesu, eo spectat ut in *symbolica cordis imagine* immensam charitatem effusumque amorem Divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur [14]. OBJECTUM FORMALE est divinitas Personae quae in humanitate Christi (ac proinde in ejus corde) subsistit, cujus sunt omnes actus utriusque naturae, et in cujus honorem ultimo cedunt omnes adorationes nostrae. — **Convenientia** hujus cultus extrinsece petitur *a) ab approbatione Ecclesiae,* quae saepius illum laudavit atque indulgentiis et privilegiis ditavit; intrinsece deducitur ex parte Christi et ex parte nostra. EX PARTE CHRISTI quia *b)* « cor *nobilissimum corporis est organum* a Filio Dei assumptum ut posset amare nos amore compassivo... ; *c)* quia in cruce ipsum cor caritas vulneratum ictu patenti voluit, amoris invisibilis *ut veneremur vulnera... ; d)* quia in sanguine et aqua e corde aperto scaturientibus, significata est effusio omnium divitiarum redemptionis » [15]; et *e)* quia amor, corde expressus, est specialissima *manifestatio bonitatis* Dei-hominis in mysterio incarnationis. Ex

---

[11] S. THOM. 1-2 q. 24 a. 2 ad 2. — *NB.* ut notum est, cultum SS. Cordis foverunt maxime B. MARGAR. Alacoque et C. LA COLOMBIÈRE S. J. Cf. *Hergenr.* VII p. 248.

[12] « Amore comprehendi intelliguntur omnes alii affectus, quorum amor est fundamentum et radix. Imo adorare et amare Christi amorem, patet idem esse ac adorare et amare ejus humanitatem et divinitatem quatenus sunt utriusque amoris principium » (SALA *De Verb. Inc.* p. 61 in nota). Nota tamen quod si omnes hujusmodi amoris actus ad objectum cultus SS Cordis revocantur, praeprimis colitur *amor patiens,* quo Christus se ipsum pro nobis obtulit; hunc enim amorem exhibent signa passionis, quae B. Alacoque Christus in suo corde ostendit, et de ipso loquitur Ecclesia in Liturgia.

[13] *Symbolum* superaddit simplici significationi *veritatem rei* quae ad aliquid significandum assumitur.

[14] PIUS VI. *Litt. ad Episc. Pratopis.* 30 Jul. 1781.

[15] BILLOT *th.* 37 p. 321-2; S. THOM. in *III Dist.* 27 q. 1 a. 1 ad 4.

PARTE NOSTRA quia cultus SS. Cordis *f)* ab exterioribus *ad interiora* mentem revocat, et *h)* dum multorum caritas refrigescit, *sancto amore* cor nostrum *incendit, f)* opportunum praebens *remedium iniquitatibus temporum,* in quibus exierunt homines ingrati, sine affectione, sine pace, immites, sine benignitate [16], qui civium rebelliones et socialia bella parant [17].

ART. 4 - DE NATURARUM INCONFUSIONE.

123. **Ad sequentia transitus.** Diximus de iis, quae hypostaticam unionem sequuntur ratione Personae assumentis, nunc animum convertimus ad naturam assumptam, ut eos impugnemus qui *excessu* humanitatis integritatem in Christo imminuerunt, vel *defectu* omnem supernaturalem perfectionem eidem denegarunt.

124. **Errores - Veritas.** NESTORIUS duas personas posuerat in Christo, EUTYCHES, ut eum impugnaret, naturarum distinctionem negavit, et quia de unionis modo non dixerat, ejus discipuli in sectas ACEPHALORUM, CORRUPTICULARUM et INCORRUPTICULARUM discerpti sunt [1]. — **Veritas** definita est a LEONE M. et confirmata in CONC. CHALCED. ubi legimus: « Confiteri... docemus... unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum *in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter* agnoscendum, *nusquam sublata naturarum differentia* propter unitionem magisque *salva proprietate utriusque naturae* et in unam personam atque subsistentiam concurrente » [2].

THES. 15. *Sunt in Christo duae naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae* [3].

125. **Ex Scripturis** sunt revocanda testimonia quibus thes. 6 et 9 ex *nominibus, proprietatibus* et *operationibus* evincimus Chri-

---

[16] 2 Tim. 3. 2-3.

[17] BILLOT *th. 37* p. 320 sqq.; PESCH n. 206-223: JANSSENS V p. 813-25.

[1] Supra n. 5.

[2] CONC. CHALCED. a. 451; LEO M. ep. dogm. *ad Flav.*

[3] Etsi voces *integrae, distinctae, inconfusae* et *impermixtae* synonymae saepe habeantur, proprie *integritas* excludit imminutionem naturae et dicitur contra ARIANOS et APOLLINARISTAS qui Christo negabant animam vel mentem, necnon contra DOCETAS qui corpus mere apparens Christo tribuebant; *distinctio* affirmatur contra MONOPHYSITAS, qui ex hypostatica unione unitatem naturae non secus ac personae in Christo blasphemabant. Ultimae voces duos modos unionis a monophysitis excogitatos impetunt, scil. naturae humanae *absorptionem* qua in divinam transiisset, et *com-*

stum esse verum Deum et verum hominem; cum enim testimonia illa loquantur de Christo vivente, in quo profecto naturae non erant separatae, patet quod unione hypostatica natura divina et humana permanserunt integrae distinctae, inconfusae et impermixtae. — **Patres** *a)* non solum *implicite* naturarum distinctionem affirmant, uniuscujusque naturae perfectionem celebrantes, sed *b) expliciie* profitentur, dicentes cum ATHAN. quod « *Christus* perfectus Deus et perfectus homo » est [4]. Hinc *c) duas naturas* ponunt in eo, qui est « homo *et* Deus ex *utroque* genere concretus, ut mediator esse inter nos et Patrem posset » [5]; « impossibile est (enim) ea, quae diversa sunt et diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiae » [6]. *d)* Patribus Christus est *unus hypostasi* [7] non natura, quippe « non *conversione* divinitatis in carnem, sed *assumptione* humanitatis in Deum » [8] Christus factus est homo; *e)* ita ut « servetur distinctio divinitatis et carnis..., quia in eodem *utraque natura* est » [9]. — **Ex ratione.** Nam, ut taceamus naturarum confusionem obstare attributis divinis et humanis quae naturis contradistinctis competunt, haec confusio vel contigisset *absorptione* humanae naturae in divinam, vel earum *compositione:* atqui primum repugnat incarnationis fini, siquidem facta absorptione maneret sola natura divina incapax meriti et premii, alterum repugnat immutabilitati Dei, siquidem naturarum compositio earum mutationem supponit: ergo [10].

126. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** PATRES docent quod « quemadmodum in mari accidit, ut, si quis aceti guttam in illud injiciat, gutta quidem illa mare fiat, in aquae marinae qualitatem transmutata », ita caro assumpta « *in incorruptibilitatis pelagus transmu-*

---

mixtionem qua ex duabus naturis tertia quaedam effecta esset.

[4] ATHAN. *C. Apol.* I n. 16; HIPP. in Ps. 2. apud *Theod. Dial.*, 2; EUSEB. *Hist.* I c. 1; HIL. *De Trin.* IX sub init.; DAMAS. ep. *ad Orient.;* HIER. *Adv. Pelag.* II.

[5] CYPR. *Adv. Jud.* II test. 8; TERTUL. *De carne Chr.* c. 5; GREG. Naz. ep. 1 *ad Cledon.;* CYRIL. Hier. *Catech.* 4; AMPHIL. *apud Theod. dial.* 2; HIER. *in Matth.* **28**, etc.

[6] DAMASC. *De duab. vol.* n. 8.

[7] EPIPH. *De Incar.*

[8] SYMB. ATHAN. Ante EUTYCHEN Patres expressius agebant de permanentia *divinitatis* (TERTUL. *Adv. Prax.* c. 27; SYN. ANTHIOC. epist. *ad Paul. Sam.*), sed aliquando loquuntur de utraque (FLAV. anth.: *Theoph.;* AUG. *De Trin.* I c. 7 n. 14), imo explicite de *natura humana,* quae in Christo permansit. (GREG. Nyss. *C. Apol.*).

[9] AMBR. *De Fide* II c. 9 n. 77; CHRYS. in *Ps.* **44**.

[10] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 1.

tata » est [11]. **Resp.** Patres qui docent transmutationem vel deificationem humanae naturae, non loquuntur de *substantiali* mutatione, quam alias expresse excludunt [12], sed de *accidentali,* qua anima Christi est sanctificata et corpus ejus glorificatum.

127. **Objic. 2.** Docet Ecclesia quod « sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus » [13] : atqui ex anima et corpore fit una natura : ergo. **Resp.** Omnis similitudo claudicat ; ex *contextu* igitur et ex *fine* testimonii videndum est in quo similitudo teneat ; ex utroque autem constat exemplum adduci ad unitatem *substantialem* vindicandam, non ad *naturalem* affirmandam [14].

128. **Objic. 3.** PATRES in Christo distinguunt naturas *secundum intellectum* vel *considerationem,* unde affirmant cum CYRIL. quod Christus est *una natura Verbi Dei incarnata.* **Resp.** Cum Patres naturarum *unionem* in Christo docent, non distinctionem sed earum separationem excludunt ; cum vero *unam naturam* affirmant, ut ipsemet CYRYL. explicat, vindicant contra Nestorium unitatem substantiae. Scil. « non discernendus (est) D. J. C. in hominem seorsum et seorsum in Deum, sed unum eundemque J. C. esse dicimus, non ignorantes *differentiam* naturarum, sed eas *inconfusas inter se servantes* » [15].

ART. 5 - DE DUPLICI OPERATIONE AC VOLUNTATE CHRISTI.

129. **De consonantia voluntatis humanae et divinae in Christo.** In voluntate considerata ut *actus* quo aliquid appetimus, distinguere debemus *objectum in quod* voluntas tendit et *conformitatem* hujus tendentiae *cum regula* divinae voluntatis : secundum primum voluntas dividitur in voluntatem *naturalem* et *rationalem,* secundum alterum attenditur conformitas cum *objecto* a Deo volito et cum *divina ipsa voluntate* prout est nobis *regula* agendi. *Voluntas ut natura* est voluntas quae tendit in objectum *secundum se* consideratum, prout, praecisione facta a circumstantiis, est nobis conveniens vel non ; *voluntas ut ratio* est voluntas quae sequitur considerationem circumstantiarum et finis, qua proinde ultimo determinatur actus [1] : *conformitas* cum divina voluntate *in ratione*

---

[11] GREG. Nyss. *C. Apoll.* n. 42.

[12] CYRIL. Alex. in ep. 46 *ad Succens.* 1.

[13] SYMB. ATHANAS.

[14] CYRIL. Alex ep. 46 *ad Succens.* 2.

[15] CYRIL. *Schol. de Inc.* c. 13 ; epist. 46 *ad Succens.* 2 ; CONC. OECUM. V n. 7. Cf. PESCH n. 138 sqq.

[1] V. g. voluntas, quae sequitur intellectum considerantem medicinam in se, est voluntas *ut natura* et refugit a sumptione, quia medicina in se et

objecti habetur quando voluntas appetit quod Deus vult, *conformitas in ratione regulae* contingit quando voluntas vult id quod Deus *vult nos velle,* quamvis hoc non sit illud ipsum quod Deus absoluta voluntate vult [2]. His positis, de humiliationibus, doloribus, morte et ceteris naturae nostrae repugnantibus dicendum est non fuisse in humana voluntate Christi oppositionem ad divinam consideratam *ut regulam,* quia Deus, qui volebat Christum pati et mori, volebat etiam ejus voluntatem naturaliter fugere a morte et deprecari pro liberatione, *si possibile esset.* Sed neque fuit contrarietas *quoad objectum,* siquidem humana voluntas Christi *ut ratio* volebat illud ipsum quod volebat Deus *(veruntamen non mea sed tua voluntas fiat); ut natura* vero nolebat quidem mortem, sed non contradicebat voluntati divinae, quia non pertinebat ad humanam voluntatem *naturalem* appetere mortem ut *medium redemptionis,* quo sensu Deus volebat Christum mori. Adde ex immunitate a fomite concupiscientiae humanam voluntatem etiam *naturalem,* non retardasse exercitium voluntatis *rationalis,* neque motibus indeliberatis a perfectissima obedientia Dei retraxisse [3].

130. **De perfectione humanae operationis seu de operatione theandrica.** Nomine a DIONYS. sumpto et per CONC. LAT. IV a monothelitarum abusu vindicato [4], *operatio theandrica* dicit mirabilem illam harmoniam duarum operationum Christi, qua « *cum alterius communione, utraque natura indivise et inconfuse propria operatur* » [5]; siquidem consequenter ad unionem hypostaticam natura divina utitur humanitate quasi instrumento ad agendum, et humana natura ex divina plurimam perfectionem mutuatur. Porro non omnes *divinae operationes* Christi sunt theandricae; nam operationes *ad intra* et plurimae *ad extra,* ut creatio et conservatio, nullam, ne instrumentalem quidem, cooperationem habent ex humana natura [6]: *operationes* vero *humanae* sunt omnes theandricae, sed non pari ratione, siquidem in quibusdam humana natura est instru-

---

abstracte considerata non est appetibilis; voluntas, quae sequitur intellectum considerantem medicinam uti salutis medium, est voluntas *ut ratio* et medicinam efficaciter appetit.

[2] Sic v. g. cum Abraham volebat occidere Isaac, habebat cum divina voluntate conformitatem *regulae* non *voliti;* siquidem Deus volebat obedientiam Abrahae, non mortem Isaac.

[3] Cf. S. THOM. 3 p. q. 18 a. 2 et 6; BILLOT p. 268 sqq.

[4] DIONYS. Areop ep. 4 *ad Cajum* mon.; CONC. LAT. IV cn. 15.

[5] OECUM. VI seu Cp. III a. 680.

[6] S. THOM. 3 p. q. 19 a. 1 ad 1.

mentum tantum, etsi liberum [7], divinitatis [8], in aliis vero operatur per modum causae principalis [9] : in illis operatio est theandrica *efficienter,* prout scil. utraque natura simul agit; in his operatio elicitur a sola natura humana quamvis haec agat sub *influxu divinae.* Et si quaeras de isto influxu, ex DAMASC. respondet BILLOT quod humana operatio Christi in hac ipsa vita mortali *a) regebatur* a divinitate ut esset ordinatissima et superexcellens exemplar perfectionis, et *b)* ex divina persona *infinitam dignitatem* etiam in ratione meriti mutuabatur [10].

131. **Errores — Veritas.** *Defectu* contra duas Christi voluntates peccaverunt MONOTHELITAE, qui, ducibus SERGIO Cp., CYRO Alex. et ATHAN. Ant., saec. 7 unam tantum voluntatem fassi sunt in Christo; *excessu* peccant MODERNISTAE, qui nullam excellentiam suprahumanam agnoscunt in anima Christi [11]. **Veritas** quoad utramque partem definita est in CONC. OECUM. VI « *Duas naturales voluntates* in eo (Christo), et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam adaeque praedicamus; et duas naturales voluntates *non contrarias* (absit), juxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et *subjectam divinae* ejus atque omnipotenti voluntati » [12].

THES. 16. *Dantur in Christo duae voluntates — 1 distinctae et — 2 necessario conformes.*

132. **Prima pars.** *Sunt in Christo duae voluntates omnino distinctae.* Nam sicut **Scriptura** refert de Christo operationes, quae sola voluntate divina fieri poterant, ut sunt *creatio* et *gubernatio*

---

[7] Sicut sacerdos est instrumentum Dei in sanctificatione animarum per sacramenta, et tamen *usus potestatis,* qua *actu* constituitur instrumentum ad baptizandum, consecrandum, etc., pendet a libero arbitrio sacerdotis, eo quod non per modum actus, sed *habitus* data est ei potestas; ita et in Christo operationes theandricae, etsi instrumentaliter tantum elicitae ab humana potentia, quoad existentiam pendebant a libero exercitio humanae voluntatis.

[8] V. g. in miraculis.

[9] V. g. in deambulatione, manducatione, passione, morte etc. — *NB.* Profecto praescindimus a concursu divino.

[10] DAMASC. *De fide orth.* III c. 5; 19; BILLOT p. 286 sqq.; PESCH n. 149; JANSSENS p. 678.

[11] Supra n. 5.

[12] COM. OECUM. VI act. 18, a. 680; AGAT. ep. *ad imperat.*

mundi, peccatorum *remissio*, collatio *gratiae*, *miracula*, etc. [13]; ita exhibet operationes, quae sola voluntate humana fieri queunt, ut v. g. actus *obedientiae* [14], *reverentiae* [15], *humilitatis* [16], etc. Accedunt testimonia in quibus Christus suam voluntatem contradistinguit a voluntate Patris, ut cum ait: *Non* MEA *sed* TUA *voluntas fiat* [17]; in Christo enim voluntas divina ne ratione quidem distinguitur a voluntate Patris. — **Patres** *a)* non solum *factum* agnoscunt dicentes cum LEONE M. quod in Christo « *agit* utraque forma, cum alterius communione *quod suum est* » [18], sed facti *rationem* inde deducunt, *b)* quod numerus operationum (ideoque potentiarum et voluntatum) non sequitur numerum hypostasum sed naturarum [19], *c)* et quia « impossibile est... posse esse naturam et non habere operationem naturae » [20], unde confusis operationibus confunduntur naturae, « nam quorum operatio et vis eadem omnino est, ea etiam speciei unitate conveniunt » [21]. **Ratio** sumitur cum Patribus ex perfectione naturae assumptae. Nam « si esset una tantum operatio divinitatis et humanitatis in Christo, oporteret dicere, vel quod humana natura non haberet propriam formam et virtutem (de divina enim hoc dici est impossibile) ex quo sequeretur, quod in Christo esset tantum divina operatio; vel oporteret dicere quod ex divina virtute et humana esset conflata in Christo una virtus. Quorum utrumque est impossibile. Nam per primum horum ponitur natura humana in Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum » [22].

133. **Secunda pars.** *Voluntas humana et divina in Christo sunt et fuerunt semper concordes.* Nam in **Scripturis** Christus dicit se *facere semper quae Patri sunt placita* [23], et in difficillimis quoque nolle ut *sua voluntas fiat sed Patris* [24]; unde Apostolus testatur quod factus est *obediens usque ad mortem* [25]. — **Patres** moralem unita-

---

[13] Supra n. 36.

[14] Phil. **2**. 8.

[15] Hebr. **5**. 7.

[16] Matth. **11**. 29.

[17] Luc. **22**. 42; Ps. **39**. 8-9; Joan. **4**. 34; **5**. 30; **6**. 38; **8**. 29; **10**. 18; **14**. 31.

[18] LEO M. ep. dogm. *ad Flav.*

[19] MAXIMUS et AGATO apud *Pesch* n. 147.

[20] AGATO epis. dogm. *ad imper.*

[21] CYRIL. Alex. *Thes.* a. 32; SOPHRON. *Ep. syn. ad Serg.* Cf. FRANZ. *th.* 40 p. 389 sqq.; PESCH n. 146.

[22] S. THOM. 3 p. q. 19 a. 1.

[23] Joan. **8**. 29; cf. **5**. 30.

[24] Luc. **22**. 42.

[25] Philip. **2**. 8. Ly *usque* innuit Christum semper et in omnibus subjectum fuisse Patri, ac proinde etiam propriae voluntati divinae.

tem voluntatum docent cum affirmant operationes Christi fuisse *theandricas;* hoc enim, ut exponit DAMASC., importat quod « divinam voluntatem humana sequeretur eique subdita esset » [26]. -- **Ratio** petitur ex *unitate suppositi,* quod est *principium quod* operationis; ad ipsum enim pertinent tamquam ad ultimum praedicationis subjectum omnes operationes; unde, si humana voluntas Christi contra divinam ageret, eadem persona simul et sub eodem respectu unum idemque vellet et nollet, quod implicat [27].

134. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Teste Joanne Verbum factum est *caro:* atqui caro est irrationalis: ergo in Christo non fuit voluntas quae est appetitus rationalis [28]. **Resp.** Ut alias diximus, *caro* per synecdochen dicitur de integra humana natura [29].

135. **Objic. 2.** Humana voluntas essentialiter est defectibilis ac proinde potest peccare: atqui Christus erat impeccabilis: ergo humanam voluntatem non habebat [30]. **Resp.** Connaturalis defectibilitas humanae voluntatis reparari potest influxu divinae virtutis, unde sicut assistentia S. Spiritus R. P. est infallibilis, cum loquitur ex cathedra, et B. V. extitit impeccabilis ex abundantia gratiae, ita humana voluntas Christi fuit impeccabilis titulo hypostaticae unionis, sicut infra explicabitur.

136. **Objic. 3.** Humanitas Christi fuit instrumentum divinitatis pro redemptione mundi: atqui principalis agentis et instrumenti *una* est operatio: ergo una fuit voluntas Christi. **Resp.** Instrumentum habet propriam operationem, qua a principali agente movetur in finem; ut igitur humanitas Christi fieret instrumentum divinitatis, propriam operationem et voluntatem habere debuit [31].

137. **Objic. 4.** HONORIUS respondit Sergio ep. Cp. « unam voluntatem fatemur D. N. J. C. » [32]: ergo. **Resp.** HONORIUS non negavit humanam voluntatem in Christo, quam confessus est docendo duplicem Christi operationem et utriusque naturae perfectionem, sed exclusit a Christo voluntatis luctam seu fomitem concupiscentiae, de quo dicebat Apostolus *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati;* affirmavit scil. quod in Christo est *una* voluntas *humana* [33].

---

[26] DAMASC. *De fide orthod.* III c. 18.

[27] Cf. S. THOM. 3 p. q. 18 a. 6; *Cg.* IV c. 36; BILLOT p. 271.

[28] APOLLINARIS apud *Hergenr.* II p. 84.

[29] Supra n. 60.

[30] APOLL. *l. c.*

[31] S. THOM. 3 p. q. 19 a. 1 ad 2; q. 62 a. 1 ad 2.

[32] HONOR. *Ep. 1 ad Serg.*

[33] Rom. 7. 23. Cf. Vol. 1 n. 472.

ART. 6 - DE CHRISTI SCIENTIA.

138. **Triplex scientia Christi.** Demonstrabimus in thesi Christum habuisse scientiam *beatam, infusam* et *acquisitam;* hic nota scientiarum distinctionem non sumi ex *objectis* sed ex modo seu *medio* cognitionis. Si species, qua res cognoscuntur, sunt abstractae a phantasmatibus cognitio dicitur *acquisita:* si non producuntur activitate intelligentis, sed divina virtute infunduntur, scientia dicitur *infusa;* et quidem ita ut si species inditae sint ejusdem rationis ac acquisitae (et consequenter in usu dependentes a phantasmatibus) vocetur *infusa per accidens* [1], si sint alterius rationis (et in exercitio indipendentes a phantasmatibus) dicatur *infusa per se.* Scientia *beata* competit comprehensoribus qui in coelo sine ulla specie creata vident Deum, qui, cum sit imago omnium, est medium *objectivum* in quo omnes creaturae conspiciuntur [2].

139. **De objecto scientiae Christi.** Cum Christus sit verus Deus, SCIENTIA INCREATA comprehendit se ipsum, omnia praeterita, existentia, futura, possibilia et futuribilia ac proinde *infinita* [3]. SCIENTIA CREATA non comprehendit Deum [4], neque infinita cognoscit, siquidem virtus humana quantumcumque perfecta et elevata manet finita, ad infinita impar; tamen in hac quoque vita Christus humano intellectu multo plura quam angelus cognovit. Constitutus *judex vivorum et mortuorum* [5], saltem *scientia beata* scrutabatur omnem naturae vim omnesque creatas res praesentes, praeteritas et futuras cum respectivis activitatibus et actibus, unde manifesta ei erant secreta cordium et futura libera, omniaque mysteria naturae et gratiae. Haec scientia aequabat *scientiam visionis Dei* [6], si excipiatur cognitio actualis omnium actuum qui in aeternitate elicientur, quique a creatura potentialiter tantum et indefinite possunt attingi. — An vero ista omnia Christus cognosceret quoque *scientia infusa* disputatur, sed cum S. Thoma affirmari potest « quod cognovit omnia singularia praesentia, praeterita et futura » [7]. — *Scientia*

---

[1] Cum pluribus thomistis potest teneri scientiam *per accidens infusam* non fuisse in Christo.

[2] Cf. Vol. 2 n. 175 sqq.

[3] Cf. Vol. 2 n. 160 sqq.

[4] PASTERIS *Il messianismo* dicit scholasticos cum DAMASC. tribuere humanitati Christi comprehensionem Verbi; sed calumniam, allatis testimonis, refellit GISMONDI in *Armonie della Fede* 1907 Gen. 10 p. 16 sqq.

[5] Act. **10**. 42.

[6] JANSSENS IV p. 443 sqq.

[7] S. THOM. 3 p. q. 11 a. 1 ad 3; BILLOT p. 212; PESCH n. 262 sqq.; JANSSENS IV p. 454 sqq.

acquisita Christus cognoscebat quae per intellectum agentem et possibilem scrutabatur, quare objectum hujus scientiae *a)* non innotuit ei a primo conceptionis instanti, *b)* nec attingebat futura et secreta cordium; *c)* hac tamen scientia acquisita Christus humanas cognitiones sine aliorum magistrio assecutus est, sine errore possedit, et ceteris profundius calluit [8].

140. **Errores — Veritas.** Jam AGNOËTAE *ignorantiam* tribuerunt Christo [9]; GÜNTHER, BOUGAUD, KNITTEL ei denegarunt scientiam *visionis;* MODERNISTAE Christo tribuunt solam scientiam *acquisitam* et quidem juxta conditionem sui temporis, unde plura ignorasse, et in quibusdam errasse blasphemant [10]. **Veritas,** etsi proprie non sit definitia [11], certo constat ex communi theologorum sententia, confirmata DECRET. *Lamentabili* [12] quod, etsi loquatur de *scientia* generice considerata, innuit saltem *scientia creata* Christum cognovisse futura.

THES. 17. *Triplex scientia agnoscenda est in Christo, — 1 beata, — 2 infusa et — 3 acquisita.*

141. **Prima pars.** *Christus in hac vita habuit scientiam beatam.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. Christus dicit Nicodemo: *quae scimus loquimur, quae vidimus testamur:* qua homo ergo [13], de visu cognoscebat spiritualia quae docebat Nicodemum: atqui spiritualia scientia acquisita vel infusa *intueri* nequeunt, sed sola visione Dei [14]: ergo. ARGUM. 2. Christus mysteria fidei nobilius quam prophetae cognovit, et habuit plenitudinem veritatis [15]: atqui cognitio mediata communis est prophetis, nec plena seu perfecta dici potest [16]: ergo immediatam ac proinde intuitivam seu beatam habuit [17]. ARGUM. 3. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo* [18]: atqui *ascensio* in coelum non conveniebat Christo ratione divinitatis, qua ab aeterno *habitat* in coelo [19]: ergo ei spectabat ratione humanitatis, et ideo qua homo

---

[8] Cf. BILLOT p. 213 sqq.; PESCH n. 268; JANSSES p. 446 sqq.

[9] Agnoëtarum errorem renovarunt LUTHER., CALV. et ERASM. apud *Knab.* in Marc. p. 357.

[10] Supra n. 5 et 44.

[11] PESCH n. 243.

[12] DECR. *Lamentabili* pr. 32, 34, 35; PIUS X Enc. *Pascendi.*

[13] Sic enim loquebatur et testabatur.

[14] Cf. KNAB. in *Joan.* p. 143.

[15] Joan. **1.** 14-16.

[16] Corinth. **13.** 9 sqq.

[17] Cf. PESCH n. 246.

[18] Joan. **3.** 13.

[19] Ps. **2.** 4. Qua *Deus* Christus *descendit* et non *ascendit* in coelum. — *NB.* Ex verbis *qui est in coelo* non de-

erat beatus, de creaturis siquidem *esse in coelo* dicitur ratione beatificae visionis [20]. — **Patres** *a)* contra *Agnoëtas* [21], ab ipso primo conceptionis instanti [22] tribuerunt Christo scientiam plenissimam [23], dicentes eum, qui « Christi humanitati ignorantiam adscriberet, numquam certissime temeritatis crimen effugere » [24] : atqui cognitio tam plena nonnisi beata esse potest : ergo. *b)* Expresse de scientia beata loquitur AUG., cum revocata ex Apostolo distinctione inter scientiam hujus vitae quae est *mediata,* et futurae quae est *immediata* [25], illam nobis tribuit, hanc de Christo praedicat qui non erat « linteis implicatus, ut eum aliquid lateret » [26]. *c)* De scientia beata loquuntur etiam ORIG. et FULG. [27] cum affirmant animam Christi in *Deum transiisse* atque *plenam divinitatis notitiam habuisse;* non enim monophysitarum errorem his verbis tradebant, sed doctrinam Joannis qui de scientia beata ait : *similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est* [28]. — **Ratio** post FULG. et DAMASC. petitur ex *hypostatica unione* qua Christus a primo conceptionis instanti constitutus est caput angelorum et hominum, unde privari non debuit bonis quae in termino puris creaturis conferuntur : atqui in coelo angeli et homines gaudent beatifica visione : ergo [29].

142. **Secunda pars.** *Fuit in Christo scientia per se infusa.* Hoc innuit **Scriptura** cum testatur fuisse in Christo *omnes thesauros sapientiae et scientiae* [30], et exhibet eum in utero matris offerentem se Deo [31] ; inter thesauros enim scientiae est scientia infusa, et in utero matris scientiam acquisitam Christus habere non potuit. — **Ex Patribus** adduci possunt quos supra audivimus tribuere Christo scientiam incrementi incapacem ; si enim Christus scientia infusa caruisset, hanc accipere potuisset. — **Ratio** petitur ex principio

---

ducimus argumentum, quia possent explicari de Christo homine communione idiomatum.

[20] KNAB. in *h. l.* p. 145 ; BILLOT *th.* 19 p. 199.

[21] Supra n. 44.

[22] HIER. in *Jerem.* **31** ; CYRIL. Alex. *C. Nest.* n. 3 ; DAMASC., *De fide orth.* III c. 22.

[23] « *Ab initio* gratia sapientiaque absolutus erat ». GREG. Naz. *Or.* 20. Cf. THEOPH. *in Luc.* **2**. 52 ; BEDA hom. *in Dom.* 1 *post Epiph.*

[24] EULOG. Alex. *apud Phot.* c. 230 ; AUG. *De pecc. merit. et remiss.* c. 29.

[25] 1 Corinth. **13**. 12.

[26] AUG. *Quaes.* 83 q. 65.

[27] ORIG. *C. Cels.* c. 4 ; FULG. *ad Ferr.* ep. 14 n. 26.

[28] 1 Joan. **3**. 2.

[29] Cf. S. THOM. 3 p. q. 9 a. 2.

[30] Colos. **2**. 3.

[31] Hebr. **10**. 5 sqq.

jam exposito : scil. scientia infusa competit naturaliter angelis [32] et animae separatae [33] ; ergo non defuit Christo, qui est angelorum et hominum caput [34].

143. **Tertia pars.** *Fuit in Christo scientia acquisita.* **Ex Scripturis** praecipuum argumentum praebet Apostolus dicens Christum *ex iis, quae passus est, didicisse obedientiam;* hoc enim explicari nequit de scientia visionis vel infusa, sed est intelligendum « de cognitione practica et experimentali » [35]. — **Ex Patribus** adducuntur AMBR. et FULG. qui *profectum sapientiae* Christi, a Luca testatum, explicant de sapientia quae *sensu* proficit [36]. — **Ratio** sic proponitur a S. THOMA. « Nihil eorum, quae Deus in nostra natura plantavit, defuit naturae assumptae a Dei Verbo. Manifestum est autem, quod in humana natura Deus plantavit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem. Unde necesse est dicere quod in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Si autem in aliis Deus et natura nihil frustra faciunt..., multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est, quod non habet propriam operationem... Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus. Sic igitur necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili ejus receptae; quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem vocant » [37].

144. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Patres dicunt Christum diem judicii scientia humana ignorasse [38] : ergo scientia creata in Christo non fuit perfecta. **Resp.** Cum Patres dicunt Christum ignorasse diem judicii *scientia humana* loquuntur reduplicative de scientia quae conveniebat humanitati ejus praecisione facta ab hypostatica unione, non enim distinguunt a divina, sed a supernaturali quae est per revelationem [39].

145. **Objic. 2.** Si Christus habuisset scientiam beatam et infusam caruisset acquisita, siquidem repugnat mentem multiplici scientia ac-

---

[32] S. THOM. 1 p. q. 55 a. 2.

[33] S. THOM. 1 p. q. 89 a. 1 ad 3.

[34] S. THOM. 3 p. q. 9. 3; BILLOT *th.* 20 p. 209 sqq. ; PESCH n. 264 ; JANSSENS IV p. 413 ; etc.

[35] PADOVANI in *h. l.* p. 192.

[36] AMBR. *De incar.* VII n. 71; FULG., *ad Thras.* 1 c. 8; cf. PESCH n. 268.

[37] S. THOM. 3 p. q. 9 a. 4.

[38] GREG. Naz., ATHAN., DAMASC., CAJ. apud *Knab.* in Marc. p. 357.

[39] KNAB. *l. c.*

tuari: atqui habuit certe acquisitam. Ergo [40]. **Resp.** *Neg. maj.*, nam virtus spiritualis non est sicut corporalis, quae usu organi defatigatur et corrumpitur; spiritualis, cum exercetur sub uno respectu, manet integra sub alio, non secus ac, ut corporali utar exemplo, locus vapore unius corporis saturatus, aptissimus manet ad vaporem alterius speciei recipiendum. Quod mens nostra, dum intelligit una specie, non possit alia actuari, non est ex defectu virtutis intellectivae, sed ex impossibilitate quod intellectus simul duabus formis *ejusdem rationis* actuetur [41]. At in cognitione acquisita, per se infusa et beata mens non actuatur speciebus ejusdem rationis, et ideo una cognitio aliam non impedit.

ART. 7 - DE SANCTITATE CHRISTI.

146. **De quibus agendum.** Cum sanctitas dicat munditiem animi [1] et unionem cum Deo [2], praesens quaestio exigit ut de Christi *impeccabilitate* et de *plenitudine gratiae* ei collatae loquamur.

147. **Christi impeccabilitatis duplex radix.** Impeccabilitas Christi fundatur in hypostatica unione et in beatifica visione; ex illa sequitur repugnantia *plusquam metaphysica* peccandi, quia ex praedictis de operatione theandrica constat voluntatem humanam Christi regi a divina, cui proinde imputarentur peccata; Deum autem peccare plusquam metaphysice repugnat. Ex beatifica visione sequitur *impotentia physica* peccandi [3], quia voluntas appetitiva boni non potest peccare nisi cum peccatum sub specie boni ei proponitur; hoc autem in beatis repugnat, quia plenitudo scientiae beatificae praecavet falsum judicium sive speculativum sive practicum, et quia voluntas, quae adaequate satiatur gaudio possessionis Dei, tendere nequit in objectum Deo repugnans et ab ejus possessione avertens.

148. **Impeccabilitas Christi non repugnat libero ejus arbitrio.** Nam impeccabilitas quae sequitur hypostaticam unionem est *extrinseca* libero arbitrio [4], quae vero sequitur beatificam visionem, est quidem *intrinseca* voluntati, sed *a)* respicit tantum libertatem contra-

---

[40] SCHELL apud *Jans.* IV p. 421.

[41] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 10; q. 86 a 2; *De Verit.* q. 2 a. 9; q. 8 a. 14.

[1] S. THOM. *1 Dist.* 10 a. 4 ad 4; *III Dist.* 3 q. 3 a. 1 sol. 1.

[2] S. THOM. 2-2 q. 81 a. 8.

[3] An *impotentia physica* peccandi excludant vel imminuat meritum infra discutietur.

[4] Haec repugnantia est *extrinseca* libero arbitrio prout ex se nullam physicam realitatem inducit, at non consistit in sola *praevisione* Dei, ut vult GÜNTHER, improbatus a Janssens, sed explicatur abundantia et efficacia gratiarum quae debentur voluntati Christi titulo unionis hypostaticae.

dictionis in ordine morali, et *b)* impedit peccatum ex intima persuasione intellectus et consequenti electione voluntatis, unde non videtur obstare libertati, siquidem indifferentia circa malum non pertinet ad libertatis perfectionem sed ad ejus imperfectionem [5].

149. **Non fuit in Christo concupiscentia.** *Concupiscentia* proprie non est peccatum, sed peccati occasio et stimulus; quia tamen « a peccato est et ad peccatum inclinat » synecdoche ab Apostolo dicta est *peccatum* [6]; removenda vero est a Christo, quia Apostolus testatur similem fuisse nobis per omnia *absque peccato*, et venisse in *similitudinem* tantum *carnis peccati* [7]. Profecto defectus humanae naturae Verbum non assumpsit ex necessitate, sed *ut misericors fieret et repropitiaret delicta populi* [8]; defectus ergo, qui non sunt ordinabiles ad hunc incarnationis finem, non fuerunt in Christo: atqui talis est concupiscentia, quae inordinatis motibus mentem perturbat et liberum arbitrium imminuit: ergo « quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, a. s. » [9].

150. **Quotuplex Christi sanctitas positiva.** In Christo triplex datur unio humanae naturae ad divinam: una *substantialis* quae est per hypostaticam unionem, altera *accidentalis* quae est per gratiam sanctificantem, tertia *moralis* qua, ut redemptor, est causa sanctificationis nostrae; prima dicitur *gratia unionis*, secunda *gratia singularis*, tertia *gratia capitis*. De singulis quaedam.

151. **Gratia unionis.** Unionem hypostaticam esse gratiam atque formaliter sanctificare humanam naturam manifestum est. Est *gratia*, quia natura humana nullam exigentiam habet ut Verbo uniatur, sed ex speciali Dei benevolentia datum est ei [10]: ipsa *sanctificatur* natura assumpta, quia sanctitas formaliter consistit in unione cum Deo, et manifestum est quod natura assumpta, dum substantialiter unitur Verbo (attenta identitate naturae et personae in Deo), unitur etiam divinae naturae. Imo hac substantiali unione,

---

[5] Cf. Vol. 2 n. 206.

[6] CONC. TRID. *sess.* V. cn. 5.

[7] Hebr. **4**. 15. Rom. **8**. 3. Proprie Apostolus loquitur de immunitate ab originali culpa Christo debita titulo conceptionis virgineae (CORNELY in *Rom.* p. 400), sed immunitas a peccato originali secum affert donum integritatis.

[8] Hebr. **2**. 17.

[9] AUG. *Opus imperf.* IV n. 47; CONC. OECUM. V cn. 12; BASIL. *epist.* 261; EUSEB. *Demons. Evang.* VII c. 1; AUG. *C. Jul.* V c. 15 n. 52; LEO. M. *epist.* 35 sub fine; GREG. M., *in Evang.* hom. 16; S. THOM. 3 p. q. 15 a. 2; JANSSENS IV p. 525 sqq. Vide etiam quae diximus de *propassionibus* Christi.

[10] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 10.

humana natura fit *substantialiter sancta*, eique tribuitur sanctitas ipsa Dei, quae est unicum praedicatum divinum quod sine pantheismi labe potest creaturis communicari [11]. — Porro hujusmodi gratia unionis *a) non constituitur dono creato*, cujusmodi est gratia habitualis [12], quia natura humana immediate unitur Verbo : *b)* est *radix ceterorum bonorum*, quia hypostatica unione Christus homo constitutus est sacerdos [13], plenus gratiae et veritatis [14], omni supernaturali dono exornatus [15], jus habens ad gloriosam resurrectionem [16] : *c)* est *maxima gratiarum*, quia, ut modo diximus, est radix aliarum, quia est inamissibilis ab intrinseco, eo quod *saltem* sine miraculo non potest natura assumpta relinqui a Verbo [17], et quia nec *de congruo* eam mereri potuerunt Christus vel alii [18], siquidem Christi humanitas ante unionem non extabat, aliorum vero merita in redemptione Christi radicantur et magnitudinem gratiae unionis hypostaticae non aequant [19].

152. **Gratia singularis.** Est gratia *habitualis* quae in Christo fuit singularis ratione *originis, temporis, quantitatis* et *perfectionis*. Ratione ORIGINIS quia non fuit retributa meritis praecedentibus, neque sacramentis effecta, neque penitus gratuita, utpote debita titulo hypostaticae unionis [20]. Ratione TEMPORIS quia gratia nostra non recipitur in conceptione et processu temporis augescit, gratia vero Christi ultimam perfectionem attigit in primo conceptionis momento, in quo Christus factus est *plenus gratiae et veritatis* [21], cujusvis augmenti incapax [22]. Ratione QUANTITATIS « quippe necesse

---

[11] Ratio est quia sanctitas non denominatur ex *re*, qua aliquis Deo conjungitur, sed ex *termino* et *modo* unionis ; unde, quia in Christo natura humana substantialiter unitur Deo, etiam substantialiter sanctificatur. Cf. FRANZ. *th.* 41 p. 401 sqq.

[12] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 10.

[13] Hebr. **5**. 5.

[14] Joan. **1**. 14.

[15] BILLOT *th.* 9 p. 149 ; *th.* 17 p. 189 ; *th.* 19 n. 201.

[16] Act. **13**. 33. Cf. CORNELY *Introd. in Sacr. Script.* Diss. III § 2 n. 3.

[17] Cf. quae n. 91 diximus de hypostaticae unionis indissolubilitate.

[18] B. V. M. non meruit *de congruo* quod Verbum incarnaretur, sed quod de ipsa nasceretur si incarnandum foret ; prout scil. « meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei ». S. THOM. l. c. ad 3.

[19] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 11 ; BILLOT *th.* 9 p. 149. PESCH 408-9.

[20] « In humanae naturae susceptione, fit *quodammodo* ipsa gratia illi homini *naturalis*, qua nullum possit admittere peccatum ». AUG. *Ench.* c. 40.

[21] Joan. **1**. 14.

[22] DAMASC. *De fide orthod.* III c. 22 ; S. THOM. 3 p. q. 7 a. 12 ; BILLOT p.

est ut quanto magis creatura aliqua ad Deum accedit, tanto magis de bonitate ejus participet, et abundantioribus donis ex ejus influentia repleatur, sicut et ignis calorem magis participat, qui ei magis appropinquat. Nullus autem esse aut excogitari potest, quo aliqua creatura propinquius Deo adhaereat, quam si ei in unitate personae conjungatur. Ex ipsa igitur unione humanae naturae ad Deum in unitate personae, omnino sequitur quod anima Christi receperit quidquid de donis habitualibus gratiarum divinitus dari potest in praesenti providentia » [23]. Quapropter cum aliquo sensu dicatur infinitum quod ultimam possibilem perfectionem in praesenti ordine providentiae attingit; gratia Christi fuit *quadantenus infinita* [24]. Ratione PERFECTIONIS quia gratia, quo est intensior, eo est perfectior: unde gratiam Christi, quae erat omnium intensissima, comitari oportuit omnibus ad ordinem gratiae quomodocumque pertinentibus; multo magis quod Christus, constitutus gratiarum fons pro aliis, privari non debuit donis quae per ipsum ad alios erant pervenienda. Itaque fuerunt in Christo omnes *virtutes infusae* [25], si inter theologicas excipias *fidem* et *spem* et inter morales *continentiam* et proprie dictam *poenitentiam*, quae imperfectis tantum

---

191; PESCH n. 298; JANSSENS IV p. 367 sqq. *OBJIC.* Scriptura docet Christum *profecisse sapientia et gratia apud Deum, et homines* (Luc. **2**. 52): ergo. *RESP.* « In sapientia et gratia potest (quis) proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiae et gratiae augmentatos: et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, inquantum scil. aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit; et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et aetate, quia secundum processum aetatis perfectiora opera faciebat ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum et in his quae sunt ad homines ». S. THOM. 3 p. q. 7 a. 12 ad 3. Cf. ATHAN. *C. Arian.* or. 3 n. 52; AUG. ep. *ad Volus.* c. 3; CYRIL. Alex. *De incar.* c. 12.

[23] BILLOT *th.* 17 p. 189.

[24] S. THOM. 3 p. q. 7 a. 10. Hinc patet aliter plenitudinem gratiae esse intelligendam in *Christo* (Joan. **1**. 14), in *B. V. M.* (Luc. **1**. 28) et in *S. Stephano* (Act. **6**. 8); in Christo enim gradum obtinuit qui ad *Dei Filium* pertinebat, in B. V. M. ut *matrem Domini* decebat, in S. Stephano vero ea mensura quae *homini sancto* conveniebat. S. THOM. *l. c.* ad 1.

[25] S. THOM. 3 p. q. 7 a. 2.

conveniunt [26] : fuerunt *dona Spiritus S.* a quo *agebatur* [27] : fuerunt *gratiae gratis datae* « sicut in primo et principali fidei doctore » ; siquidem gratiae gratis datae « ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem » [28] : fuit in ipso *prophetia* late sumpta, quae dicitur de cognitione rei *nobis* occultae, quippe plenitudine scientiae Christus cognovit omnia abscondita et futura [29]. — Sicut autem gratia Christi fuit singularis *quoad habitum,* ita singularis extitit *quoad actum;* nam attentis praedictis de operatione theandrica, gratiae actuales datae Christo fuerunt nostris *intensiores* et omnes *efficaces;* opera vero illis perfecta *infinitam dignitatem* meritumque infinitum acceperunt ex divinitate *principii quod* seu personae agentis.

153. **Gratia capitis.** In primis notari debet cum S. THOM. quod *gratia capitis* non differt specifice a *gratia singulari* [30] ; ipsa enim forma, qua agens est in actu, cum summam perfectionem attingit, fit principium derivationis illiusmet formae in alios, quod pertinet ad rationem capitis [31]. Porro impositio nominis sumitur a SCRIPTURIS quae volunt ut *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus* [32], et deducitur ex analogia ad corpus humanum, est enim Christus *caput corporis Ecclesiae* [33], nos vero *corpus*

---

[26] Revera *fides* est argumentum non apparentium, unde esse non potuit in Christo, qui scientia beatifica omnia mysteria scrutabatur : *spes* absens supponit objectum amatum, Christus autem comprehensor Deum possidebat (1 Corinth. **13**. 8-13) : *continentia* proprie est virtus quae a delectatione venerea retinet (S. THOM. 1-2 q. 155 a. 1), unde non fuit in Christo (S. THOM. 3 p. q. 7 a. 2 ad 3) qui a concupiscentiae fomite erat immunis : *poenitentia* ordinatur ad dolendum de peccatis propriis, unde nec quoad actum nec quoad habitum esse potuit in Christo, qui erat impeccabilis (S. THOM. 3 p. q. 84 a. 7 ad 4). — Si tamen *spes* intelligitur de appetitione cujuscumque boni absentis, et *continentia* large accipitur pro temperantia (S. THOM., 3 p. q. 7 a. 2 ad 3), atque *poenitentia* sumitur « pro quacumque detestatione rei praeteritae » (S. THOM. 3 p. q. 84 a. 2 ad 3), in Christo fuit *spes,* quia optavit glorificationem obtinendam per passiones (PESCH n. 227 ; JANSSENS p. 348 sqq.), fuit *continentia* quia a pravis concupiscentiis liber extitit (S. THOM. 3 p. q. 7 a. 2 ad 3), fuit *poenitentia* quia doluit de peccatis nostris (JANSSENS p. 344).

[27] Luc. **4**. 1 ; S. THOM. 3 p. q. 7 a. 5.

[28] S. THOM. 3 p. q. 7 a. 7.

[29] S. THOM. 3 p. q. 7 a. 8.

[30] S. THOM. hanc gratiam vocat *personalem,* sed nunc communius dicitur *singularis.*

[31] S. THOM. 3 p. q. 8 a. 5.

[32] Ephes. **4**. 15 ; 1 Corinth. **11**. 3.

[33] Colos. **1**. 18.

Christi et membra de membro [34]. Jamvero in capite tria attenduntur : *a) perfectio* qua sensus omnes continet, *b) principatus* quo dirigit motus corporis, et *c) influxus* quo per cerebrum, ubi omnes nervi confluunt, determinat operationes aliorum membrorum. Secundum *primum* signatur in Christo plenitudo gratiae, qua supra omnes angelos regnat sedens a dextris Dei [35] : secundum *alterum* exprimitur supremum dominium, quo omnia posita sunt sub ejus imperio [36], ita ut vere sit *rex regum et dominus dominantium* [37], *in cujus nomine omne genu flectetur coelestium, terrestrium et infernorum* [38] : secundum *tertium* indicatur derivatio gratiae, qua *de plenitudine ejus omnes nos accepimus* [39] ; *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi costituentur multi* [40] ; Adam scil. naturali generatione induxit peccatum, Christus, ab Adam praefiguratus [41], superna generatione *multos filios in gloriam adducit auctor salutis eorum* [42].

154. **Christus est caput etiam Angelorum.** Nam Apostolus dicit quod sumus repleti in Christo *qui est* CAPUT *omnis principatus et potestatis* [43], sub nominibus vero *principatus* et *potestatis* intelliguntur angeli. Porro quoad primam et alteram capitis rationem nulla difficultas, sed quomodo Christus *influat* in angelos vix intelligitur et diversimode explicatur a theologis. Qui incarnationem concipiunt independentem a peccato Adae, docent omnem gratiam status innocentiae et angelorum collatam fuisse intuitu meritorum Christi, et ita Christum esse angelorum caput prout eis quoque est causa salutis [44]. Sed nos, qui incar-

---

[34] 1 Corinth. **13**. 27. JANSSENS argumenta Scripturae confirmat auctoritate AUG. *Quaes. 83* q. 69 n. 10 ; *De Civ. Dei* X c. 20 ; necnon CONC. TRID. sess. VI c. 16 ; XXII cn. 3.

[35] Ps. **109**. 1.

[36] Ps. **2**. 8 ; Matth. **28**. 18 ; Hebr. **2**. 8.

[37] Matth. **27**. 11 ; 1 Tim. **6**. 15 ; Apoc. **19**. 16.

[38] Philip. **2**. 10.

[39] Joan. **1**. 16.

[40] Rom. **5**. 19.

[41] Rom. **5**. 14.

[42] Hebr. **2**. 10 Cum *caput* unum tantum esse possit, ratio capitis Christo est *propria;* unde cum in terris participatur ab iis qui praedicatione et sacramentis influunt gratiam, dimidiate fit, h. e. instrumentaliter et ad tempus, scil. prouti sunt ministri Christi usque ad finem mundi ; tunc enim evacuabitur omnis principatus et potestas et virtus (1 Corinth. **15**. 24) et omnia subjicientur immediate Christo. S. THOM. 3 p. q. 8 a. 6 ; BILLOT *th. 18* p. 196.

[43] Colos. **2**. 10.

[44] SUAREZ *De myst. Vitae Chr.* Disp. 42 sect. 1.

nationem diximus consequentem peccatum Adae [45], hujusmodi influxum agnoscere non possumus; in nostra igitur sententia Christus est caput angelorum, quia « Angeli, cum sint ministri Christi per omnia, ei tamquam summo principi famulantes [46], admittuntur etiam ad ejus societatem et fruitionem et consortium, ab eoque recipiunt illuminationes de iis mysteriis gratiae, *in quae desiderant angeli prospicere* [47], ut dicitur in prima Petri » [48].

155. **Errores — Veritas.** *Peccata* tribuerunt Christo JUDAEI [49], AUG. DE ROMA damnatus in Conc. Basil. [50], CALVINUS, BEZA [51] et plures RATIONALISTAE qui fere de omnibus peccatis accusant Christum [52]: Christi *sanctitatem* impugnant osores ordinis supernaturalis, quos saepe retulimus. — **Veritas.** Christi *impeccabilitas*, jam proposita in CONC. EPHES., definita est in CHALCED. et iterum in TOLET. et FLOR.: « Docemus D. N. J. C..., per omnia nobis similem *absque peccato* » [53]: *sanctitas*, licet forte non sit definita, tam clare continetur in Scripturis et Traditione, ut merito de fide dicatur; hanc vero sanctitatem esse *triplicem*, scil. unionis, habitualis et capitis, ad fidem non pertinet, sine nota tamen temeritatis impugnari non potest quia communi theologorum sententia firmatur [54].

THES. 18. *Christus fuit — 1 prorsus impeccabilis et — 2 sanctificante gratia plenus.*

156. **Prima pars.** *Christus fuit impeccabilis.* Christi impeccabilitatem docet **Scriptura** in protoëvangelio cum annuntiat perpetuas inimicitias Redemptoris ad semen serpentis seu peccatum [55], ab illo penitus destruendum; manifestum est enim quod nemo cum inimico foedus init, nec victo subjicitur. — Accedunt testimonia affirmantia quod Christus, tentatus per omnia pro similitudine *absque peccato* [56], *peccatum non novit* [57], *nec inventus est dolus in ore ejus* [58]; sed *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a pecca-*

---

[45] Supra n. 10.
[46] Hebr. **1**. 6-14.
[47] 1 Petr. **1**. 12.
[48] BILLOT *th.* 18 p. 195. Cf. S. THOM. *III Dist.* 13 q. 2 a. 2; FRANZ. *th.* 41 p. 418-9; PESCH n. 294; JANSSENS IV p. 386 sqq.
[49] Joan. **9**. 24.
[50] Apud *Janssens* l. c.
[51] Apud *Padovani* in Hebr. **5**. 7.
[52] Apud *Janssens* l. c.
[53] CONC. CHALCED.; EPHES., cn. 10; OECUM. VI; TOLET. XI; FLOR. *Decr. pro Jacob.*
[54] PESCH n. 280, 292.
[55] Gen. **3**. 15.
[56] Hebr. **4**. 15.
[57] 2 Corinth. **5**. 21.
[58] 1 Petr. **2**. 22 coll. Isai. **53** 9.

toribus... non habuit necessitatem, quemadmodum (ceteri) *sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre* [59], sed redemit nos pretioso sanguine quasi agni *immaculati* et *incontaminati* [60] : licet enim haec directe agant de *facto* innocentiae Christi, qui acerrimos inimicos provocavit ut eum *arguerent de peccato* [61], indirecte ipsam *impossibilitatem* peccandi ostendunt; siquidem immunitas a peccato antonomastice de Christo praedicant [62] atque deducunt ex fine incarnationis [63] et ex hypostatica unione [64], quae profecto temporis differentiam ignorant. — **Patres** *a)* docent cum AUG. quod « in ejus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in corpore ullum potuit esse peccatum » [65], siquidem « naturaliter a peccato et malitia alienus fuit » [66]; *b)* tam vero manifestam habent hanc Christi impeccabilitatem, ut peccatum desumant ex oppositione ad ejus vitam, dicentes quod « nullum peccatum committi potest nisi dum appetuntur ea, quae ille contempsit, aut fugiuntur quae ille sustinuit » [67]. *c)* Argumenta pro hac veritate praecipue derivant *ex incarnationis fine* et ex *hypostatica unione*. « Quemadmodum, inquit CYRIL. Alex., in Adamo condemnati sumus ob inobedientiam mandatique transgressionem, ita in Christo justificati sumus *propter omnimodam ipsius a peccato immunitatem* sive *puritatem* et *perfectam inculpatamque* obedientiam » [68]. Et ORIG. : sicut « si massa ferri semper in igne sit posita... numquam dicemus... posse frigus aliquando recipere... ; hoc modo etiam illa anima, quae quasi ferrum in igne sic semper in Verbo (est), semper in sapientia; semper in Deo posita est; omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est » [69]. — **Ratio** petitur ex hypostatica unione et beatifica visione [70].

---

[59] Hebr. **7**. 26-7.

[60] 1 Petr. **1**. 19.

[61] Joan. **8**. 46.

[62] Cf. Isai. **12**. 6; **45**. 8; **49**. 5; Dan. **9**. 24; Malach. **4**. 2; Matth. **1**. 24; Luc. **1**. 35.

[63] Hebr. **4**. 15 coll. **7**. 26-7; 1 Joan. **3**. 5.

[64] Hebr. **4**. 15 coll. Philip. **2**. 8.

[65] AUG. *De pecc. merit. et remis.* II c. 13; PROSP. *De contemp.* III c. 31; RUPERT. *De volunt.* c. 11.

[66] HIPPOL., MAXIM. etc. apud *Petav.* De incarn. XI c. 10 n. 9.

[67] AUG. *De Vera Relig.* c. 16.

[68] CYRIL. Alex. *C. Anthrop.* c. 23; in *Ps.* **129**; AUG. *De temp.* serm. 6; FULG. *ad Thras.* I c. 11.

[69] ORIG. *De Princ.* II c. 6; DIONYS. Alex. epist. synod. *ad Paul. Sam.*; ATHAN. *De incarn.*; *C. Apol.*; EPIPH. *Ancor.* n. 80; CYRIL. Alex. *C. Anthrop.* c. 23; in *Joan.* V et VI *apud Phot.* XI. c. 10 n. 7; AUG. *C. Serm. Arian.* c. 7; *De corr. et grat.* c. 11; FULG. *ad Thras.* I c. 2; III c. 29.

[70] Supra n. 147.

157. **Secunda pars.** *Christus vere fuit plenus gratiae habitualis.* Nam **Scriptura** docet Christum *sanctificatum* a Patre [71], qui in illo *sibi complacuit* [72]; tam *sanctum* [73] et plenum *gratiae et veritatis* [74], ut vere *dilexerit justitiam* [75] ejusque regnum in terris fundaverit [76]: sanctitatem autem hanc non fuisse solum substantialem per hypostaticam unionem, sed accidentalem per gratiam *habitualem,* inde sequitur quod Christus fuit plenus illius gratiae, quam *omnes nos accepimus* [77], et qua ipse, *primatum tenens in omnibus* quae spectant ad Ecclesiam [78], repletus est donis Spiritus S. [79]; gratia enim quam nos accepimus, quaeque est bonum Ecclesiae et radix donorum Spiritus S. est gratia habitualis. — **Patres** nonnumquam celebrant gratiam unionis hypostaticae [80], sed saepius loquuntur de gratia habituali; dicunt enim *a)* de gratia qua Christus « cum sit sanctus secundum naturam, in quantum Deus: sanctificatur *nobiscum* quoad humanitatem », ita ut « vocare nos fratres haud erubescat » [81]; *b)* de gratia quae *nobis datur* infimo gradu, siquidem in ipso, ut ait CHRYS., « est universa gratia, in hominibus (autem) parum quid et gutta ex illa gratia »; *c)* de gratia qua Christus invisibiliter est « unctus *dono gratiae,* quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia » [82]; *d)* de gratia quae hypostaticam unionem consequitur; « nam, ait DAMASC., si caro

---

[71] Joan. **10**. 36.

[72] Isai. **42**. 1; Matth. **3**. 17; **12**. 18.

[73] Luc. **1**. 35; Hebr. **7**. 26.

[74] Joan. **1**. 14.

[75] Ps. **45**. 8.

[76] Isai. **42**. 5-9; Dan. **9**. 24.

[77] 1 Joan. **1**. 16. Argumentum confirmatur ex v. 17 quo Joan. opponit Christum Moysi: hic scil. a Deo accepit *legem* et tradidit judaeis; ille accepit *gratiam et veritatem* quas nobis communicavit. Cf. KNAB. in *h. l.*

[78] Colos. **1**. 18-9. Primatum respicere etiam bona Ecclesiae inde patet quod Apostolus commemorat *resurrectionem* et dicit Christum tenere primatum *in omnibus.* Ceterum proprium est capitis communicare in vita cum membris; justus autem in Christo et de Christo vivit (Gal. **2**. 20), non secus ac de pinguedine olivae vivit et fructificat oleaster in illa insertus (Rom. **11**. 17).

[79] *Requievit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini.* Isai **11**. 1-3; **42**. 1.

[80] GREG. Naz. *Or.* 30 n. 21; AUG. in *Joan.* tr. 108 n. 5; *Ench.* c. 40; CYRIL. Alex. in *Joan.* XI c. 9; DAMASC. *De fide orth.* III c. 3 apud PESCH n. 281- 2; PETAV. *De Inc.* XI c. 7.

[81] CYRIL. Alex. *Dial. de Trin.* 6; in *Joan.* X c. 10.

[82] AUG. *De Trin.* XV c. 26 n. 4; IREN. *Adv. haer.* III c. 18.

a primo statim ortu vere Deo unita est..., qui fieri potuit, ut non omnibus prorsus sapientiae et *gratiae dotibus* affluxerit? » [83].

Ratio ipsamet est quam DAMASC. innuit; scil. gratia habitualis *debebatur* Christo titulo hypostaticae unionis. Et si quaeras de causa, respondemus: ratione *finis*, ratione *propinquitatis ad Deum*, ratione *haereditatis* et ratione *capitis*. *a)* Ratione *finis* quia Verbum est incarnatum ut aeternam vitam nobis mereretur; meritum autem vitae aeternae supponit gratiam habitualem, qua natura elevatur ad ordinem supernaturalem [84]. *b)* Ratione *propinquitatis ad Deum;* « quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo, secundum illud: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* [85]. Et ideo maxime fuit conveniens ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae » [86]. *c)* Ratione *haereditatis*, quia *si filius et haeres* [87]; atqui Christus ut homo est Filius naturalis Dei [88]: ergo qua homo jus habuit ad haereditatem seu ad beatificam visionem: atqui visio Dei naturalibus potentiis assequi non potest [89]: ergo humanitas Christi gratia est elevata, ut lumine gloriae (in gratia radicato) Deum posset intueri. *d)* Ratione *capitis* siquidem, ut fert notum adagium, *propter quod unumquodque tale et illud magis;* quia ergo Christus, utpote Ecclesiae caput, est ratio derivationis gratiae in nos, abundantiori gratia ditari debuit. « Unde vides unam tantum in praesenti esse differentiam inter Christum et homines ceteros; quatenus in ceteris gratia habitualis non supponit antecedens aliquod donum a quo exigatur, haec autem gratia *debetur* humanitati consequenter ad donum majus quod est gratia unionis » [90].

---

[83] DAMASC. *De fide orth.* III c. 22.

[84] *Principium quod* seu *persona* operationi confert dignitatem et (si divina) infinitatem; sed operatio *specifice* considerata sequitur *principium quo* seu *potentiam* qua elicitur, unde si potentiae humanae Christi non fuissent ab intrinseco elevatae gratia, eorum operationes mansissent in ordine naturali, ideoque improportionatae ad ordinem gratiae.

[85] Ps. **38**. 12.

[86] S. THOM. 3 p. q. 7 a. 1.

[87] Rom. 8, 17; 1 Joan. **3**. 2.

[88] Supra n. 115.

[89] Cf. Vol. 2 n. 28.

[90] BILLOT, p. 183.

CAPUT VI.

De Christo mediatore.

158. **Capitis divisio.** Hucusque Christum in seipso consideravimus; de incarnationis beneficiis agendum nunc est, siquidem Christus, « propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis » [1]; *non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* [2]. Porro mediationis opus enarrantes, *factum* et *modum* considerabimus, caput dividentes in quinque articulos, scil. — 1. *de veritate mediationis Christi,* — 2. *de plenitudine redemtionis nostrae,* — 3. *de Christi munere prophetico et regali,* — 4. *de ejus sacerdotio, et* — 5. *de sacrificio crucis.*

Art. 1 - De veritate mediationis Christi.

159. **Quis mediator.** Etymologice *mediator* dicitur qui, inter duos vel plures medius existens, eos aliquo modo conjungit [1]; quod quidem dupliciter contingit, in ordine scil. *ontologico* et *morali:* primo modo duae diversae naturae in unitate personae conveniunt [2], altero diversae personae, quae lite vel inimicitia erant sejunctae, mediatoris officio pacificantur. Mediatio autem *moralis* quadruplex cum Bellar. agnoscitur, « primo modo discernendo et judicando causam, quo modo *arbitri* (seu *judices*) dici possunt mediatores... : secundo referendo hinc inde pacta et conditiones utriusque partis, quo modo omnes *internuncii* (seu *legati*) dici possunt mediatores... : tertio orando et supplicando uni parti pro altera (quo modo *intercessores* seu *advocati* sunt mediatores)... : quarto solvendo et satisfaciendo uni parti pro altera (quod proprium est *vadis* seu *sponsoris*) » [3].

---

[1] Symb. Nicaen.

[2] Joan. **3**. 17.

[1] S. Thom. *III Dist.* 19 q. 1 a. 5.

[2] Haec conjunctio est perfecta si substantialis, imperfecta si accidentalis : hinc ontologice Christus est *simpliciter* mediator, justus vero, qui gratia Deo unitur, *secundum quid.*

[3] Bellarm. *De Christo Capite* V, c. 1; Sala III, n. 62. Cum Bellarm. nota priores modos mediationis puris creaturis posse communicari, quartum *Deo-homini* reservari.

160. **Quo sensu Christus sit mediator.** Omnibus supradictis modis Christus est mediator Dei et hominum. Est mediator in ordine ONTOLOGICO quia in unitate personae humanam naturam divinae conjunxit: est JUDEX quia *neque Pater judicat quemque, sed omne judicium dedit Filio* [4]: est LEGATUS quia *Deus misit Filium suum* [5] ut, melior Moyse mediator effectus [6], mysteria fidei enarraret [7], legem promulgaret [8] ac novum foedus constitueret [9]: est INTERCESSOR quia *advocatum habemus apud Patrem J. C. justum* [10], *semper viventem ad interpellandum pro nobis* [11]: est SPONSOR quia *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* [12].

161. **Christus est mediator qua homo.** Hoc docet Apostolus mediatorem Dei et hominum dicens *hominem J. C.* [13]; hac enim voce, un notat AUG., significatur quod « mediator Dei et hominum non in quantum Deus, sed in quantum homo est Jesus Christus » [14]. Profecto « in mediatore duo possumus considerare: primo quidem rationem medii, secundo officium conjungendi. Est autem de ratione medii quod distet ab utroque extremorum. Conjungit autem mediator per hoc quod ea, quae unius sunt, defert ad alterum. Neutrum autem horum potest convenire Christo secundum quod Deus, sed solum secundum quod homo. Nam secundum quod Deus non differt a Patre et a Spiritu S. in natura et potestate dominii. Nec etiam Pater et Spiritus S. aliquid habent quod non sit Filii; ut sic possit id quod est Patris vel Spiritus S., quasi quod est aliorum, ad alios deferre. Sed utrumque convenit ei, in quantum est homo: quia secundum quod est homo, distat et a Deo in natura, et ab hominibus (in persona et) in dignitate gratiae et gloriae. Inquantum etiam est homo, convenit ei conjungere homines Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando. Et ideo verissime dicitur mediator, *secundum quod homo* » [15].

162. **Redemptor, salvator, satisfactor, propitiator, sanctificator.** Sunt synonyma *mediatoris* quae competunt Christo prout in

---

[4] Joan. **5**. 22; AMBR. in 1 *Tim.* **2**.
[5] Gal. **4**. 4.
[6] **Hebr. 9. 15; 12**. 24.
[7] **Joan. 1. 18.**
[8] Matth. **5-7**.
[9] Vol. 1 n. 193.
[10] 1 Joan. **2**. 1.
[11] Hebr. **7**. 25.
[12] 1 Tim. **2**. 6.
[13] 1 Tim. **2**. 5.
[14] AUG. *in Joan.* tr. 82, n. 4; *De cons. evang.* I, c. 3; *De pecc. orig.* c. 25, n. 28; c. 29, n. 33.
[15] S. THOM. 3 p. q. 26 a. 2; *III Dist.* 19 a. 5 sol. 2; BILLOT, p. 325; JANSSENS, p. 827 sqq. *NB.* Haec evincunt contra PROTESTANTES officium mediatoris non convenire Christo *ratione* divinitatis; sed non probant, quod contendebat STANCARUS, eidem convenire *independenter* a persona divina; sine hac enim meritum non esset infinitum. BELLARM. *l. c.* V, c. 2-4.

opere nostrae salutis attenditur *Deus* cui satisfecit, vel *homo* quem liberavit, vel *peccatum* quod destruxit, vel *peccati vinculum* quod fregit. Si in mediatione consideratur honor, quem supra mensuram dedecoris a nobis illati Christus obtulit Patri, ipse SATISFECIT pro peccatis nostris: si consideratur bonum quod nobis contulit, est salvator et sanctificator; SALVATOR ratione termini *a quo* (scil. culpae et poenae) nos liberavit, *salvamur* enim *ab ira per ipsum* [16]; SANCTIFICATOR ratione termini *ad quem* (gratiae et gloriae) nos perducit, siquidem *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi* [17]: si consideratur peccatum, quod abstulit de mundo [18], Christus est PROPITIATOR *pro peccatis nostris* [19]: si tandem considerantur peccatorum vincula quae confregit et servitus diaboli, a qua nos liberavit, est REDEMPTOR, quia *redemit nos Deo* [20].

163. **Errores — Veritas.** *Defectu* erraverunt GNOSTICI eorumque praecursores dicentes Christum ultimum *eonum* a Deo emanantium [21], et dein ARIANI, SOCINIANI, RATIONALISTAE et MODERNISTAE qui Christi divinitatem negantes, mediationem ipsam ontologicam, quae moralis est fundamentum, pessum dederunt. *Excessu* peccaverunt MANICHAEI et VIGILANTIUS, ac dein PROTESTANTES aestimantes mediationi Christi repugnare invocationem et intercessionem sanctorum [22]. **Veritas** definita est in CONC. TRID. docente « illos, qui negant sanctos... invocandos esse; aut qui asserunt... invocationem (sanctorum)... adversari honori unius mediatoris Dei et hominum J. C. impie sentire » [23].

THES. 19. *Christus — 1 est mediator noster, — 2 suae tamen mediationi non obstat sanctorum invocatio.*

164. **Prima pars.** *Christus vere est mediator noster.* Ut nubi testium **Scripturae** ordinem quemdam imponamus, mediationem

---

[16] Rom. **5**. 9.

[17] Hebr. **10**. 10; 1 Corinth **1**. 34; **6**. 11.

[18] Joan. **1**. 29.

[19] 1 Joan. **4**. 10.

[20] Apoc. **5**. 9. *NB.* « *Redemptio* sine metaphora dicitur de servis (qui liberantur)... pretio soluto ipsi habenti servum in sua potestate. At in subjecta materia agitur de servitute sub peccato, sub concupiscentia, sub poena peccati, et sub diabolo tamquam executore non autem legitimo possessore; unde pretium solvendum sunt ipsa satisfactio et meritum, quae Deo offenso exhibenda sunt, et *pretium* dicuntur non quasi aequivalens servo redimendo, sed *satisfactio* quidem aequivalens injuriae illatae et compensans honorem laesum, *meritum* autem aequivalens gratiae et bonis supernaturalibus recuperandis generi humano ». FRANZ. *De Ver. inc.* p. 482.

[21] His alludit Apostolus 1 Tim. **2**. 5 et Colos. **2**. 18-9. Cf. PADOVANI in 1 *Tim.* p. 150.

[22] Supra n. 5.

[23] CONC. TRID. sess. XXV *De invocatione sanctorum.*

Christi demonstrabimus ex testimonio *Patris* et ex verbis *Christi* et *discipulorum*. — PATER MISIT FILIUM SUUM UT ESSET NOSTER MEDIATOR. Nam protoparentibus promisit Christum uti liberatorem, qui *contriturus erat caput serpentis* [24] : patriarchis annuntiavit uti fontem *benedictionis* pro *omnibus gentibus* [25] ; per prophetas exhibuit vadem in quo *posuit iniquitates omnium nostrum* ut, facta super eum disciplina pacis nostrae, *livore ejus sanaremur* [26] ; ipse enim debebat *iniquitates nostras portare*, et *multos justificare* [27]. In N. T. Pater dedit Filium suum *ut salvetur mundus per ipsum* [28], atque *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* [29], *ut* (nos) *efficeremur justitia Dei* [30] ; unde volens *per eum reconciliare omnia* [31], proprio Filio suo non pepercit, *sed pro nobis tradidit illum* [32]. — FILIUS MEDIATORIS OFFICIUM SUSCEPIT ET EXERCUIT. Nam ingrediens mundum ait : *holocautomata tibi non placuerunt, tunc dixi : Ecce venio* [33] ; fassus autem est se *venisse quaerere et salvum facere quod perierat* [34], venisse *ut* homines *vitam haberent* [35] per se [36], qui *dat eis vitam aeternam* [37]. Hinc suam missionem explicans parabolis et exemplis, se comparavit *ostio* per quod oves intrant [38] : *bono pastori* qui, relictis 99 ovibus in deserto, venit quaerere illam quae perierat [39], eamque vitae dispendio a lupis defendit [40] : *viti verae* quae feracitatem tribuit palmitibus [41]. MEDIATIONEM CHRISTI TESTANTUR DISCIPULI EJUS. Nam juxta JOAN. BAPT. Christus est *agnus qui tollit peccatum mundi* [42] ; juxta JOAN. EVANG. *propitiatio pro peccatis nostris... et pro totius mundi* [43] ; juxta PETRUM *pro peccatis nostris mortuus est* [44], unde *non est*

---

[24] Gen. **3**. 15.

[25] Gen. **22**. 18 ; **26**. 4 ; **28**. 14 ; etc.

[26] Isai. **53**. 4-6.

[27] Isai. **53**. 11 ; Jerem. **31**. 31-4 ; Michea **7**. 7-19 ; Dan. **9**. 24.

[28] Joan. **3**. 16-7.

[29] Scil. super eum posuit nostra peccata et quasi ipsum peccatum traduxit. CORNELY in 2 *Corinth.* p. 173.

[30] 2 Corinth. **5**. 21.

[31] Colos. **1**. 20.

[32] Rom. **8**. 32.

[33] Hebr. **10**. 6-7. Scil. : Quia *tibi non placuerunt* sacrificia V. T., ideo *aptasti mihi corpus* ut loco illorum me offerrem pro peccatis ; *ecce adsum* ut hanc impleam voluntatem.

[34] Luc. **19**. 10.

[35] Joan. **10**. 10.

[36] *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Joan. **14**. 6.

[37] Joan. **10**. 28.

[38] Joan. **10**. 7.

[39] Matth. **18**. 12-3 ; Luc. **15**. 4 sqq.

[40] Joan. **10**. 11-6.

[41] Joan. **15**. 1 sqq.

[42] Joan. **1**. 29.

[43] Joan. **2**. 2.

[44] 1 Petr. **3**. 18.

in aliquo alio salus [45]; PAULO Christus non solum est *mediator* [46], sed *unicus mediator* [47] et vere *redemptor* [48], qui ab Adam praefiguratus, sua obedientia nobis promeruit justificationem [49], et, *pax nostra,... reconciliavit ambos* [50] *in uno corpore Deo* [51]; quare oblatus *ad multorum exhaurienda peccata* [52], *consummavit in sempiternum sanctificatos* [53]. — **Patres** mediationem Christi *a)* ad actum deductam vident in ipso V. T. [54]; *b)* eam arguunt ex Scripturis N. T. et praecipue ex 1 Tim. **2.** 5 [55]; atque *c) explicant* de mediatione *morali* sive lato sensu sumpta, quatenus Christus ut « Pontifex deprecatur pro nobis » [56], sive stricte accepta de *arbitro* ad componendam causam instituto [57], seu melius de vade et sponsore, qui « eos, qui recesserunt (a Deo), per se reconciliat » [58]. *d)* Hanc porro mediationem moralem Patres fundant in *ontologica,* quia « unum cum Patre secundum spiritum (divinitatem), nobiscum vero secundum carnem, ita mediator erat inter Deum et hominem » [59]; « oportebat (enim) mediatorem Dei et hominum per suam *cum utroque propinquitatem,* ambos in amicitiam et concordiam adducere » [60]. — **Ratio** a priori nil evincit, suadet tamen ex hypo-

---

[45] Act. **4.** 11-2.

[46] Hebr. **8.** 6; **9.** 15; **12.** 24.

[47] 1 Tim. **2.** 5.

[48] Rom. **3.** 24; 1 Corinth. **1.** 30; Gal. **3.** 13; **4.** 5; Eph. **1.** 7; Colos. **1.** 14; 1 Tim. **2.** 6; Tit. **2.** 14; Hebr. **9.** 12.

[49] Rom. **5.** 12-21.

[50] Scil. populum judaeum et graecum.

[51] Eph. **2.** 14-6.

[52] Hebr. **9.** 28.

[53] Hebr. **10.** 14.

[54] CHRYS., PHOT., THEOPH., HIER. (apud *Petav.* De incar. XII c. 1 n. 11) hoc deducunt ex Gal. **3.** 19; notat tamen CORNELY (in *h. l.* p. 506) Apostolum loqui de Moyse, non de Christo.

[55] HIPP. *C. Nest.* 1; AUG. *De cons. Evang.* c. ult.; in *Ps.* **90** enar. 2 n. 1; in *Ps.* **103** enar. 4 n. 8; AMBR. in *h. l.;* THEOD. in *h. l.;* LEO M. *epist.* 11 etc.

[56] DIDYM. *De Spir. S.* II; AUG. enar. in *Ps.* **85** n. 1; CYRIL. Alex. *in Joan.* XI c. 7.

[57] AUG. in *Ps.* **103** enar. 4 n. 8.

[58] AUG. in *Ps.* **90** enar. 2 n. 1; *Conf.* X c. 42 n. 2; *De cons. Evang.* I c. 35 etc.; CHRYS., in *Ascens. Chr.* hom. 134; LEO M., *De Nativ. D.* serm. 6 c. 3.

[59] ATHAN. *De incar.* n. 22.

[60] IREN. *Adv. haer.* III c. 18 n. 7; HIPPOL. *C. Nestor.* 1; TERTUL. *De Resur. carnis* c. 31; *C. Prax.* c. 27; CYPR. *Adv. judaeos* II; LACT. *De divin. inst.* IV c. 25; BASIL. *C. Eunom.* c. 4; EPIPH. *Ancor.* n. 44; CHRYS. in *1 Tim.* **2.** 5; hom. *De ascens.;* AUG. *De Civ. Dei* IX c. 15 n. 1; in *Ps.* **90** enar. 2 n. 1; *Conf.* X c. 42 n. 2; *Serm.* 47 n. 20; CYRIL. Alex. in *Joan* XI c. 12; LEO M., *epis.* 11; FULG. *ad Thrasim.* I c. 15 apud *Petav.* XII c. 1 et 2.

statica unione; conveniens quippe erat quod Verbum, apprehendens semen Abrahae [61], non sanctificaret tantum individuam naturam assumptam, sed universam humanam familiam, et sic fieret Primogenitus in multis fratribus [62].

165. **Secunda pars.** *Mediationi Christi non obstat sanctorum invocatio.* Nam **Scriptura** *a)* approbat honorem tributum angelis deque eorum auxilio loquitur [63]; si autem « angelos colere licet, idem valet de sanctis hominibus coelicolis, quia eadem est ratio » [64]: *b)* testatur efficaciam intercessionis sanctorum in terris degentium [65], et absonum est in coelis sanctos non posse quod valent in terris [66]. *c)* Adde etiam visionem Judae Machabaei qui contemplatus est Oniam et Jeremiam orare pro populo Israël [67]. — **Patres** *a)* docent cum GREG. Naz. « omnium martyrum (et sanctorum) memoriam celebrandam esse » [68] eorumque auxilium deprecandum, siquidem sunt nostri *propugnatores, defensores* et *patroni* [69]; *b)* sanctorum invocationem distinguunt a *cultu defunctorum,* quia pro his oramus, illos vero colimus « ut ipsi pro nobis orent » [70], et a *cultu Dei,* quia « memorias martyrum... celebramus ad *excitandam imitationem,* et ut meritis eorum *consociemur* atque orationibus adjuvemur; ita tamen ut soli ipsi Deo martyrum... *constituamus altaria* » [71]; sanctos scil. « honoramus *servos,* ut honor servorum redundet ad Dominum » [72]. *d)* Hanc vero mediationem deducunt *ex praxi Ecclesiae,* quae semper sanctos exaltavit et invocavit [73]: *ex conditione sanctorum,* non enim mortui sunt sed vivunt et regnant cum

---

[61] Hebr. **2**. 16.

[62] Rom. **8**. 29; Hebr. **2**. 11 sqq. Cf. S. THOM. *III Dist.* 19 q. 1 a 5 sol. 2.

[63] Jos. **5**. 13 sqq.; Tob. **12**. 16; Ps. **90**. 11 sqq.; Mach. **11**. 6 sqq.; Matth. **18**. 10; Luc. **2**. 9 sqq.; Act. **12**. 7 sqq.; Apoc. **5**. 11. sqq.; etc.

[64] **PESCH n. 632.**

[65] Deut. **5**. 5; Job **5**. 1 sqq.; **42**. 8; 1 Reg. **7**. 8; Act. **27**. 24; Rom. **15**. 30; 2 Corinth. **1**. 11; Ephes. **6**. 18-9; Colos. **4**. 3; Hebr. **13**. 18.

[66] HIER. epist. 7 (al. 75) *C. Vigil.*

[67] Machab. **15**. 12 sqq.

[68] GREG. Naz. *or.* 24 n. 4.

[69] AMBR. in *Luc.* **20**; epist. 55 *ad Marcel.; De Viduis;* IREN. *Adv. haer.* V. c. 9; TERTUL. *De coron.* c. 3; CYPR. *Epist.* 39 n. 3; BASIL. or de *Quadr. Martyr.;* GREG. Nys. Or. 2 in *Quadr. Martyr.;* CHRYS. Hom. 66 ad *popul. Anthioc.;* PUDENT. Hym. de *S. Laur.;* LEO M. *De Epiph.* serm. 5; DAMASC. *De fide orthod.* IV c .16. Cf. PETAV. XIV c. 10; BELLAR. *Mendac. concord.* n. 10.

[70] AUG. in *Joan.* tr. 84 n. 1.

[71] AUG. *C. Faust.* XX c. 21.

[72] HIER. Epist. 53 *ad Ripar.*

[73] HIER. epist. 7 (al. 75) *C. Vigil.;* CHRYS. Hom. 66 ad *pop. Anth.* cir. fin.

Christo [74]: *ex amicitia Dei,* qua multum apud ipsum possunt, et *ex amore nostri,* qua cupiunt nos Deum colere [75]: *ex analogia ad sanctos V. T.,* nam, si invocatis nominibus Abraham, Isaac et Jacob, judaei « solatium assecuti sunt; multo magis nos ipsi, quando non solum nomina praeferemus, sed etiam corpora ipsa, quae decertarunt, propitium et clementem et benignum nobis Deum reddere poterimus » [76]: *ex potentia quam habuerunt in terris,* etenim « si Apostoli et martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc esse debent soliciti; quanto magis post coronas, victorias et triumphos » [77]: *ex facto,* nam multa miracula sanctorum invocatione sunt patrata [78]. — Confirmatur **archaeologia christiana,** siquidem in catacumbis exhibentur sancti inducentes animas justorum in coelum, et eorum orationes invocantur tam pro vivis quam pro defunctis [79]. — **Rationes** a Patribus audivimus; ex una enim parte sanctorum mediatio mediationem Christi non evacuat sed subaudit, ex alia vero ob *sanctitatis* splendores, quibus refulgent, et *amicitiam Dei,* cui famulantur, debent honorari, et ratione *potentiae,* qua nos adjuvare possunt, debent invocari. Itaque « manifestum est quod sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios et amicos et nostros intercessores » [80].

ART. 2 - DE PLENITUDINE SATISFACTIONIS CHRISTI.

166. **Quid satisfactio.** « Satisfactio *active* sumpta est compensatio honoris laesi sive illatae injuriae, et exaequatio poenae debitae: *objective* (seu passive) intellecta est ipsum opus vel obsequium, quo quis compensat injuriam a se vel ab alio illatam alteri, et exaequat poenam debitam pro injuria » [1]. Hinc *satisfactio* differt

---

[74] HIER. et CHRYS. *l. c.*

[75] ORIG. *C. Cels.* VIII; CHRYS. Hom. de *S. Berenice.*

[76] CHRYS. Hom. de *Martyr. Aegypt.*

[77] HIER. ep. 7 *C. Vigil.;* AUG. serm. *S. Steph.; De divers.* 51 c. 6.

[78] AUG. *De Civ. Dei* XXII c. 8 n. 2 sqq.

[79] Cf. P. SYXT. *Not. Arch. chr.* I p. 1 c. 4 a. 7 p. 421 sqq.; II p. 1 c. 3 a. 8 p. 109-120; c. 6 p. 282 sqq.; p. 2 c. 7 a. 1-2 p. 263 sqq.

[80] S. THOM. 3 p. q. 25 a. 6; *III Dist.* 9 q. 2 a. 3 ad 7; CATECH. ROM. p. 3 c. 2 n. 9-15; PETAV. *De inc.* XIV c. 10; BELLARM. *Mendac. concor.* n. 10; PESCH n. 628 sqq.

[1] FRANZ. *De Verb. inc.* p. 481.

a *merito; meritum* quippe est dignitas operis exigens remunerationem, quae datur etiam independenter ab injuria; *satisfactio* e contra supponit injuriam reparandam. Porro in injuria sunt duo respectus : alter ad *offensum* cujus honor est laesus, alter ad *offensorem* cui debetur proportionata poena : ut satisfactio sit perfecta necesse est quod offenso restituatur honor et offensori relaxetur poena; ad primum requiritur quod obsequium praestitum exaequet injuriam illatam, ut alterum vero impleatur non est necesse quod reus sustineat totam poenam debitam injuriae, nam meritum habet in se condignitatem ad relaxationem vel diminutionem poenae.

167. **Satisfactio inaequalis, condigna, superabundans, in rigore justitiae, vicaria.** Sunt satisfactionis divisiones. Profecto qui injuriam reparat, potest offensum ita honorare ut nihil satisfaciendum maneat, vel ita ut compensatio injuriam non aequet : si primum contingit satisfactio est *adaequata,* si alterum *inadaequata.* – In satisfactionis modo adhuc multiplex occurrit distinctio; potest enim recompensatio fieri *ex misericordia* offensi qui, non soluto pretio, relaxat debitum, vel *ex justitia* quia satisfaciens solvit ex integro totum debitum : cum primum habetur, satisfactio est *gratuita,* cum alterum, *condigna,* quae dicitur *in rigore justitiae,* si solutio fit absque dispensatione. — Si tandem consideres personam quae satisfacit, satisfactio dicitur *directa* vel *vicaria* prout solvens debitum ipsemet est qui contraxit, vel alius qui pro debitore solvit.

168. **Christi satisfactio peccatorum debitum in infinitum excessit.** Licet enim gravitas peccati metiri non debeat ex solo actu injuriae, sed praecipue ex dignitate Dei offensi; quia tamen « majestas Dei offensi in gravitatem peccati non influit, nisi media cognitione seu apprehensione offendentis, ideo peccatum est quidem in supremo ordine injuriae, ex hoc quod peccator absolute cognoscit Deum, quem offendit, sed *non* contrahit gravitatem *simpliciter infinitam* [2], quia divinam majestatem homo finite tantum et imperfecte apprehendit » [3]. Satisfactio Christi, e contra, fuit *simpliciter infinita;* infinitum autem infinite excedit finitum.

169. **Undenam repetenda sit superabundantia et infinitas meritorum Christi.** Superabundantia sumitur *ex multitudine operum,* quorum unumquodque sufficiens erat propitiatio pro peccatis

---

[2] S. Thom. *III Dist.* 1 q. 1 a. 2 ad 5; 3 p. q. 1 a. 2 ad 2 docet peccatum mortale habere *quamdam infinitatem malitiae.*

[3] Billot *De Verbo inc.* th. 51 p. 439.

nostris et totius mundi : *ex magnitudine caritatis,* siquidem puritate intentionis et ardore caritatis Christus superavit malitiam omnium hominum : *ex intensitate dolorum,* nam plura passus est quam purus homo sustinere posset; siquidem voluit ut magnitudini fructus acerbitas dolorum responderet [4]. INFINITAS provenit ex dignitate personae et ex excellentia rei oblatae. *Ex dignitate personae,* quia si dignitas personae offensae, utpote extrinseca peccanti, adauget malitiam injuriae solum prout est ei cognita; « dignitas personae operantis, (utpote intrinseca) per se ipsam dignificat operationes; unde consequens est quod minima etiam Christi reparatio fuisset pretii simpliciter infiniti, tam in ratione meriti, quam in ratione satisfactionis » [5]. *Ex excellentia rei oblatae,* quia Christus obtulit Patri seipsum; ipse vero, utpote *Deus-homo,* victima erat infinitae dignitatis [6].

170. **An Christus satisfecerit in rigore justitiae.** THOMISTAE in genere, necnon VALENTIA, SUAREZ, TANNER, ALVAREZ, LESSIUS, FRANZ., PESCH, EING, PAQUET, etc. affirmant; VASQUEZ, LUGO, MOLINA, AMICUS, MASTRIUS et BILLOT [7] negant, sed quaestio est potius de voce quam de re. Profecto si *rigor justitiae* metitur *ex proportione* reparationis praestitae cum injuria illata, satisfacio Christi fuit in toto rigore justitiae, siquidem ultra debitum solvit; sed si rigor justitiae attenditur *secundum modum satisfactionis,* non fuit *in rigore,* imo neque *in pura* justitia. *Non in rigore justitiae,* quia satisfactio Christi fuit vicaria, et quod unum pro alio satisfaciat a libera acceptatione offensi pendet : *non in pura justitia,* quia incarnatio est opus misericordiae, et quia « inter Deum et hominem est maxima inaequalitas, et totum quod est hominis bonum est a Deo » [8]; unde Christus non reddidit Deo de *non acceptis,* sicut exegisset pura justitia [9].

---

[4] S. THOM. 3 p. q. 46 a. 6; q. 48 a. 2. *NB.* Ne dicas, reparata injuria, frustra satisfactionem offerri (Hebr. **10.** 1-2), ac proinde Christum si ante mortem praestitit sufficientem satisfactionem, non redemisse nos sua morte; nam ad perfectam rationem meriti non sufficit intrinseca excellentia operis, sed requiritur ejusdem operis *oblatio* et *acceptatio;* Christus vero omnia sua opera obtulit *simul* seu globatim cum sua morte (S. THOM. *Quod.* II a. 2). Hinc redemptio nostra ante mortem Christi *de facto* seu *in actu secundo* non erat completa, quamvis opera oblata *in actu primo* seu *quoad aptitudinem* essent supra debitum.

[5] BILLOT *l. c.* p. 440; PESCH n. 435.

[6] SUAREZ *De Verb. inc.* Disp. 5 *sect.* 4, objicit B. V. obtulisse Christum, quin meritum infinitum acquisierit; sed paritas non tenet, quia B. V. ab extrinseco obtulit, et meritum non existit *independenter* a persona. Cf. PESCH n. 438.

[7] Apud *Jansens* V p. 783.

[8] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 1.

[9] BILLOT *th.* 51 p. 435 sqq.; JANSSENS V p. 783 sqq.

171. **De abundantia fructus redemptionis.** Diximus de satisfactione *injuriae*, dicendum manet de remissione *poenae*: ut autem intelligas quomodo etiam hinc redemptio fuerit *copiosa* [10], ita ut *duplicia* in bonis sint nobis reddita pro malis promeritis [11]; distingue inter *bona* quae Christus attulit, et *mala* a quibus liberavit. Si BONA consideres videbis Christum plura dedisse quam quae per Adam amisimus [12]; quia gratia Christi *a)* non solum remittit originale peccatum, sed *b)* solvit actualia [13]: *c)* nec retribuitur tantum bonis operibus sed confertur sacramentis ex opere operato [14]: *d)* haec autem superabundantia gratiae non coarctatur ad gratiam habitualem, siquidem Christus internis inspirationibus quotidie ad cor nostrum pulsat, a culpis peccatores revocat, ad bona justos promovet, et electos firmat magno perseverantiae dono [15] addens quoque externa auxilia, scil. praedicationes, actus cultus, bona exempla et maxime Ecclesiam quae, veluti signum elevatum in nationes [16], omnes vocat ad vitam supernaturalem, efficaciter ducens ad portum aeternae felicitatis. — In liberatione a MALIS distingue inter salutis *initium* et *perfectionem*. PERFECTIO seu exitus operis Christi erit in fine mundi, quando *ponentur inimici ejus scabellum pedum ejus* [17]: tunc enim liberabuntur justi *ab ira* seu vindicta Dei [18] quia benedicti a Patre ad aeternum regnum vocabuntur [19]: liberabuntur *a servitute daemonum* quia Christus, qui serpentis caput jam contrivit [20] et regnum ejus evertit [21], daemones in infernum detrudet [22]: liberabuntur *a persecutionibus* et *periculis mundi* quia Christus vicit mudum [23] et stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt [24]: liberabuntur *a doloribus* et *a morte*

---

[10] Ps. **129**. 7; BELLARM. in *h. l.*

[11] Isai. **40**. 2 apud KNAB. in *h. l.* II p. 61

[12] Rom. **5**. 15 sqq.

[13] In statu originalis justitiae singuli possent peccare (S. THOM. 1 p. q. 100 a. 2), nec daretur peccatorum remissio.

[14] Sacramenta, ut videbimus suo loco, non conveniebant statui originalis justitiae.

[15] In statu justitiae originalis collatae essent gratiae actuales, sed non eadem mensura qua nunc abundant fideles; nullus vero, ut scite notat AUG. *De corr et grat.* c. 12, tunc recepit donum perseverantiae.

[16] Isai. 11. 12.

[17] Ps. **109**. 2; 1 Corinth. **15**. 25; Hebr. **10**. 13.

[18] AUG. *De Trin.* XIII c. 16 n. 21

[19] Matth. **25**. 34.

[20] Gen. **3**. 15.

[21] Luc. **11**. 17-22; Colos. **2**. 15; Hebr. **2**. 14.

[22] Matth. **25**. 41.

[23] Joan. **10**. 33.

[24] Sap. **5**. 1.

quia absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum [25], et novissima inimica mors destruetur [26] : liberabuntur *a fomite concupiscentiae* quia electorum corpus resurget in incorruptione, in gloria, in virtute, spirituale [27], unde sancti in coelis erunt sicut angeli Dei [28] : liberabuntur tandem *a vulnere ignorantiae* et *malitiae*, quia beatifica visione omnia fidei mysteria clarescunt [29] et, ubi amor Dei est praemium bonorum operum, caritas numquam excidit [30]. Haec perfecta liberatio a malis servatur quidem in vita futura ; sed jam nunc INCHOATUR. Christus enim nunc quoque liberat *ab ira Dei* quia filios Dei constituit [31], et sacramentis, indulgentiis bonisque operibus poenam nobis debitam solvit : liberat *a servitute daemonis* quia eripuit nos de potestate tenebrarum [32] et luctam contra spiritualia nequitiae in coelestibus [33] reddit humanam, faciens cum tentatione exitum [34] : liberat *a servitute mundi* ejus voluptates damnando [35], nosque educendo de mundo [36] et fortificando contra impugnationes ejus [37] : liberat *a concupiscentia* [38] fomitem ligando sacramentis [39] : liberat *a vulnere ignorantiae* fidei lucernam accendendo in hoc caliginoso loco [40], ut in veritatibus ipsis ordinis naturalis illuminemur [41] : liberat *a vulnere malitiae* voluntatem sic in bono firmando, ut divinae legis jugum videatur suave et leve [42] : liberat tandem *a malis* et *doloribus vitae* virtutum exemplis et abundantibus gratiis curando [43] affectus nostrae infirmitatis, nonnumquam ab eis nos eripiendo [44], saepius vero ea edulcando [45] spe filiorum Dei [46].

---

[25] Apoc. **7**. 17 ; **21**. 4.

[26] 1 Corinth. **15**. 26 ; 54 ; 2 Tim. **1**. 10.

[27] 1 Corinth. **15**. 42-4.

[28] Matth. **22**. 30.

[29] 1 Corinth. **13**. 8-12.

[30] 1 Corinth. **13**. 8.

[31] Rom. **8**. 15 ; 1 Joan. **3**. 2.

[32] Colos. **1**. 13.

[33] Eph. **6**. 12.

[34] 1 Corinth. **10**. 13 ; Colos. **3**. 12.

[35] Luc. **6**. 24 ; 1 Joan. **2**. 16.

[36] Joan. **15**. 19.

[37] Matth. **16**. 18 ; Joan. **16**. 33.

[38] Rom. **7**. 24-25.

[39] In tract. *de Sacramentis* dicemus gratiam sacramentalem superaddere communi auxilia specialia contra fomitem concupiscentiae.

[40] 2 Petr. **1**. 19.

[41] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 2.

[42] Matth. **11**. 30.

[43] LEO M. *De Pass.* serm. 2 c. 4 ; BONAV. in prol. *Vitae Chr.*

[44] Matth. **8**. 17 coll. KNAB. in *h. l.* I p. 320.

[45] Act. **5**. 4 ; 2 Corinth. **7**. 4.

[46] Rom. **5**. 2. « Si quis, inquit S. THOM. in *h. l.* lect. 1, in rebus corporalibus et temporalibus patienter sustinet propter bona consequenda aeterna, sufficienter ex hoc probatur, quod talis plus amat bona aeterna quam temporalia », ac proinde quod est filius Dei.

et expectatione futurae gloriae, quae passionum nostrarum est praemium [47]. - - Quod si curiose quaeras cur Christus noluerit statim ab omnibus malis temporalibus nos liberare; respondeo id pertinere ad inscrutabilia judicia Dei qui, noscens de malis benefacere, voluit mala permittere [48]. Ceterum tribulationes hujus vitae congruunt *conditioni naturae lapsae* quae, peccatis onusta, a poenis non debuit liberari, sed in eorum potius tolerantia confirmari [49]: congruunt *conditioni Redemptoris,* quia non decet discipulum esse supra magistrum [50], et christiani conformari debent capiti crucifixo, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus [51]: congruunt *libertati hominis* qui, naturaliter deficiens, sibi et aliis nocere valet: congruunt *futurae gloriae,* quia corona vincentibus datur, nec victoria sine lucta vel lucta sine aerumnis intelligitur, sicut nec palma martyris sine tortoris saevitia: congruunt tandem *gloriae Dei,* pati enim pro aliquo maximum est amoris signum [52]; unde tolerantia malorum amorem nostrum erga Deum probamus.

172. **Errores — Veritas.** Quoad redemptionis *factum* erraverunt PELAGIANI impugnantes peccatum originale et necessitatem gratiae, SOCINIANI mediationem Christi coarctantes ad exempla virtutum et evangelicam praedicationem, PROTESTANTES LIBERALES blaterantes redemptionis doctrinam Paulum derivasse ex pharisaeorum secta, HERMES et GÜNTHER opinantes satisfactionem proprie dictam repugnare misericordiae Dei [53], ac tandem MODERNISTAE, redemptionem tribuentes doloribus totius naturae ipsorumque animalium, quos Christus suos moraliter fecit ut essent peccatorum expiatio [54]: *universalitatem* redemptionis impetiti sunt PRAEDESTINATIANI, CALVINISTAE, JANSENIANI vel penitus redemptionem omnium negantes vel sufficientem fructus ejus applicationem pro singulis non agnoscentes: naturam *fructus* redemptionis

---

[47] Rom. **8.** 18; 2 Corinth. **4.** 17.

[48] AUG. *Enchir.* c. 11; in *Joan.* tr. 27 n. 10; *C. Jul. opus imp. V* c. 60; S. THOM. 1 p. q. 19 a. 9.

[49] Cf. MILLET *Gesù vivente nel sacerdote* cons. 4 sess. 1, ubi probat Christum, servatis poenis, abstulisse ea, quae a malorum tollerantia nos removebant.

[50] Matth. **10.** 24.

[51] Rom. **8.** 29. Hinc S. JOAN. A CRUCE clamabat: *Christus in cruce et ego in deliciis!*

[52] Cant. **8.** 6; Joan. **15.** 13; AUG. *Serm.* 70 (alias 9 *De Verb. Dom.*) n. 3; CHRYS. *in Ephes.* hom 5 n. 1.

[53] Apud *Pesch* IV, n. 416-8. Adde BAJUM pr. 19 negantem opera Christi ex dignitate divinae personae traxisse meritum nostro superius.

[54] Apud *Arm. della Fede,* 10 ottobre 1906.

corruperunt PROTESTANTES justificationem tribuentes soli fidei, et inutilia dicentes sacramenta et bona opera [55]. — **Veritas.** *Efficaciam* redemptionis Christi definivit CONC. TRID. : « S. q. hoc Adae peccatum... per aliud remedium asserit tolli quam per meritum unius mediatoris D. N. J. C., qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo..., a. s. » [56] : *universalitatem* redemptionis docuit CONC. CARIS. : « Sicut nullus homo est, fuit et erit, cujus natura in illo (D. N. J. C.) assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit » [57] : *bonorum operum meritum non obstare* redemptioni decrevit CONC. TRID. : S. q. d. hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita..., a. s. » [58].

THES. 20. *Christus — 1 abunde satisfecit — 2 satisfactione vicaria — 3 pro peccatis omnium; — 4 plenitudini autem redemptionis ejus non obstant nostra merita.*

173. **Prima pars.** *Christus adaequate, imo et abundanter satisfecit pro peccatis nostri.* Nam sine ulla exceptione instanter et absolute **Scripturae** Christum praedicant *mediatorem* [59], *redemptorem* [60], *salvatorem* [61] qui, factus *propitiatio* pro peccatis nostris [62], *suo livore* [63] et *pretioso sanguine,* quasi agni immaculati et incontaminati [64], *lavit nos* a peccatis nostris [65]; unde *delens, quod adversus nos erat chirographum decreti,* quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio [66] et *reconciliavit nos Deo,* pacificans sive quae in terris, sive quae in coelis sunt [67]. Consequenter ad hoc repa-

[55] Supra n. 5; vol. 2 n. 220.

[56] CONC. TRID., sess. V, cn. 3; sess. VI, c. 7; EPHES. cn. 10; LATER. IV, c. *Firmiter;* FLORENT. *Decr. pro Jacob.;* LEO XIII, Enc. *Tametsi.*

[57] CONC. CARISIAC. a. 849; CONC. TRID. sess. VI, cp. 2 et 3; ALEX. VIII, cond. prop. 4; INN. X, cond. prop. 5 *Jans.;* CLEM. XI, prop. 32, *Quesn.*

[58] CONC. TRID. *sess.* VI cn. 32; cp. 16; cn. 16.

[59] Supra n. 164.

[60] Job **19**. 25; Rom. **3**. 24; 1 Corinth. **1**. 30; Gal. **3**. 13; **4**. 5; Ephes. **1**. 7; Colos. **1**. 14; 1 Tim. **2**. 6; Tit. **2**. 14; Hebr. **9**. 12.

[61] Isai. **12**. 3; **62**. 1; 11; Zach. **9**. 9; Mich. **7**. 7; Luc. **2**. 11; Joan. **4**. 42; Act. **5**. 31; **13**. 23; Ephes. **3**. 18; 1 Joan. **4**. 14.

[62] Rom. **3**. 25; 1 Joan. **2**. 2; **4**. 10.

[63] Isai. **53**. 5.

[64] 1 Petr. **1**. 18.

[65] Apoc. **1**. 5; Joan. **1**. 29; Tit. **2**. 14; Hebr. **10**. 1-18; 1 Joan. **3**. 1.

[66] Colos. **2**. 14.

[67] Rom. **5**. 10; 2 Corinth. **5**. 18; 19; Ephes. **2**. 16; Colos. **1**. 20; 22; Apoc. **5**. 9.

rationis opus, Christus nos liberavit ab *ira Dei* [68], a *servitute daemonis* [69], a *maledicto legis* [70], a *lege peccati* [71] et *mortis* [72] : nec solum liberavit a malis sed in illum iustitiae statum restituit, in quo conditus est Adam [73], suâ gratiâ [74] sanctificans [75] et ad aeternam vitam perducens [76]. Ergo Christus, soluto pretio nostrae redemptionis *(pretioso sanguine, suo livore, etc.)*, Deo reddidit quod debebamus *(reconciliavit, pacificavit)*, et nos solvit ab omni reatu culpae *(lavit a peccatis)* et poenae (liberavit *a malis*, cumulavit *bonis*) : atqui satisfactio adaequata in hoc praecise consistit quod offenso reddatur debitum et offensori concedatur venia : ergo. — Nec Scripturae loquuntur tantum de satisfactione *adaequata*, sed de *condigna* et *superabundanti;* pretium enim nostrae redemptionis vocant *magnum* [77], et ex eo tamquam *a majori ad minus* concludunt gratiarum copiam [78] ; quare opus restaurationis supra scelus ruinae exaltant [79], et emphatice proclamant quod Christus satisfecit non pro peccatis nostris tantum, sed etiam *pro totius mundi* [80]. — **Patres** *a)* ex morte Christi innocentis, qui nihil pro se debebat, arguunt satisfecisse pro nobis, *b)* abundantiam vero redemptionis deducunt ex hypostatica unione et ex multiplicitate operum, *c)* doctrinam illustrantes pulcherrimis exemplis. — *a)* « Pater, inquit GREG. M., cum justus sit, justum puniens, omnia juste disposuit, quia per hoc cuncta justificat » [81]. *b)* « Non minimi, ait CYRIL. Hier., pretii erat, qui mortuus est pro nobis : non erat ovis sensibilis, non erat nudus homo, non erat angelus tantum sed *Deus incarnatus*. Non tanta (ergo) erat peccantium iniquitas, quanta

---

[68] Rom. **5**. 9 ; 1 Thess. **1**. 10.

[69] Gen. **3**. 15 ; Luc. **11**. 17-22 ; Colos. **1**. 13 ; **2**. 15.

[70] Gal. **3**. 13 ; Rom. **6**. 14 ; **7**. 2 ; Gal. **3**. 24 ; **4**. 5.

[71] Rom. **8**. 2.

[72] Joan. **6**. 50 sqq. ; 1 Corinth. **15**. 26 ; 54 ; 2 Tim. **1**. 10.

[73] Rom. **13**. 14 ; Eph. **4**. 22 ; Colos. **3**. 10.

[74] Joan. **1**. 16-7 ; Rom. **5**. 15 sqq. ; 1 Corinth. **1**. 30.

[75] 1 Corinth. **1**. 2 ; **6**. 11 ; Ephes. **5**. 26 ; Hebr. **2**. 11 ; **10**. 10 ; 14 ; **13**. 12.

[76] Joan. **3**. 15 ; 16 ; 36 ; **5**. 24 ; 40 ; **6**. 40 ; 47 ; 55 ; **10**. 10 ; 28 ; **17**. 2 ; Rom. **5**. 12-21 ; **6**. 23 ; Jud. 21 ; 1 Joan. **5**. 12.

[77] 1 Corinth. **6**. 20.

[78] *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* QUOMODO *non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Rom. **8**. 32.

[79] Rom. **5**. 15 sqq.

[80] 1 Joan. **2**. 2.

[81] GREG. M. *Moral.* III c. 14, n. 27 ; EUSEB. *Dem. Ev.* X c. 1 ; *Ench.* c. 41.

ejus, qui nostri gratia moriebatur, justitia : non tantum nos peccavimus, quantum ille justitia excelluit »[82]. Et CLEM. VI : « In ara crucis innocens immolatus, *non guttam sanguinis modicam*, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed *copiose veluti quoddam profluvium* noscitur effudisse »[83]. *c)* CHRYS. postquam dixit de debitore, qui ob 10 obolos in carcerem missus, liberatur a divite qui innumera talenta auri foeneratori solvit, concludit : « ita et in nobis factum est. Nam multo plura, quam debebamus, persolvit Christus, ac tanto plura, quanto *stillam exiguam immensus pelagus excedit* »[84]. — **Ratio** petitur *ex dignitate personae* divinae, *ex multitudine* et *nobilitate* operum, *ex magnitudine affectus*[85].

174. **Secunda pars.** *Satisfactio Christi fuit vicaria.* Nam conscientia distinctionem nostrae naturae individuae ab ea, quam Verbum assumpsit, aperte testatur; fateri ergo debemus non *nos* satisfecisse Deo, sed alium *pro nobis*. Jam age : ad satisfactionem vicariam duo requiruntur et sufficiunt : *oblatio* pro alio et ejus *acceptio*. Christi oblationem in hoc habes quod ingrediens mundum *se obtulit Deo* ut inefficaciam sacrificiorum V. T. suppleret[86], quod *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*[87], similis factus nobis *ut destrueret eum* qui habebat imperium mortis, idest diabolum[88], unde testatus est se ponere animam suam *pro ovibus suis*[89], atque venisse *ut salvetur mundus*[90] ovesque suae *vitam haberent* et abundantius haberent[91]. Patris acceptionem invenies in ipso facto secutae redemptionis, de quo hucusque diximus, necnon in voluntate qua misit Filium suum ut redimeret mundum[92] et in praecepto ei dato moriendi pro nostra salute[93]; adde etiam dignitatem Christi, qui exauditus est pro sua reverentia[94].

175. **Tertia pars.** *Christi redemptio ad omnes homines se extendit.* **Scripturae** innumeris pene modis universalitatem redemptionis praedicant. Si attendis MITTENTEM, docent quod *Deus*

---

[82] CYRIL. Hier. *Catech.* 13 n. 33; ANSEL. *Cur Deus homo*, II, c. 14.
[83] CLEM. VI, Extrav. *Unigenitus*.
[84] CHRYS. in *Rom.* hom. 10.
[85] Supra n. 169.
[86] Hebr. **10**. 1 sqq.
[87] 1 Tim. **2**. 6.
[88] Hebr. **2**. 14.
[89] Joan. **10**. 15 sqq.
[90] Joan. **12**. 47.
[91] Joan. **10**. 10.
[92] Joan. **3**. 17.
[93] Joan. **10**. 18.
[94] Joan. **11**. 42; Hebr. **5**. 7.

misit Filium suum... ut salvetur mundus per ipsum [95], quapropter non sunt alii redemptorum fines quam mundi : si consideras MISSUM, dicunt quod *venit... Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat* [96], unde universalitas ruinae est mensura universalitatis redemptionis : si ponderas REDEMPTIONIS OBJECTUM, affirmant quod Christus est *agnus qui tollit peccatum mundi*, ubi τὴν ἁμαρτίαν in singulari « non minuit significationem (universalitatis peccatorum) sed magis auget ; nam tota species rei significatae singulari numero exprimitur, ita ut genus omne peccatorum aut quidquid est in mundo peccati per eum auferri significetur » [97] : si tandem inspicias FUNDAMENTUM, tibi exhibent *naturam humanam*, secundum illud Apostoli : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* [98], unde docent quod redemptio tam late patet, quam natura humana, quae profecto omnibus hominibus ex aequo competit. — Hinc APOSTOLUS non solum antithesim instituit inter Adamum qui omnes homines inquinavit, et Christum cujus gratia in plures abundavit [99] ; sed testatur quod Christus dedit redemptionem semetipsum *pro omnibus* [100], factus salvator *omnium*, maxime *fidelium* [101] ; JOANNES vero affirmat quod ipse est propitiatio pro peccatis... *totius mundi* [102], lux vera quae illuminat *omnem hominem venientem in hunc mundum* [103]. — **Patres** uno ore clamant *a)* Christum « ad communem hominum salutem advenisse » [104] et « pro universo mundo » sanguinem effudisse [105] ; redemptionis vero fructum *b)* extendunt ad omnes qui beneficia naturae habent communia et « a serpente in fraudem inducti, et per peccatum morte affecti » sunt [106]. *c)* AUG. universalitatem redemptionis arguit *ex immensitate pretii*. « Videte, inquit, quid dederit et invenite quid

---

[95] Joan. **3**. 17.

[96] Luc. **19**. 10 ; Matth. **18**. 11.

[97] KNAB. *in Joan.* p. 102. Si ἡ ἁμαρτία sumatur in individuo, est peccatum originale (cf. Rom. **5**. 12), prout radicaliter continet etiam peccata personalia.

[98] 1 Tim. **2**. 5.

[99] Rom. **5**. 12 sqq.

[100] 1 Tim. **2**. 6.

[101] 1 Tim. **4**. 10. Attendas adverbium *maxime* redemptionem ad alios quoque extendere.

[102] 1 Joan. **2**. 2.

[103] Joan. **1**. 9. *Lucem* intelligi de effusione gratiarum ostendit KNAB. in *h. l.* p. 75.

[104] CLEM. Alex. *Strom.* 7 ; AMBR. *De Abel et Cain, II* c. 3.

[105] ORIG. *C. Celsum*, n. 8 ; BASIL. in *Ps.* **48** ; GREG. Naz. *Or.* 3 ; AMBR. *De Parad.* c. 8 ; CHRYS. Hom. *De Prod. Judae.*

[106] GREG. Naz. *Or.* 33 n. 9 ; CHRYS. in *Gal.* **2**. 8 ; AUG. *C. Jul.* VI, c. 4 n. 8 ; LEO M. ser. 21 (*De Nat.* 1) c. 1.

emerit. Sanguinis Christi pretium est. Tanti quid valet? Nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes? » [107]. AMBR. rem illustrat *exemplo solis.* « Mysticus (quippe) sol justitiae *omnibus* ortus est, *omnibus* venit, *omnibus* passus est, *omnibus* resurrexit... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat » [108]. — **Ratio** deducitur *ex voluntate salvifica;* Deus enim, qui *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* [109], omnibus salutis media paravit: atqui unus est mediator Dei et hominum [110], nec est in aliquo alio salus [111]: ergo Christus omnes redemit. ARGUM. 2. Christus venit ut destrueret semen serpentis [112]: atqui omnes homines originali culpa hoc semen constituunt: ergo.

176. **Quarta pars.** *Superabundantia satisfactionis Christi non excludit necessitatem bonorum operum.* Nam merita nostra obstarent sufficientiae redemptionis, si forent *ejusdem rationis* et meritis Christi *adderentur:* atqui nostra merita secundarie tantum operantur nostram salutem ex influxu et applicatione meritorum Christi, *de cujus plenitudine omnes nos accepimus* [113]: ergo sicut in ordine naturae activitas creaturarum non excludit influxum causae primae; ita et in ordine gratiae nostra merita non evacuant sed supponunt merita Christi. Poterat certe Christus per se omnibus redemptionis fructum *directe* applicare independenter a nostris meritis, sed maluit homines *rationabiliter* in finem pervenire; unde volens vitam aeternam non esse solam haereditatem sed *praemium,* disposuit *ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus* [114]. Sicut ergo pro Ecclesiae propagatione requisivit opera et passiones Apostolorum ceterorumque ministrorum ejus [115], qui adimplere debent in propria carne quae desunt passionum Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia [116]; ita statuit nos omnes tribulationibus hujus temporis aeternum gloriae pondus promereri [117].

---

[107] AUG. in *Ps.* **95**. n. 5.
[108] AMBR. in *Ps.* **118** serm. 8 n. 57; CLEM. Alex. *Exort. ad Gent.;* CHRYS. in *Joan.* hom. 7. n. 1; AUG. in *Ps.* **18**. n. 7.
[109] 1 Tim. **2**. 4 sqq.
[110] 1 Tim. **2**. 5.
[111] Apoc. **4**. 12.
[112] Gen. **3**. 15.
[113] Joan. **1**. 16.
[114] 2 Petr. **1**. 10.
[115] Act. **9**. 16.
[116] Colos. **1**. 24; BILLOT, *th.* 51 p. 441.
[117] 2 Corinth. **4**. 17.

Art. 3 - De munere prophetico et regio.

177. **Quaestionis ratio.** Statuta veritate nostrae redemptionis, manet ut explicemus modum quo est perfecta; hinc quaestio de munere *prophetico, regio* et *sacerdotali*, quo Christus opus nostrae salutis ad exitum perduxit: de munere prophetico et regio pauca in praesenti delibabimus, de munere sacerdotali plura in sequentibus dicemus.

178. **Quae sint muneris prophetici.** *Propheta* juxta etymologiam et receptum sensum est legatus Dei ad populum suum, ut eum divinam legem doceat et in ejus observantiam inducat [1]: hinc ad prophetam pertinent *missio* a Deo, missionis *probatio* per signa atque portenta, et accepti mandati *executio* per legis promulgationem vel declarationem aut saltem per promotionem fidelium in ejus observantiam.

179. **Quomodo Christus munus propheticum exercuerit.** De MISSIONE Christi sufficienter diximus in praecedentibus. PROBATIONEM accepti mandati Christus exhibuit *perducendo ad exitum prophetias* pene innumeras, quae in V. T. erant datae de futuro redemptore, *operando miracula* in omni regno naturae et maxime in hominibus quos liberavit ab infirmitatibus, revocavit ad vitam, a vitiorum coeno convertit et ad se invincibiliter traxit, *secreta cordium scrutando* et patefaciendo, necnon *futuros eventus* clare et determinate annuntiando [2]. OFFICIA autem prophetica plenissime EXERCUIT; nam Deus, *loquens olim Patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio* [3], qui divinam legem promulgavit et complevit [4], ejus observantiam non solum exemplis promovit [5], sed ursit quoad externum implementum profanatores flagellis de templo ejiciendo [6], quoad internam animi dispositionem hypocrisim vituperando [7] et prava desideria condemnando [8]; quare verus et unus *magister* [9] ab omnibus agnosci debet [10].

180. **Qua ratione Christus sit rex.** Tria in regno considerantur: *extensio* imperii, *natura* dominii et *legitimitas* potestatis. Imperium Christi NULLIS LIMITIBUS COARCTATUR, sed coelum, terra, infernus, angeli, homines, creaturae irrationales, *omnia subjecta sunt*

---

[1] Vol. 1 n. 119.
[2] Supra n. 23, 36, 49.
[3] Hebr. **1**. 1.
[4] Cf. sermonem montanum Matth. **5-7**.
[5] Joan. **13**. 15; Act. **1**. 1.
[6] Joan. **2**. 15-7.
[7] Matth. **6**. 2; 16; **23**. 13 sqq.; Marc. **7**. 6; Luc. **12**. 1.
[8] Matth. **5**. 12 sqq.; 27-8; 43 sqq.; **15**. 19, etc.
[9] Matth. **23**. 10.
[10] Luc. **9**. 35.

ei [11]. NATURA hujus imperii proprie est *spiritualis*, unde regnum Christi non est de hoc mundo [12]; ipse tamen plenissime dominatur bonis temporalibus quippe omnis potestas in coelo et in terra data est ei [13]. Porro in Ecclesia, quae est proprium regnum ejus Christus potestatem *legiferam* exercuit in terris regimen determinando, sacramenta instituendo, vitaeque praecepta sanciendo [14], *judicialem* vero et *coactivam* in altera vita in actum deducit, ubi, constitutus judex vivorum et mortuorum [15], bonos in coelum adducit, malos in infernum detrudit [16]. LEGITIMITAS potestatis Christi ex quatuor apparet: primo quidem ex titulo *hypostaticae unionis*, qua sicut nomine, ita et re supra angelos et homines constitutus est caput [17]; secunda titulo *donationis*, juxta illud Psalmi; *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam* [18]; tertio titulo *redemptionis*, siquidem *non estis vestri, empti enim estis pretio magno* [19]; quarto titulo *electionis*, quia baptismo incorporamur Ecclesiae cujus Christus est caput [20].

THES. 21. *Christus vere est — 1 propheta et — 2 rex.*

181. **Prima pars.** *Christus est propheta.* Nam **Scripturae** V. T. eum annuntiarunt antonomastice *prophetam* [21], qui debebat novum foedus constituere [22], divinam legem promulgare et sedentes in tenebris peccatorum ad lumen justitiae adducere [23]. In N. T. *prophetae nomen* Christus sibi vindicavit [24], eumque *verum pro-*

---

[11] 1 Corinth. **15.** 27; Ephes. **1.** 22; Hebr. **2.** 8. Ex hac universalitate apparet dignitatem *regiam* in Christo extensive superare gratiam *capitis* (BILLOT *th.* 18, p. 193); si tamen *regnum* presse sumitur de multitudine quae principi voluntarie subjicitur et bonis regni fruitur, *dignitas regalis* respondet *gratiae capitis* et regnum Christi est *Ecclesia*. Cf. Ps. **71.** 7-1; Vol. 1, n. 246.

[12] Joan. **18.** 36.

[13] Matth. **28.** 18.

[14] Isai. **33.** 22; Matt. **7.** 29; **28.** 20; Joan. **14.** 15; **15.** 10; Gal. **6.** 2.

[15] Joan. **5.** 22; Act. **10.** 42; 2 Corinth. **5.** 10. Cf. S. Thom. 3 p. q. 59 a 1. sqq.

[16] Matth. **25.** 34; 41; 46; Joan. **14.** 2-3. *NB.* Regalem potestatem Christus in Ecclesia exercet per suos ministros.

[17] Hebr. **1.** 5 sqq.; **2.** 8.

[18] Ps. **2.** 8.

[19] 1 Corinth. **6.** 20.

[20] Joan. **3.** 5.

[21] *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Deut. **18.** 18. Haec, etsi valeant de omnibus prophetis, antonomastice sunt dicta de Messia. Cf. Act. **3.** 22 sqq.; CORNELY, *Intr. in Sacr. Scrip.* Diss. IV, § 1 n. 4.

[22] Isai. **42.** 6; Dan. **9.** 24.

[23] Isai. **42.** 4 sqq.; **61.** 1 sqq.

[24] Matth. **13.** 57; Marc. **6.** 4; Luc **4.** 21.

phetam agnoverunt discipuli [25], Apostoli [26], mulier samaritana [27] et populus universus [28]; exercuisse autem prophetae officia supra ostendimus. — **Patres** cum AMBR. testantur quod Christus « est verus propheta qui sine alterius munere futura cognoscit » [29]: *b)* cum AUG. hanc dignitatem deducunt ex hypostatica unione, siquidem « nullus propheta sine Verbo Dei prophetat Verbum Dei » [30]; et *c)* cum ORIG. judaeos damnant, quia « caput prophetiae non habent, C. J., omnis prophetiae verticem ejurantes » [31]. — **Ratio** petitur *ex munere mediatoris:* salvator enim hominum eos de salutis via docere debuit; officium autem magistri ad munus propheticum pertinet [32].

182. **Secunda pars.** *Christus est rex.* Tam saepe **Scripturae** V. T. loquuntur de glorioso regno Messiae, ut judaei, spiritualia non judicantes, terrenum regem, qui Davidis et Salomonis fasta renovaret, expectarent. Christum uti supremum principem annuntiavit *Jacob* [33], uti regem promisit *David* [34] et celebrant *Psalmista, Isaia, Ezechiel* et *Daniel* [35]: in N. T. eum regem praedixit *Gabriel* [36], agnoverunt *Magi* [37], conclamarunt discipulorum *turbae* [38], testatus est *praeses romanus* in titulo crucis [39], confirmavit *Christus* coram Pilato [40] et conspexit *Joannes* cum, in coelum raptus, habere vidit *in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium* [41]. — **Patres** cum GREG. Naz. *a)* celebrant *regiam dignitatem* Christi, « cujus regnum aeternum, immortale,

---

[25] Luc. **24**. 19.

[26] Act. **3**. 22 sqq.

[27] Joan. **4**. 10.

[28] *Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilaeae.* Matth. **21**. 11; 46; Luc. **7**. 16; Joan. **6**. 14; **9**. 17.

[29] AMBR. in *Ps.* **118**. serm. 8; *De Fide* II c. 4, n. 37; CHRYS. in *Joan.* hom. 16; AUG. *C. Faust.* XVI c. 18; CYRIL. *Alex. C. Jul.* VIII exord.; ISID. Hisp. *Orig.* VII c. *De Filio Dei.*

[30] AUG. in *Joan.* tr. 24 n. 7.

[31] ORIG. in *Matth.* XI, n. 22.

[32] Cf. PESCH n. 551 sqq.; JANSSENS IV, p. 357 sqq; V, p. 572 sqq.

[33] Gen. **49**. 10; supra n. 25.

[34] 1 Paralip. **28**. 4.

[35] *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ps. **2**. 8-9; **44**. 15; **88**. 5; 30; 37; **109**. 2; Isai. **9**. 6-7; Ezech. **21**. 26-7.

[36] Luc. **1**. 32-3.

[37] Matth. **2**. 2.

[38] Luc. **19**. 38.

[39] Matth. **27**. 37.

[40] *Dixit ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego.* Joan. **18**. 37.

[41] Apoc. **19**. 16; **17**. 14; 1 Tim. **6**. 15.

nec initium habet nec *finem* [42]: *b)* eam derivant *ex hypostatica unione,* siquidem « Christus a chrismate dictus est, i. e. ab unctione. Reges autem ungebantur et sacerdotes. Ille vero (hypostatica unione) unctus est rex et sacerdos » [43]. *c) Amplitudinem regni Christi* efferunt dicentes cum TERTUL.: « Christi regnum et nomen ubique porrigitur, ab omnibus gentibus enumeratis colitur, ubique regnat » [44]. *d) Naturam* regni Christi declarant affirmando quod « neque humanum, neque caducum est » [45], sed coeleste et spirituale [46]. **Rationes** exposuimus agentes de legitimitate regni Christi [47].

ART. 4 - DE SACERDOTIO CHRISTI.

183. **Quis sacerdos.** Definitur ab Apostolo: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [1]; scil. sacerdos est persona publica quae, mediatoris munere fungens, defert quae sunt hominis Deo et quae sunt Dei hominibus: atqui homines debent Deo cultum, cujus supremus actus est sacrificium, Deus dat hominibus remissionem peccatorum et gratiarum dona: ergo praecipuum sacerdotis officium est Deum exorare eique sacrificare, homines vero per sacramenta sanctificare [2].

184. **Quomodo Christus sacerdotium exercuerit.** Sacerdos, ut iterum notat Apostolus, *pro se* et *pro populo* constituitur [3]. *Pro se* officium sacerdotale Christus non exercuit ad obtinendam peccatorum remissionem, qua non indigebat, sed obtulit sacrificium *latreuticum* et *eucharisticum,* quod omnis creatura debet suo auctori, *impetratorium* vero cum in cruce clamore valido exoravit pro sua resurrectione [4]: *pro*

---

[42] GREG. Naz. *Or.* 49; CLEM. Alex. *Strom.* VII; TERTUL. *C. Marc.* c. 27; LACT. *De div. inst.* II, c. 8; EUSEB. *H. E.* I, c. 1; AMBR. in *Luc.* **22**. 42.

[43] AUG. in *Ps.* **149**, n. 6.

[44] TERTUL. *C. Judaeos,* c. 7.

[45] CHRYS. in *Joan.* hom. 82.

[46] AUG., in *Joan.* tr. 115, n. 2.

[47] Supra n. 180.

[1] Hebr. **5**. 1.

[2] BILLOT *th.* 23, p. 303.

[3] Hebr. **5**. 3.

[4] Hebr. **5**. 7; coll. PADOV. in *h. l.* p. 187 sqq. Christus etsi non meruerit sibi augmentum gratiae, quam plene accepit in conceptione; meruit tamen resurrectionem quae, licet ei deberetur titulo hypostaticae unionis (Act. **13**. 33), « dispensatione quadam factum est in Christo, ut gloria animae ante passionem non redundaret ad corpus, ad hoc quod gloria corporis *honorabilius* obtineret, quando eam per passionem meruisset ». S. THOM. 3 p. q. 49, a. 3 ad 3.

nobis exercuit orando [5] et se ipsum in ara crucis offerendo, cum *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* [6].

185. **Christus sacerdos in aeternum.** Aeternitas sacerdotii Christi, praedicta a David et confirmata ab Apostolo [7], intelligitur primo ratione FRUCTUS, quandoquidem omnis *gratia et veritas* per J. C. facta est [8], nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri [9] : secundo ratione MUNERIS, quia sicut typice ab exordio mundi Christus seipsum obtulit [10], ita usque ad finem mundi per suos ministros in terris sacramenta confert et missam celebrat [11], in coelis vero vivit ad interpellandum pro nobis [12] : tertio ratione DURATIONIS, quia sacerdotium Christi fundatur in hypostatica unione [13], quae est indissolubilis, et quia « semper poterit aliquas functiones sacerdotales exercere, ut gratias agere Deo pro beneficiis generi humano collatis et iterare per internum affectum oblationem antea factam et similia » [14].

186. **Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech.** Sub triplici respectu Melchisedech fuit typus Christi : ratione *personae*, quia ex modo quo commemoratur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens* [15], exhibuit aeternam generationem Christi ejusque aeternum sacerdotium [16] : ratione *sacerdotii*, quia Melchisedech, major Aarone, praefiguravit excellentiam sacerdotii Christi supra sacerdotium Aaronicum [17] : ratione *sacrificii*, quia Melchisedech offerendo panem et vinum prophetavit sacrificium Missae, quod Christus quotidie per suos ministros offert [18].

187. **Errores — Veritas.** Sacerdotium Christi penitus negant RATIONALISTAE, ejus exercitium SOCINIANI coarctant ad tempus quo in coelum conscendit, MELCHISEDECHIANI postponunt sacerdotio Melchisedech [19]. **Veritas** definita est in CONC. EPHES. : « S. q. *Pontificem* et Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est et homo,... a. s. » ; confirmata vero est

---

[5] Luc. **6**. 12 ; Joan. **17**. 9-20.

[6] Hebr. **10**. 14. Ad sacrificium crucis revocatur sacrificium Missae, in quo « una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit ». CONC. TRID. sess. 22, cp. 2.

[7] Ps. **109**. 4 ; Hebr. **7**. 21-5.

[8] Joan. **1**. 17.

[9] Act. **4**. 12.

[10] Act. **13**. 8.

[11] 1 Corinth **4**. 1 ; 2ª **3**. 6 ; **6**. 4 coll. 1ª **11**. 26.

[12] Hebr. **7**. 25.

[13] Hebr. **5**. 5.

[14] PESCH n. 32 ex *Lugo, Suarez*, etc.

[15] Profecto Melchisedech habuit patrem, matrem, etc., sed contra Scripturae morem, inducitur sine genealogia, ut exhiberet proprietates Messiae.

[16] Hebr. **7**. 3.

[17] Hebr. **7**. 4-10.

[18] BILLOT *De Sacr.* th. 53, I, p. 551.

[19] PESCH n. 530 ; CROSTA n. 291.

in TRID. : « Oportuit... *sacerdotem* alium secundum ordinem Melchisedech surgere, D. N. J. C., qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere » [20].

THES. 22. *Christus est — 1 verus et proprie dictus sacerdos, — 2 sacerdotibus V. T. praestantior, - - 3 hypostatica unione constitutus.*

188. **Prima pars.** *Christus est vere sacerdos.* **Ex Scripturis.** Sacerdotium Christi praedictum a Davide [21], in exercitio sui muneris propositum ab Isaia [22], et in filio Josedech praefiguratum a Zacharia [23], diffuse probatur ab Apostolo in ep. ad Hebraeos, ex qua nostra argumenta depromimus. ARGUM. 1 *ex nomine.* Nam Apostolus in epist. ad Hebraeos septies vocat Christum *sacerdotem* [24] et decies *pontificem* [25], et hoc postquam de vero sacerdotio dedit definitionem et cum eisdem nominibus designat Melchisedech, Aaron, sacerdotesque V. T. [26] : atqui nomina *sacerdotis* et *pontificis* in Scripturis constanter sumuntur de veris et proprie dictis sacerdotibus [27], in eodem vero contextu sensum vocum mutare nefas est : ergo. — ARGUM. 2 *ex re.* Nam proposita notione sacerdotis, qui vocatur a Deo, et constituitur pro hominibus in iis quae sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia, Apostolus per partes probat haec convenire Christo, qui *non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret,* sed, constitutus a Deo [28], *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* [29], offerens Deo *preces* et *sacrificium* [30] : atqui applicatio definitionis veritatem rei definitae ostendit : ergo. — **Patres** *a)* cum POLYC. fatentur Christum esse *pontificem sempiternum,* cum CLEM. Rom. *pontificem oblationum nostrarum,* cum JUST. *sacerdotem nostrum*

---

[20] CONC. EPHES. *Anath. Cyril.* cn. 10; TRID. sess. XXII, cp. 1.

[21] Ps. **109**. 4.

[22] Isai. **52**. 15; **53**. 5 sqq. coll. Lev. **16**. 18-9; Hebr. **9**. 14 sqq.

[23] Zach. **6**. 11 sqq. Cf. PESCH, n. 531-2.

[24] Hebr. **5**. 6; **7**. 11; 15; 28; **8**. 1; **10**. 10; **11**. 21.

[25] Hebr. **2**. 17; **3**. 1; **4**. 14; 15; **5**. 5; 10; **6**. 20; **7**. 26; **8**. 2; **9**. 11.

[26] Cf. de nomine *pontificis* **5**. 1; **7**. 26; **8**. 3; **9**. 7; 25 : *sacerdotis* **7**. 1; 3; 5; 11; 14; 28; **10**. 10-11.

[27] CORNELY *Comp. Introd. in Sacr. Script.* Diss. IV, § 6, n. 9.

[28] Hebr. **5**. 6.

[29] Hebr. **5**. 8.

[30] Hebr. **5**. 7 et dein saepius.

et Deum, cum AUG. *regem et sacerdotem* [31] : *b)* docent tanta *locutionis proprietate* Christum esse sacerdotem, ut sit « ipse solus verus sacerdos » [32] : *c)* ejus sacerdotium arguunt *ex unione hypostatica* [33] et *ex exercitio munerum sacerdotalium*, siquidem Christus « pro nobis interpellat... et obtulit Deo... seipsum » [34] : *d) praefiguratum* vero vident in sacerdotio V. T. [35] ejusque *sublimem perfectionem* deducunt ex aeterna duratione necnon ex typica relatione ad Melchisedech [36] et ex peculiari ratione qua Christus fuit simul sacerdos et victima [37].

189. **Secunda pars.** *Sacerdotium Christi praestat sacerdotio Aaronico*. Hoc multipliciter probatur ab **Apostolo** : – 1 EX TYPO. Nam antitypus perfectione typo suo non cedit : atqui Melchisedech, typus Christi, fuit superior sacerdotibus V. T., qui in lumbis Abrahae decimati sunt ei, a quo etiam benedictionem acceperunt (**7.** 1-10) : ergo. – 2 EX AETERNITATE. Nam cum ex divina promissione oportebat surgere sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, sacerdotium Aaron cessare debebat, ut huic, quod aeternum est, locum daret : atqui Deus non evacuat imperfecto quod perfectum est, sed e converso (**7.** 11-9) : ergo. – 3 EX SANCTIONE. Nam sacerdotium Christi cum juramento firmatum est, non autem Aaronicum : atqui solemnitas juramenti majoribus causis reservatur (**7.** 20-2) : ergo. – 4 EX UNITATE. Nam successio sacerdotum probat uniuscujusque insufficientiam ad finem satisfaciendi pro peccatis : atqui sacerdotes V. T. morte prohibebantur permanere ; Christus autem manet in aeternum (**7.** 23-4) : ergo. — 5 EX SANCTITATE. Nam sacerdotes V. T. debebant prius offerre pro peccatis

---

[31] POLYC. *ep.* c. 12, n. 2 ; CLEM. Rom. 1 *Corinth.* 36 n. 1 ; JUST. M. *C. Tryph.* c. 116 sqq. ; AUG. *De cons. Evang.* I c. 3 n. 6 ; ATHAN. *C. Arian.* or. 2 n. 7 ; AMBR. *De Fide* III c. 11, n. 86 ; FULG. *De fide ad Petr.* II, n. 22.

[32] AUG. in *Ps.* **132**. n. 7 ; TERTUL. *Adv. Jud.* c. 14.

[33] Cf. tertiam partem thesis.

[34] AUG. in *Ps.* **26**. enar. 2 n. 2 ; EPIPH. *Haer.* 69 n. 39 ; CHRYS. in *Hebr.* hom. 17 ; THEOD. *Dial.* 1 ; etc.

[35] BARNAB. *ep.* c. 7 n. 3 ; JUST. M. *Dial. c. Tryph.* n. 40 ; TERTUL. *C. Marc.* 1 c. 9.

[36] David in Ps. **109**. 1 sqq. *prophetasse de Christo*, contra judaeos ostendit HIER. in *Matth.* **23**. Qua ratione Christus sit sacerdos *secundum ordinem Melchisedech* explicant CYPR. *Ep.* 63 ; HIER., Ep. 126 *ad Evagr.* ; AUG. *De Doctr. christ.* IV c. 21 ; *De Civ. Dei* XVI c. 22 ; in Ps. **109** n. 17 ; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 14 ; etc.

[37] AUG. in *Ps.* **26** enar. 2 n. 2 ; FULG. *ad Thras.* I c. 12.

propriis; Christus e contra est pontifex *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus,* qui non habet necessitatem offerendi quotidie sacrificium pro se, sed *semel* seipsum pro nobis obtulit (**7.** 26-8) : ergo — 6 EX TABERNACULO. Nam sacerdotes V. T. sacrificia offerebant in tabernaculo materiali, umbratili et exemplari seu typico; Christus vero in tabernaculo non manufacto (**9.** 11), scil. in coelis, ubi sedens a dextris Dei interpellat pro nobis (**7.** 25), dum per suos ministros in terris mundam oblationem [38] perenniter offert (**8.** 1-5) : ergo. — 7 EX FOEDERE. Nam N. T., cujus Christus est sacerdos, est foedus praeclaris promissionibus firmatum, quod jam Jeremias [39] praestare V. T. docuit (**8.** 6-13) : ergo. — 8 EX PRAESTANTIA VICTIMAE. Nam sacerdotes V. T. offerebant sanguinem hircorum et vitulorum, Christus per proprium sanguinem introivit, semetipsum offerens immaculatam hostiam (**9.** 11-4). — 9 EX EFFICACIA SACRIFICII. Nam sacrificia V.T. valebant tantum ad emundationem carnis, h. e. ad externam et legalem justificationem (**9.** 1-10), nec poterant auferre peccata (**10.** 1-11); Christus vero obtulit hostiam quae emundat conscientiam ab operibus mortuis (**9.** 14), et affert veram sanctificationem (**10.** 5-14).

190. **Tertia pars.** *Christus ipsa unione hypostatica unctus est sacerdos.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1 *negative.* Nam si Christus non esset constitutus sacerdos hypostatica unione, non secus ac Aaron speciali vocatione [40] et solemni caeremonia [41] electus et consecratus fuisset, quod Apostolus, qui externum splendorem antiqui sacerdotii apprime aestimabat [42], non sileret : atqui nil horum : ergo. — ARGUM. 2. Apostolus exercitium munerum sacerdotalium Christo tribuit a primo conceptionis momento, cum ingrediens mundum se obtulit Patri [43] : atqui in utero matris nonnisi hypostatica unione sacerdotium habere poterat : ergo. — ARGUM. 3. Apostolus explicans quomodo Christus *non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret,* ait : *sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te* [44] : atqui divina filiatio convenit Christo unione hypostatica : ergo. — **Patres** affirmant quod Christus « est eximius sa-

[38] Cf. Malach. **1.** 11.
[39] Jerem. **31.** 31-4.
[40] Exod. **28.** 1 sqq.
[41] Lev. **8.** 1 sqq.
[42] Hebr. **9.** 1-7.
[43] Hebr. **10.** 5-10.
[44] Hebr. **5.** 5.

cerdos... *utpote Filius Dei* » [45]; « non humanis linitus manibus, sed aeternus *a Patre* in sacerdotium humanis rebus superius *peruncctus* » [46]; constitutus sacerdos quando Verbum « caro factum est et homo » [47]: ita ut ratio sacerdotis in Christo convertatur cum officio mediatoris [48], quod profecto incarnatione suscepit [49]. — **Ratio** ipsa est, quam innuit AUG., scil. incarnatione Christus factus est *mediator;* incarnationis ergo titulo debuit hominem Deo reconciliare, Deum pro hominibus honorare et divina bona ad homines deferre : atqui haec sunt officia sacerdotis, qui pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum : ergo.

ART. 5 - DE SACRIFICIO CRUCIS.

191. **Quae mortis Christi causae.** Christum vere esse mortuum ostendimus in tractatu *de Religione* ex historia passionis et ex testimonio eorum, qui de ejus morte certiorari potuerunt et debuerunt. Huius mortis causa efficiens *extrinseca* fuit carnificum opus, *intrinseca* deorganizatio corporis, *permissiva* voluntas Christi. Et quod attinet ad causam EXTRINSECAM nulla difficultas : Judaei gladio linguae, Pilatus injusta sententia, milites romani opere externo gravissimoque peccato [1] consummarunt deicidium. Causam INTRINSECAM *William Stroud* et *Pooley* [2], dixerunt ruptionem cordis, eaque explicare conati sunt clamorem Christi morientis et liquorem album, qui de latere exiit cum sanguine. Sed hoc sustineri nequit. *Primo* quidem quia Scripturae [3] crucifixioni et effusioni sanguinis, quae per carnifices factae sunt, mortem Christi et nostram redemptionem tribuunt; *secundo* quia ruptio cordis, quae ex amaritudine doloris animi oritur, imperfectionem organi supponit, quod in Christo non fuit : *tertio* quia clamor Christi non fuit gemitus doloris, ut hi supponunt, sed actus ferventissimae orationis [4], qua, dicens *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,* expiravit [5]; unde haberi nequit naturalis effectus passionis sed actus liber, imo miraculum; « non enim fieri poterat ut haberet naturalem virtutem ac robur ad eum clamorem emittendum corpus pene exangue ac vitalibus spiritibus et conse-

---

[45] JUST. M., *C .Tryph.* n. 118; BARNAB. *epis.* c. 7 n. 3; CYRIL. Alex. *Graph.* in *Lev.; C. Nest.* 3 c. 1.

[46] CYRIL. Hieros. *Catech.* 10 n. 1.

[47] CYRIL. Alex. in Conc. Ephes *anath.* 10.

[48] AUG. *De Civ. Dei* X. 20.

[49] 1 Tim. **2.** 5.

[1] S. THOM. 3 p. q. 47 a. 1 et 6.

[2] Cf. *Scuola Catt.,* aprile 1906.

[3] 1 Corinth. **2.** 8; Hebr. **9.** 12; etc.

[4] Hebr. **5.** 7 coll. PADOV. in *h. l.* p. 188.

[5] Luc. **23.** 46.

quenter viribus fere exhaustum »[6]; quapropter *videns centurio... quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat*[7]. *Quarto* quia liquor, qui exiit de latere Christi, non fuit phlegma, quod damnatum est ab INNOC. III[8], sed vera aqua naturalis, apta ad baptizandum, non sine miraculo de humano corpore fluens[9]. Christi ergo mors fuit effectus naturalis mutationis seu deorganizationis corporis, quod agonia Gethsemani, flagellatione, spinea incoronatione et crucifixione eo perductum erat, ut sine miraculo animam informantem retinere non posset. Quoad causam PERMISSIVAM revocanda sunt verba Christi: *nemo tollit eam* (animam meam) *a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam*[10]. « Poterat, inquit S. THOM., (Christus) suam passionem et mortem impedire, *primo* quidem adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent, aut non possent interficere; *secundo* quia spiritus ejus habebat potestatem conservandi naturam carnis suae, ne a quocumque laesivo inflicto opprimeretur; quod quidem habuit anima Christi, quia erat Verbo Dei conjuncta in unitate personae, ut AUG. dicit[11]. Quia ergo anima Christi non repulit a proprio corpore nocumentum illatum, sed voluit quod *natura corporalis illi nocumento succumberet,* dicitur suam animam posuisse vel voluntarie mortuum esse »[12].

192. **Quomodo mors Christi operata sit nostram salutem.** Mors Christi operata est nostram justificationem per modum *satisfactionis, redemptionis, meriti, sacrificii* et *causae efficientis.* Per modum *satisfactionis,* quia Christus sua morte Patri obtulit honorem supra malitiam peccatorum nostrorum: per modum *redemptionis,* quia solvit vincula nostra, nos liberando a malis et maxime a servitute diaboli: per modum *meriti,* quia mors Christi est titulus pro collatione gratiarum quibus sanctificamur et in bonum provehimur: per modum *sacrificii,* quia haec dona mors Christi operata est in quantum actio sacrificalis: per modum *causae efficientis,* quia « omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem nostram »[13].

---

[6] SUAREZ in 3 p. Disp. 38 sect. 1 n. 9. Cf. S. THOM. 3 p. q. 47 a. 1 ad 2; *Quod.* I a. 3.

[7] Marc. **15**. 39. Cf. KNAB. in his locis.

[8] INNOC. III, *Decr.* III tit. 41 c. 8.

[9] KNAB. in *Joan.* p. 553; PESCH, n. 495.

[10] Joan. **10**. 18.

[11] AUG. *De Trin.* IV c. 13. Scil. virtute theandrica humanitas Christi miracula quaelibet poterat operari, ut vidimus n. 77, 130.

[12] S. THOM. 3 p. q. 47 a. 1. Hinc patet Christum non fuisse suicidam, siquidem non sibi *intulit* mortem, sed eam intuitu melioris boni *permisit.* S. THOM. *Quod.* I a. 3.

[13] S. THOM. 3 p. q. 48 a. 6. Scil. « patiente humanitate, quae unita erat divinitati, ut ejus instrumentum ad no-

Cave tamen ne omnibus praedictis modis distinctam efficaciam tribuas; nam *redemptio, satisfactio* et *sacrificium* ratione tantum differunt: *redemptio* et *satisfactio* non differunt re, quia pretium emptionis non est solutum diabulo vel peccato sed Deo, et consistit in honore quem pro nostris peccatis Christus retribuit Patri, eidem satisfaciendo: *sacrificium* re non differt a satisfactione et redemptione, quia est ipsemet actus quo Christus Deo satisfecit et nos redemit.

193. **Errores — Veritas.** Veritatem sacrificii crucis impugnarunt SOCINIANI, mortem Christi considerantes uti praeambulum coelestis sacerdotii: accesserunt MODERNISTAE blasphemantes « doctrinam de piaculari morte Christi non esse evangelicam sed paulinam » [14]. **Veritas** saltem indirecte est definita a CONC. TRID., cum de sacrificio altaris ait: « S. q. d. blasphemiam irrogari *sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto,* per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari, a. s. » [15].

THES. 23. *Mors Christi in cruce fuit verum sacrificium.*

194. **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *Ex verbis sacrificalibus.* Nam in Scripturis sunt quaedam voces quae semper vel saltem principaliter, seu sensu proprio, adhibentur de vero sacrificio sive ad exprimendum *actum* immolandi, sive ad designandam *victimam* quae offertur, sive ad indicandum *finem* sacrificii; scil. actus sacrificandi dicitur *immolari* quod 147 occurrit et semper de vero sacrificio [16], *offerre hostiam* seu *victimam,* vel *offerre Deo,* quod in solo Exodo saltem 8 dicitur de vero sacrificio et 10 in epist. ad Hebr. [17], nomen victimae generatim est *hostia* [18], finis vero est *offerre pro expiatione* [19] vel *pro peccato* [20]: atqui Christus ratione mortis crucis dicitur *oblatus* [21], *oblatus Deo* [22], *oblatio et propi-*

---

strae salutis operationem, debitum fuit ut per ipsamet (puta per sacramenta a Christo pro nobis passo instituta et jugiter in ejus nomine administrata) conferretur gratia pro nobis in passione promerita. Et pro tanto passio dominica dicitur accepisse a divinitate unita praeter valorem in genere *meriti* virtutem aliquam operatoriam in genere *efficientiae* ». BILLOT, th. 50 p. 430; JANSSENS, p. 787.

[14] DECR. *Lamentabili* prop. 38.

[15] CONC. TRID. sess. 22 cn. 4; cp. 1 et 2.

[16] Ex his 9 sunt de agno paschali.

[17] Hebr. **5.** 1; 3; **7.** 27; **8.** 3; 4; **9.** 7; **10.** 1; 2; **11.** 4; 17.

[18] Communissime; unde Apostolus sacerdotem dicit constitutum *ut offerat hostias.* Hebr. **8.** 3.

[19] Lev. **5.** 8.

[20] Ezech. **44.** 24.

[21] Isai. **53.** 7; Hebr. **3.** 27; 28.

[22] Hebr. **9.** 14.

tiatio [23] *pro peccatis nostris* [24], *Pascha nostrum immolatus* [25], *hostia* Deo tradita [26] *pro peccatis* [27] *destruendis* [28] : ergo mors Christi est verum et proprie dictum sacrificium; siquidem verba sacrificalia nonnisi de vero sacrificio possunt constanter adhiberi. Hoc argumentum CONFIRMATUR testimoniis quae nostram redemptionem tribuunt *sanguini* Christi [29], siquidem *effusio sanguinis* in V. T. erat caeremonia sacrificalis, imo actus quo sacerdos sacrificium absolvebat [30]. — ARGUM. 2. *Ex ratione typica sacrificiorum V. T.* Nam antitypus typo suo perfectior est : atqui sacrificia V. T., de quorum veritate nemo ambigit, erant typus mortis Christi : ergo. PROB. MIN. Nam, teste Apostolo, quae Israëlitis contingebant erant in *figura* nostri [31], et holocausta eorum erant *umbra* N. T. [32] : atqui, remoto sacrificio crucis, nullum manet sacrificium N. T. [33] : ergo. CONFIRMATUR ex nomine *agni,* quo Christus 25 vicibus maxime in Joanne proponitur; hoc enim nomen alludit ad victimam paschalem, in cujus oblatione Joannes vidit prophetiam mortis Christi [34]. — ARGUM. 3. *Ex declaratione Apostoli.* Nam Paulus in epist. ad Hebr., loquens de *victima,* quam Christus obtulit, non aliam signat quam ipsum Christum; dicit enim quod obtulit *seipsum, suum corpus, suum sanguinem* [35], nec dubium esse potest quod obtulerit *moriendo,* siquidem sacrificium importat destructionem victimae, et Apostolus ex lege *moriendi semel* concludit unitatem et efficaciam sacrificii Christi [36], quod non sequeretur si aliter quam moriendo obtulisset suum sacrificium. — **Patres** *a)* cum AUG. docent sacrificium crucis nobis esse datum « ne quisquam existimaret cuilibet sacrificandum creaturae » [37], eumque praefiguratum

---

[23] Ephes. **5**. 2; Hebr. **10**. 10; 14.
[24] 1 Joan. **2**. 2; **4**. 10.
[25] 1 Corinth. **5**. 7.
[26] Ephes. **5**. 2.
[27] Hebr. **10**. 12.
[28] Hebr. **9**. 26.
[29] Isai. **52**. 15; **53**. 7 sqq.; Rom. **5**. 9; Eph. **1**. 7; Colos. **1**. 14; 20; Hebr. **9**. 14; **13**. 12; 1 Petr. **1**. 19; 1ª Joan. **1**. 7; Apoc. **1**. 5; **5**. 9.
[30] Lev. **16**. 18-9; Hebr. **9**. 7; 12; 14 sqq.
[31] 1 Corinth. **10**. 11.
[32] Hebr. **10**. 1-9. Hinc effusionem sanguinis Christi opponit effusioni sanguinis hircorum et vitulorum (**9**. 6-14), Christumque exhibet substituentem suum corpus victimis V. T. (**10**. 5-10).
[33] Nam sacrificium Missae est commemorativum sacrificii crucis; unde, hoc negato, et illud evacuatur. CONC. TRID. sess. 22 cp. 1.
[34] Joan. **19**. 33-6 coll. Exod. **12**. 14; Num. **9**. 12.
[35] Hebr. **9**. 14-25; **10**. 5-10.
[36] Hebr. **9**. 26-8.
[37] AUG. *De Civ. Dei* X c. 20.

vident in sacrificiis V. T., siquidem, ut ait AMBR., Christus « est qui nunc in haedi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur » [38]. *b)* Porro excellentiam sacrificii crucis supra sacrificia V. T. [39] derivant primo *ex nobilitate victimae,* quia fuit « Deo acceptissima et mundissima ovis » [40]: secundo *ex immensitate pretii,* quia fuit sacrificium « sacratius omnibus » [41]; tertio *ex magnitudine fructus,* quia oblatum est « pro omnibus gentibus » [42] seu « pro universo mundo » [43], et emit « omnes gentes » [44]: quarto *ex identitate sacerdotis et victimae,* quia alii sacerdotes res sibi extraneas offerunt Deo, Christus vero « solus sacerdos talis extitit, ut ipse etiam esset sacrificium » [45]. *c)* Hinc EPIPH. haec fere omnia complectens, ait: Christus « seipsum obtulit ut sacrificium dissolveret A. L.; perfectiore vivaque pro universo mundo mactata hostia; ut esset ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus » [46]. — **Ratio** theologica deducitur ex definitione sacrificii. Nam sacrificium est *oblatio rei sensibilis a sacerdote Deo facta per realem vel mysticam illius destructionem, legitime instituta ad recognoscendum supremum Dei dominium, atque* (in statu naturae lapsae) *ad reparandam injuriam peccatis Deo illatam:* atqui in morte crucis fuit *destructio rei sensibilis,* quia morte destruitur homo; destructio *facta a sacerdote,* quia Christus sacerdos seipsum obtulit immaculatum Deo [47]; oblatio ordinata ad finem *honorandi Deum* eique *satisfaciendi* pro peccatis mundi, quia Christus se victimis V. T. substituit [48] et dedit semetipsum redemptionem pro omnibus [49] ad multorum exhaurienda peccata [50]; *legitime instituta,* quia Pater ipse dedit seu sacrificavit Filium suum [51], et Christus ex obedientia mortuus est [52]: ergo.

---

[38] AMBR. *De Spir. S.* I n. 4; in **13** *Apoc.;* BARNAB. *epist.* c. 7, n. 3; IGNAT. M. *ad Ephes.* n. 1; CLEM. Alex. *Pedag.* 1, c. 5; JUST. M. *C. Tryph.* n. 40; ORIG. in *Gen.* hom. 8, n. 9; TERTUL. *Adv. Judaeos,* n. 13; AUG. *De Civ. Dei,* X n. 20.

[39] EPIPH. *Adv. haer.* 50, n. 4.

[40] EUSEB. *Dem. Ev.* I, c. 10.

[41] LEO M. *epist.* 124 c. 4.

[42] TERTUL. *Adv. Judaeos,* c. 13.

[43] EPIPH. *Adv. haer.* 50, n. 4.

[44] AUG. in *Ps.* **95**. n. 5.

[45] AUG. in *Ps.* **26** enar. 2 n. 2.

[46] EPIPH. *Adv. haer.* 55, n. 4.

[47] Hebr. **9**. 14.

[48] Hebr. **10**. 5-8.

[49] 1 Tim. **2**. 6.

[50] Hebr. **9**. 28.

[51] Joan. **3**. 16.

[52] Philip. **2**. 6.

195. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Sacrificium est actus liber, siquidem sine libertate non est meritum : atqui Christus libertatem moriendi non habuit : ergo. PROB. MIN. Nam de morte erat *mandatum* Patris [53], cui Christus factus est *obediens* usque ad mortem [54]; quare, si mortuus non esset, peccasset : atqui Christus non habebat libertatem peccandi : ergo. **Resp.** Certissime Christus fuit liber in morte, dicit enim SCRIPTURA quod, *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem* [55], et CONC. LAT. decrevit quod *sponte* passus est ac voluntarie operatus est nostram salutem [56]. Ut hanc Christi libertatem componerent cum praecepto moriendi, Scholastici innumeros pene modos excogitarunt, quos ad 17 refert AMICUS [57]. Ex his duae sententiae sunt probabiliores [58]. Prima, quae patronos nacta est PALUDANUS, MEDINA, PETAV., FRANZ., STENTRUP, BILLOT, EINIG, etc. [59], dicit Patris voluntatem de morte Christi non fuisse *praeceptum* stricte dictum quod sine peccato violari non posset, sed *voluntatem beneplaciti* humanae voluntati Christi revelatione notam, et metonimice dictam praeceptum. Huic voluntati Christus *obedit*, quia obedientia, ut docet S. THOM., non exercetur tantum circa praecepta, sed etiam circa illa, quae a superiore sunt volita, etsi non imperata [60]. — Altera, quam post MOLINAM, SUAREZ, LESSIUM, etc. strenue defendunt PESCH et JANSSENS [61], negat impeccabilitatem Christi obstitisse libertati moriendi ex obedientia proprie dicta : non enim obstabat impeccabilitas consequens Personam divinam, quia erat exstrinseca voluntati; non obstabat impeccabilitas consequens beatificam visionem, quia haec non procedebat ex imperfectione voluntatis, sed ex magnitudine charitatis quae *electionem* non impedit sed perficit, et *meritum* non imminuit sed auget. « Dicendum, inquit S. THOM., quod... posse peccare non est libertas arbitrii nec pars libertatis, ut dixit ANSELMUS [62]. Et haec quidem determinatio ex perfectione liberi

---

[53] Joan. **10**. 18; **14**. 31. Cf. Ps. **39**. 9; Hebr. **10**. 5.

[54] Philip. **2**. 8; Rom. **5**. 15; Hebr. **5**. 8.

[55] Hebr. **12**. 2. Cf. **26**. 53.

[56] CONC. LATER. a. 649, cn. 2 et 10; CATECH. ROM. p. 1, c. 5, n. 1 et 12.

[57] AMIC. *De incar.* Disp. 25, sect. 3.

[58] Ex aliarum sententiarum auctoribus quidam dicunt quod praeceptum erat de morte et non de *circumstantiis* ejus; alii Christum fuisse liberum quia poterat *dispensationem* petere; alii quia Christus erat liber in sensu diviso seu *antecedenter ad praeceptum;* etc.

[59] PALUD. *III Dist.* 12 q. 2 a. 3; MEDINA, 3 p. q. 47 a. 2; PETAV. *De incar.* IX, c. 8, n. 6 sqq.; FRANZ. *De Verb. inc.* th. 44, p. 443 sqq.; STENTRUP *De Inc.* th. 76; BILLOT *De Verb. Inc.* th. 29, p. 278 sqq.; EINIG *De Inc.* th. 9 Sch.

[60] S. THOM. 2-2 q. 104 a. 5 ad 3.

[61] PESCH, n. 319 sqq. pro hac sententia citat BONAV., S. THOM., ARGENT., MARSIL., ALMAIN., MOLINAM, SUAREZ, LESSIUM, TANNER; JANSSENS, V, p. 726 sqq.

[62] AUG. *Dial. de lib. arbitr.* c. 1.

arbitrii contingit secundum quod per habitum gratiae et gloriae terminatur in eo ad quod est naturaliter, scil. in bono : quia liberum arbitrium quamvis in nobis se habeat ad bonum et ad malum, non tamen est propter malum, sed propter bonum. Vel dicendum quod si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non posset), *tamen ex hoc non amitteret libertatem,* aut rationem laudis sive meriti : quia in illud non coacte, sed sponte tendit; et ita est actus sui dominus » [63]. Utraque sententia probabilis est; alteram tamen amplector *a)* quia sensus metaphoricus divini *praecepti* fundamentum non habet in Traditione et violenter inducitur contra repetita Scripturae testimonia : *b)* quia si salvat libertatem in morte, destruit meritum in observatione divinae legis, in qua Christus fuit nostrum exemplar : *c)* quia si indifferentia ad bonum et malum esset radix libertatis et meriti, quo facilior evaderet exercitium virtutis ex bonorum actuum repetitione, eo imminueretur meritum, contra omnium sententiam. Nec obstat quod in coelo cessat meritum; id enim non ex defectu libertatis debet explicari, sed ex assecutione termini [64]; unde Christus qui erat simul viator et comprehensor, secundum quod erat in via meruit *sibi* « gloriam corporis [65] et ea quae pertinent ad exteriorem ejus excellentiam sicut est ascensio, veneratio et alia hujusmodi » [66]; *nobis* autem vitam aeternam [67], gratiam justificationis [68] et omnia bona supernaturalia quae justificationem parant [69] vel sequuntur [70].

196. **Objic. 2.** Sacerdos victimam mactat : atqui Christus non occidit se : ergo. **Resp.** Sacerdos non tenetur *per se* omnia agere quae in oblatione victimae requiruntur, sed debet tantum ponere supremum immolationis actum, quo sacrificium absolvitur; in morte autem Christi ultimum actum non posuerunt carnifices, qui animam ejus sumere nequibant, sed Christus, qui libere eam posuit [71]. « Itaque voluntaria vitae depositio fuit actio proprie sacrificalis, per quam sua sacrificio crucis forma fuit indita; sicut enim Aaronicus sacerdos sanguinem victimae effluentem effundebat super altare Dei, ita sacerdos Christus vitam, quam a se nemo per violentiam abstulit, reposuit in manibus Patris, et sic [72]

---

[63] S. THOM. *III Dist.* 18 q. 1 a. 2 ad 5; 3 p. q. 47 a. 2 ad 2; PESCH, n. 330 sqq.; JANSSENS, V, p. 726 sqq.

[64] S. THOM. *De Verit.* q. 29 a. 6 ad 6.

[65] Scil. resurrectionem et coelestem glorificationem.

[66] S. THOM. 3 p. q. 19 a. 3. Cf. ad 1; q. 49 a. 6; Luc. **24.** 26; Philip. **2.** 8-11; Hebr. **2.** 9; Apoc. **5.** 12.

[67] Joan. **3.** 16-7; Act. **4.** 12; **Tim. 3.** 7; Hebr. **5.** 9.

[68] Joan. **1.** 12; Rom. **3.** 24; **5.** 19; Gal. **4.** 5; Ephes. **1.** 7.

[69] Joan. **6.** 44; 66; Phil. **1.** 29; **2** Tim. **1.** 29.

[70] Joan. **15.** 5; Ephes. **1.** 3; **4.** 15; TEPE *Inst. theol.* III, n. 1067.

[71] Joan. **10.** 17-8.

[72] Hebr. **9.** 12.

per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa » [73].

197. **Objic. 3.** Fidei dogma a solo Paulo proponi non potuit: atqui ipse solus loquitur de morte piaculari Christi [74]. ergo. **Resp.** *Neg. maj.* et *min.* Nulla est repugnantia quod aliquod dogma a solo Apostolo exponatur; ceteri enim non mandarunt scriptis quaecumque praedicabant, et Paulus ex revelatione cognoscere poterat aliquam doctrinam quae aliis implicite tantum erat manifestata. Ceterum negandum omnino est solum Paulum scripsisse de morte piaculari Christi; eam enim clarissime tradunt ISAIAS mortem Messiae praedicens verbis sacrificalibus [75], JOANNES in *agno* paschali figuram Christi agnoscens [76], PETRUS redemptionem tribuens *pretioso sanguini quasi agni immaculati Christi* [77]. Etiam SYNOPTICI loquuntur de morte satisfactoria Christi; nam in MATTHAEO et MARCO Christus testatur se dare animam suam pro multis [78] et effusurum sanguinem in remissionem peccatorum [79]; *dare* vero *animam* et *sanguinem effundere in remissionem peccatorum* sunt locutiones technicae sacrificii propitiatorii seu piacularis. Quod si LUCAS in consecratione calicis verba sacrificalia profert de praesenti [80] seu de sacrificio missae, non ignoravit sacrificium crucis, siquidem fidelis discipulus Pauli doctrinam sui magistri certe agnovit, et Missa necessario revocat sacrificium crucis, ut in proprio tractatu videbimus.

198. **CONCLUSIO.** Teste Apostolo Christus crucifixus, qui *Judaeis* est *scandalum, Gentibus autem stultitia, ipsis vocatis Judaeis atque Graecis* est *Dei virtus et Dei sapientia* [81]. « Nos itaque gloriari oportet in cruce D. N. J. C., in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus » [82]. Gloriemur in cruce Christi qui infirma mundi elegit ut confunderet fortia et ea quae sunt destrueret [83], quique in ligno damna ligni solvit [84] et morte mortem superavit [85]: gloriemur in cruce Christi qui diuturnitate ipsa et acerbitate dolorum divinitatem suam ostendit [86]

---

[73] BILLOT, *th.* 21 p. 229.
[74] Decr. *Lament.*, pr. 38.
[75] Isai. **52**. 15; **53**. 10. Vide KNAB. in *Isai.* II, p. 290-2; 319.
[76] Joan. **19**. 33-6 coll. Exod. **12**. 14; Num. **9**. 12.
[77] 1 Petr. **1**. 19.
[78] Matth. **20**. 28; Marc. **10**. 45.
[79] Matth. **26**. 28; Marc. **14**. 24.
[80] Luc. **22**. 20 juxta lect. graecam.
[81] 1 Corinth **1**. 23-4.
[82] LITURG. Missa *S. Crucis.*
[83] 1 Corinth. **1**. 27-8.
[84] LITURG. Hym. *S. Crucis.*
[85] Hebr. **2**. 14; 1 Corinth. **15**. 54-7.
[86] Supra n. 28.

et per passiones in gloriam suam intrans [87], captivam duxit captivitatem, et dona dedit hominibus [88] : gloriemur in cruce Christi qui pro inimicis moriendo effusissimum suum amorem erga nos ostendit [89]. Utique, bone Jeus! te Deum meum adoro, te mediatorem invoco, te amorem meum crucifixum toto corde diligo. Fac me mori tecum, ut tecum in aeternum vivam. Amen.

---

[87] Luc. **24**. 26.
[88] Ephes. **4**. 8.
[89] Joan. **15**. 13; Rom. **5**. 5-8.

TRACTATUS IX.

DE B. VIRGINE MARIA.

199. **Prologus.** *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut praeesset diei; et luminare minus, ut praeesset nocti* [1]. Luminare majus profecto est Christus quem Malachias prophetavit *solem justitiae* [2], et Joan. dixit *lucem quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [3] et *lucernam* Paradisi [4]: quod si Christus est sol qui, *ubi nox non erit* [5], perpetuo splendet, Maria est luminare minus, mystica scil. luna quae in nocte hujus *caliginosi loci* [6], « mediatrix apud solem justitiae constituta, devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine (Dei) videamus lumen » [7]. Sicut ergo in ordine naturae Deus lunam conjunxit soli et in ordine gratiae Matrem *Semini* conterenti caput serpentis [8]; ita theologi tractatum *de Verbo Incarnato* altero complent *de B. V. M.*, cujus gloria et potentia non solum superexaltant virtutem passionis Christi, quia *gloria filiorum sunt parentes eorum* [9], sed quia in Maria « Primogenita Redemptoris » [10] Christus ostendit efficaciam suae gratiae. Sed quid dicam de Matre Domini? Si vel ipsa, quae Deum concepit, fortasse aestimare non valet dignitatem suam [11], certe in Mariae « laudibus omnis lingua balbutit; non enim sunt loquelae, neque sermones in omni natione, quae sub coelo est, quibus amplitudo gloriae Mariae ad plenum valeat explicari » [12]. Verum difficultas fandi, non eximit a necessitate loquendi: pro viribus ergo dicam de dulcissima matre mea, ut in me impleatur quod canit Ecclesia: *Qui elucidant te* (Mariam), *vitam aeternam habebunt.*

---

[1] Gen. **1.** 16.
[2] Malach. **4.** 2.
[3] Joan. **1.** 9.
[4] Apoc. **21.** 23.
[5] Apoc. **21.** 25.
[6] 2 Petr. **1.** 19.
[7] BERNARD. super *Apoc.* **12.** 1.
[8] Gen. **3.** 15.
[9] Prov. **17.** 6.
[10] BERNARD. *serm.* **51, c. 3.**
[11] BERN. super *Missus est* **hom 4.**
[12] BERNARD. serm. *paneg.* **n. 6.**

CAPUT I.

De fundamento gloriae B. V. M.

200. **Dicendorum ratio.** Excellentia B. V. constat ex relationibus ad Deum, cujus est Mater, ex ordine ad nos, quorum est corredemptrix, et ex intrinsecis perfectionibus, quibus ab omni labe praeservata, plena gratiae, Virgo incorrupta et in coelum assumpta, digna est ut supra creaturas omnes honoretur et invocetur : quia vero haec altera gloria in prima fundatur, de hac prius dicemus, caput dividentes in duos articulos : — 1 *de divina maternitate* et — 2 *de munere corredemptricis.*

Art. 1 - De divina maternitate.

201. **B. V. M. in instanti Mater Dei effecta est.** Agentibus de origine animae humanae diximus non statim a primo conceptionis momento infundi animam intellectivam; sed ipsa ratio quae suadet in ceteris hominibus differri animae infusionem, ut scil. materia paullatim praeparata fiat apta animae intellectivae, ostendit in conceptione Christi totum in instanti contigisse; dum enim natura, quia finitae virtutis est, per gradus procedit ad ultimam perfectionem; virtus infinita Dei statim illam assequitur [1]. Et ideo sicut Adam in instanti factus est homo, ita virtute Spiritus S. in instanti de purissimis sanguinibus B. V. factum est *corpus anima informatum et unitum Verbo.* Hinc Scripturae loquuntur de *conceptione Filii Dei,* quod dici non posset, si in primo instanti foetus B. V. non fuisset animatus anima rationali [2]. Nec aliter loquuntur Patres : « Simul, inquit Sophron., *caro,* simul *Dei Verbum caro animata rationalis* » [3]. Et Damasc. : « Dei Filius carnem anima rationali animatam ipse sibi compegit... *non ut paullatim* per additamenta corporis figura absolveretur, sed *uno eodem momento perficeretur,* dum ipsum Dei Verbum carni fieret hypostasis » [4]. Merito ergo S. Thom. : « Oportet conceptionem illam *subitaneam* ponere, ita quod haec in

---

[1] S. Thom. *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 sol. 2.

[2] Profecto non fuisset conceptus *actu,* quia Verbum *per prius* conjunctum est animae : non fuisset *potentia,* quia non ex natura rei (sicut anima in generatione hominis), sed ex novo gratuito dono foetus, dein animatus, fuisset assumptus; et ita B. V. M. non esset *Mater Dei.*

[3] Sophron. *epist.* approb. in Oecum VI.

[4] Damasc. *De fide orth.* III, c. 2.

eodem instanti fuerunt, scil. conversio sanguinis materialis in carnem et formatio membrorum organicorum, et animatio corporis organici, et assumptio corporis animati in unitatem Divinae Personae » [5].

202. **An B. V. M. divinam maternitatem meruerit.** Non meruisse sua naturali virtute manifestum est, quaeritur de operibus gratia elicitis. Et quod attinet ad meritum *de condigno* simpliciter est negandum; meritum enim *de condigno* supponit veram proportionem, quae in operibus justorum est ad augmentum gratiae et gloriae, non ad alia. Quod vero attinet ad meritum *de congruo*, distinguere oportet: si incarnatio *absolute* consideretur, B. V. eam non meruit, quia gratia, quae omnium meritorum est fundamentum, incarnationem supponit; si vero respective intelligatur, sicut sancti V. T. mereri potuerunt circumstantias incarnationis [6], sic B. V. M. « meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut *congrue* posset esse mater Dei » [7], secundum illud AUG.: « Talis eligitur virgo... quae tantum *haberet meritum*, ut Dei Filium in semetipsa susciperet » [8]. Ut autem hoc meritum foret perfectum, non solum B. V. in gratia est concepta, sed nomen propheticum habuit [9] et triennis in templo est praesentata ibique mansit [10] usque ad desponsationem, qua ad mysterium incarnationis est proxime disposita [11].

203. **Divina maternitas est *A)* recapitulatio quaedam dogmatum de incarnatione, *B)* dignitatem pene infinitam attulit B. V. M., et *C)* radix extitit omnium supernaturalium bonorum quibus a Deo est cumulata. A)** Profecto totum incarnationis mysterium revocatur ad *divinitatem* et *humanitatem* Christi earumque substantialem *unionem*. Atqui « si Dei mater est quae genuit, profecto *Deus* est qui ex ipsa genitus est, profecto etiam *homo*... Quod si ille ipse, qui ex muliere natus est, Deus est, *unus* procul dubio, atque *idem* est, qui ex Deo Patre genitus est,... quique... ex Virgine natus est.

---

[5] S. THOM. *III Dist.* 3 q. 5 a. 2; 3 p. q. 33 a. 1; BILLOT, p. 371 sqq.; JANSSENS, V, p. 423 sqq.

[6] PESCH, n. 409.

[7] S. THOM. 3 p. q. 2 a. 11 ad 3, *III Dist.* 4 q. 3 a. 1 ad 6.

[8] AUG. *serm.* 192 n. 2; *De pecc. merit. et remis.* II 24; HIER. epist 21 *ad Eustach.*; GREG. M. *Reg.* I, c. 1; DAMIAN. *De Assumpt.* ser. 2.

[9] MARIA (nomen hebraicum) in Liturgia Ecclesiae dicit *dominam, illuminatam, amaram:* primo significatu innuitur *divina maternitas*, qua facta est Regina coeli; altero *plenitudo gratiae*, qua supra cherubin corruscat; tertio *dolor*, quo, adsociata passionibus Christi, constituta est corredemptrix et mater nostra. — JANSSENS (p. 209-24) Mariam explicat *pulchram, fortem et venustam*, LÉPICIER (*De B. V. M.* p. 24) *rebellionem;* in primo sensu exprimitur gratiae plenitudo, qua salutata est ab angelo; in altero celebratur victoria supra serpentem.

[10] PESCH, n. 585.

[11] S. THOM. 3 p. q. 29, n. 1.

Hoc vero, unam D. N. J. personam, duasque naturas et duas generationes significat » [12]. — **B)** Quoad infinitatem dignitatis observa maternitatem Dei per se quidem sanctificationem non dicere [13], exprimere tamen veram excellentiam. Sane, si mater regis honorabilis est, multo magis B. V. « maxima reverentia debetur ex affinitate quam habet ad Deum » [14], utpote ejus mater. Haec porro excellentia non commensuratur gratiae et virtutibus B. V., sed dignitati Filii; quia ergo Filio Mariae nemo melior esse potest, B. V. dignitate matris superiorem habere nequit. Hinc ANSEL. : « Hoc solum de sancta Virgine praedicari (quod est *Deigenitrix*) excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici vel cogitari potest » [15]; et ALB. M. : « Filius *infinitat* matris bonitatem » [16]. — **C)** Tandem divina maternitas est radix omnium bonorum, quae B. V. obvenerunt. Sicut enim ex hypostatica unione natura humana assumpta a Verbo habuit *exigentiam* gratiae; ita divina maternitas « est titulus, ob quem sanctificari debuit; unde dici potest esse radicalis ejus sanctificatio » [17] et « Patres non dubitarunt asserere cognationem sanguinis, qua Filio Virgo devincitur, debuisse quodammodo super spiritualem, ut ita dicam, cognationem fundari, et hanc posteriorem ex intimitate illius prioris, mensuram atque amplitudinem suae perfectionis accepisse » [18]. Et si ulterius quaeras quomodo se habeat sanctitas B. V. ad divinam Maternitatem, respondeo se habere exigitive, efficienter et occasionaliter : *exigitive* quia, ut de congruo ad tantum officium disponeretur, debuit sanctificari; *efficienter* quia, sicut Christi praesentia sanctificavit Praecursorem et replevit Spiritu S. Elisabeth, multo magis mysterio incarnationis sanctificavit matrem suam [19]; *occasionaliter* quia ratione materni officii quamplurimos actus heroicos omnium virtutum et maxime patientiae in inenarrabilibus doloribus perferendis elicere debuit.

204. **Errores — Veritas.** Ut taceamus de PHANTASIASTIS et VALENTINIANIS qui *maternitatem* ipsam B. V. M. denegarunt, *divitatem* hujus maternitatis indirecte non agnoverunt ARIANI, et di-

---

[12] DAMASC. *De fide orthod.* III, c. 12; CYRIL. Alex. et EPHR. apud *Petav.* V, c. 15, n. 3; AUG. *in Joan.* tr. 8, n. 7; LÉPICIER, *De B. V. M.* p. 81.

[13] PESCH, n. 578.

[14] S. THOM. 2-2, q. 103, a. 4 ad 2.

[15] ANSEL. *De Excel. Virg.* c. 2.

[16] ALB. MAGN. super *Missus est;* S. THOM. *I Dist.* 25 a. 6 ad 4; BONAV. *Spec. B. V.* lect. 10; JANSSENS, V, p. 468 sqq. et LÉPICIER, p. 68, 75-6, qui explicant quomodo maternitatis titulo B. V. sit effecta *sponsa* et *filia* PATRIS, *mater, domina* et *sponsa* FILII, *sacrarium* et *sponsa* SPIRITUS S.

[17] PESCH, n. 578; PIUS IX Bul. *Ineff.;* LÉPICIER, p. 79.

[18] BILLOT, *th.* 40, p. 349; A. LAPIDE *in Prov.* **31.** 29.

[19] Adde exempla omnium virtutum et abundantissimas gratias actuales quibus matris sanctitatem omnipotens et amantissimus Filius fovit.

recte impugnavit NESTORIUS, qui non Θεοτόκον vocandam dicebat B. V., sed Χριστοτόκον: ipsum secuti sunt ADOPTIANI et SOCINIANI [20]. **Veritas** definita est in CON. EPHES. contra Nestorium: « S. q. non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea *Deigenitricem* (Θεοτόκον) sanctam virginem..., a. s. » [21].

THES. 24. *B. V. M. vere est Deigenitrix.*

205. Nam **Scripturae** testantur B. V. M. esse matrem Christi [22]: atqui eaedem dicunt Christum esse Deum: ergo IMPLICITE docent B. V. M. esse matrem Domini seu *Deigenitricem*. Imo EXPLICITE affirmant divinam maternitatem; nam *a) Filium,* qui promittitur B. V., vocant *Filium Dei* [23], Mariam vero *matrem Domini* [24]. — **Ex Patribus.** Quoad Patres POST-EPHESINOS res est manifesta, siquidem a tempore CONC. EPHES. « confessio haec τῆς Θεοτόκου *(Deigenitricis)* in universa Ecclesia habetur tamquam tessera orthodoxae fidei, quemadmodum saec. 4 adversus Arianos, qui Christum dicebant ὁμοιούσιον *(similem)*, τοῦ ὁμοουσίου *(consubstantialis Patri)* confessio » [25]. Quoad Patres ANTE-EPHESINOS *a) implicite* divinam maternitatem confessi sunt IGNAT. M., HIPP. et IREN. dicentes « *Deum* partum a Maria V. » [26], « Verbum ex Maria incarnatum » [27] vel « existens ex Maria » [28]; *b) explicite* nomen *Deigenitricis* praetulerunt ORIG. († 234), DIONYS. Alex. († 264), ALEX. Alex. († 326), EUSEB. Caes. († 340). ATHAN. († 373), EPHREM († 378), BASIL. († 379), CYR. Hier. († 386), GREG. Naz. († 389), DIDYM. († 397), AMPHIL. († 404), etc. [29]. *c)*

---

[20] Cf. supra n. 5.

[21] CONC. EPH. *Anath.* CYRIL. cn. 1. Nominis proprietatem confirmarunt HORMISDA et JOAN. II; OECUM. V cn. 6; CONC. LATER. (sub Mart. 1) cn. 3; OECUM. VI; *Prof. Fidei* prop. ab URB. VIII; PAUL. IV, *Cum quorumdam.*

[22] Supra n. 61.

[23] *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. **1.** 31-5. Similia habet PAULUS *Filium Dei* dicens *factum ex muliere.* Gal. **4.** 4.

[24] *Unde hoc mihi ut veniat* MATER DOMINI MEI *ad me?* Luc. **1.** 43. Ne dicas verba esse Elisabeth et non Scripturae; approbantur enim ab inspirato auctore, qui docet Elisabeth haec protulisse *repleta Spiritu S.*

[25] SALA, *Inst. Theol. dogm.* III, th. 8.

[26] IGNAT. M. *ad Ephes.* n. 18.

[27] HIPPOL. *C. Noët.* n. 17.

[28] IREN. *Adv. Haer.* III, c. 21.

[29] ORIG. *Com. in Ps.* t. 1 (apud *Socr.* H. E. VII, c. 32); DIONYS. Alex. Epist. ad *Paul. Sam.;* ALEX. Alex. Epist. *ad Alex. Cp.* (apud *Petav.* V, c. 15, n. 9); EUSEB. Caes. *Vita Const.* III, c. 43; ATHAN. *C. Arian.* or. 3, n. 14, 29, 33; or. 4, n. 32, *De inc.* n. 8, 22, etc.; EPHREM (apud *Phot.* Bibl. cod. 228, p. 408); BASIL. Hom

Ceterum CYRIL. Alex. impugnabat Nestorium, quia « *contempta traditione* eorum, qui sacra mysteria docuerunt..., *rebusque novis* pro sua libidine introductis, sanctam Virginem *Deiparam* esse negabat » [30]. **Confirmatur** monumentis *archaeologiae christianae* quae in inscripitionibus B. V. Deigenitricem invocant [31], et *testimonio paganorum* qui cum JULIANO Apost. christianos deribebant, quia creaturam dicebant *Deigenitricem* [32]. — **Ratio** petitur ex significatione vocum *filii* et *matris*, quae non dicuntur de naturis sed de personis : quia ergo persona, quae est terminus generationis Mariae, est divina, siquidem in Christo est tantum persona Verbi [33], B. V. est mater Dei seu *Deigenitrix*.

206. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** B. V. M. ad solam existentiam humanae naturae cooperata est; quod enim natura illa fuerit assumpta a Verbo, fuit opus Spiritus S. : ergo B. V. Deigenitrix vocari nequit. **Resp.** In matre non attenditur efficacia virtutis generativae, secus enim nec homo generaret hominem, cujus anima a solo Deo creatur; sed attenditur terminus generationis seu persona quae generatur. « Sicut igitur cujuslibet *hominis* mater aliqua femina dicitur ex hoc quod ab ea *corpus* ejus *(hominis)* assumitur; ita *Dei mater* B. V. M. dici debet (quia) ex ea assumptum est *corpus Dei* » [34].

207. **Objic. 2.** Mater prior est filio suo : atqui B. V. M. non est prior Deo : ergo [35]. **Resp.** Etsi maternitas se extendat ad personam geniti, causalitas tamen, qua mater praecedit filium, respicit tantum naturam, imo dispositionem materiae; mater ergo praecedit filium quando persona filii sequitur naturam acceptam ex matre [36] : atqui in Christo persona non sequitur humanam naturam : ergo divina maternitas non infert B. V. M. prioritatem supra filium suum. Ceterum si persona

---

25, *De hum. Chr.;* CYRIL. Hier. *Catech.* 10, n. 19; GREG. Naz. *Or.* 29, n. 4; ep. 101 *ad Cled.* c. 1; DIDYM. *De Trin.* I, n. 31, 98; II, n. 41, etc.; AMPHIL. *Or.* 4; etc.

[30] CYRIL. Alex. *Quod unus sit Chr.* De hac traditione testantur etiam duo amici Nestorii JOAN. ANTH. epist. *ad Nest.* 1. n. 4, et THEOD. *De Haer.* IV c. 12. Cf. *Hergenr. II,* p. 234.

[31] P. SYX. *Not. arch. chr.* II, p. 1, c. 6, p. 288-9, MARTIGNY, *Dict. des Ant. chrét.* v. *La Vierge* 8.

[32] JUL. apost. *apud* CYRIL. Alex. *C. Jul.* VIII.

[33] Supra 97-8.

[34] S. THOM. *Comp. theol.* c. 222; 3 p. q. 35 a. 4.

[35] NESTOR. apud *Hergenr.* II p. 231.

[36] In persona creata hoc semper contingit, siquidem persona creata est actus receptus in natura vel ejus complementum; actus vero praecedit quidem potentiam absolute loquendo, sed non in subjecto in quo recipitur. S. THOM. *Cg.* I, c. 1.

Christi consideretur composita [37], aliquo sensu B. V. praecessit filium, prout scil. incarnatio Verbi non fuit ante ipsam.

208. **Objic. 3.** Divina maternitas supponit confusionem naturarum in Christo : atqui... : ergo [38]. **Resp.** Unitas suppositi sequitur naturarum confusionem quando suppositum sequitur naturam, ut in creatis [39] ; at in Christo persona non sequitur naturam, quam assumpsit : et ideo in ipso unitas personae, et consequens divina maternitas non officiunt distinctioni naturarum.

ART. 2 - DE B. V. CORREDEMPTIONE.

209. **Quo sensu B. V. M. sit corredemptrix.** Corredemptio B. M. non superadditur redemptioni Christi, qui *una oblatione consummavit sanctificatos* [1] ; sed ab ea differt *intensive* et *extensive*. INTENSIVE quia Christus *per se* satisfecit pro peccatis nostris, dum B. V. M. suam mediationem mutuatur a meritis Christi, a quibus vim accipit sua intercessio : EXTENSIVE quia Christus est etiam mediator Mariae, et mediatio B. V. M., saltem *abstracte* loquendo, non est *necessaria,* neque *universalis;* siquidem quisque immediate a Christo gratiam et gloriam potest accipere [2].

210. **Quotuplici modo B. V. M. sit corredemptrix.** In Christo distinximus mediationem *ontologicam* et *moralem,* eaedem considerari possunt in B. V. Ipsa est mediatrix in ordine ONTOLOGICO, quia mater reputatur quid unum cum Filio, quia physice nobis protulit Salvatorem, quia sub Deo existens omnes puras creaturas plenitudine gratiae excedit, et quia, dum Filio amore conjungitur, nobis fratribus ejus materno affectu et pia sollicitudine copulatur ; unde a Patribus vocatur *pons* vel *annulus* quo divina humanis junguntur, *thalamus* quo desponsantur, *scala* qua Deus ad nos descendit [3]. In ordine MORALI est mediatrix

---

[37] Supra n. 92.

[38] NESTOR. apud *Hergen. l. c.*

[39] Supra n. 89.

[1] Hebr. **10**. 14.

[2] *Abstracte* loquendo, nam, si *de facto* agitur, Deus « totum nos habere voluit per Mariam » (BERNARD. serm. *De nat. B. V.*) quae, juxta Patres, ab Eva praefigurata partem habuit in redemptione mundi sicut illa in ruina ; unde « doloris gladio... meruit fieri cunctorum mater viventium ; cujus intercessio *ad omnes* se extendit quantum ad dispensationem fructus redemptionis ». BILLOT, *th.* 39, p. 346 ; JANSSENS, V, p. 490 sqq. ; LÉPICIER, p. 385-6 ; BERGAMASCHI, *Vita di Maria Ss.* IV, p. 261-309.

[3] EPHREM, *Praec. ad Deip.* ; PROCUL. *or.* 1 ; DAMASC. *De Dorm. Virg.* serm. 1, n. 8.

merito de congruo, quia sanctitate concepit et genuit nobis Salvatorem : *consensu*, quia libere onera matris Christi suscepit ejusque sacrificio assensit [4] : *physica cooperatione*, quia victimam sacrificii generavit et aluit : *dispensatione fructus*, quia Christus sicut in doloribus sibi adsociaverat matrem, ita redemptionis « pretium universum contulit in Mariam » quae facta est « plenus aquaeductus (gratiarum) ut accipiant ceteri de plenitudine (ejus) », ac proinde « si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare » [5] : tandem *exemplo omnium virtutum*, ipsa enim fuit *mater, conjux* et *virgo* plena gratiae et a quovis morali defectu immunis [6].

211. **B. V. M. est mater nostra.** Hujus maternitatis sex tituli proponuntur a theologis : *a)* Titulus *cognationis spiritualis* quia, teste Apostolo, Christus est primogenitus in multis fratribus [7] ; unde gratiâ, qua efficimur fratres Christi [8] et membra corporis ejus [9], constituimur etiam filii B. V. M., secundum illud AUG. : « Illa una foemina spiritu plane mater est membrorum Salvatoris, quod nos sumus » [10]. *b)* Titulus *cooperationis* quia, ut vidimus, multipliciter genuit nos ad vitam spiritualem et « juxta crucem non sine perturbatione doloris omnes nos in vitam aeternam in Filio ac per Filium vocavit et regeneravit » [11]. *c)* Titulus *procuratricis* generis humani, quia incarnatio fuit matrimonium quoddam inter Filium Dei et humanam naturam, cui datus est « consensus Virginis loco totius humanae naturae » [12]. *d)* Titulus *amoris*, quia sufficit spiritualis sollicitudo de salute alicujus, ut quis ejus mater vocetur ; « probe (autem) sentiunt piorum animi quanta in Maria insideat benevolentis actuosaeque caritatis flamma » [13]. *e)* Titulus *haereditatis*, quia Christus pendens e cruce dixit Joanni « *ecce mater tua* » [14] ; « in

---

[4] *Libertatem B.V.* non obstitisse certitudini incarnationis constat ex dictis de scientia et omnipotenti Dei voluntate (Vol. 2, n. 467). *Consensum* Mariae *in morte Christi* pie meditatur BONAV. (*Medit. de vitae Ch.* c. 72) atque proclamarunt PATRES qui B. V. M. dixerunt *Virginem sacerdotem*. Cf. VAN DEN BERGHE, *Maria ed il sacerd.* ; BILLOT, th. 39, p. 345-6 ; MATTIUSSI in *Scuola Catt.*, nov. 1904.

[5] BERNARD. serm. *De aquae-ductu*.

[6] « In B. V. debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit ». S. THOM. *IV Dist.* 30 q. 2 a. 1 sol. 1.

[7] Rom. **8**. 29.

[8] Joan. **20**. 17 ; Hebr. **2**. 12. sqq.

[9] 1 Corinth. **12**. 27.

[10] AUG. *De Virg.* c. 6 ; AMBR. *De inst. virg.* ; DAMASC. in *Dormit. B. V.* hom. 2.

[11] ALB. MAGN. super *Missus est* q. 29 § 3 ; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 15.

[12] S. THOM. 3 p. q. 30 a. 1.

[13] LEO XIII. Enc. *Magnae Dei matr.* ; AUG. *De Virg.* c. 6 ; LÉPICIER, *De B. V. M.* p. 171.

[14] Joan. **19**. 26.

Joanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum imprimis, qui sibi fide adhaeserunt » [15]. *f)* Titulus *electionis,* quia saepe populus christianus Mariam in matrem elegit, clamans cum Ecclesia: *Monstra te esse matrem* [16].

212. **Errores — Veritas.** Corredemptionem B. V. M. non secus ac intercessionem sanctorum impugnant PROTESTANTES [17]. **Veritas,** etsi non sit explicite definita, continetur in praxi Ecclesiae et saepius est proposita a LEONE XIII, qui ait: « Si nihil prohibet, ut docet Angelicus [18], aliquos alios secundum quid *dici mediatores*... cujusmodi sunt angeli sanctique coelites... profecto ejusdem gloriae decus Virgini excelsae *cumulatius convenit* » [19].

THES. 25. *B. V. M. corredemptrix nostra est praedicanda.*

213. In **Scripturis** explicitum documentum non habemus, sed corredemptricis munus innuitur *a)* in Protoëvangelio cum B. V. adsociatur Salvatori in contritione serpentis [20]: item *b)* in incarnatione Verbi, quod *de ipsa* factum est homo [21]: *c)* in oblatione

---

[15] LEO XIII Enc. *Adjutricem populi. NB.* B. V. vere esse *matrem nostram* theologice certum est; sed an hoc contineatur in verbis Christi: *(filli), ecce mater tua,* non aeque constat. Post RUPERT. sententia affirmativa communis fere evasit sanctorum, interpretum et theologorum (BERGAMASCHI, *Vita di M. Ss.* III p. 254 sqq.), et approbata est usu Liturgiae et RR. PP.; sed, ut notat KNAB., antiquis Patribus fuit penitus ignota. ORIGEN. enim, CHRYS., AMBR., AUG., DAMASC. non exponunt sensum verborum Joan. **19.** 26, sed vel mysticam applicationem tentant, vel factum tantum hujus maternitatis efferunt; imo AUG., CHRYS., CYRIL., etc. testimonium expresse interpretantur de *persona Joannis,* cui Christus matrem suam tradidit custodiendam. Hinc KNAB. aestimat interpretationem, qua in persona Joannis omnes homines intelliguntur, esse *accommodationem* Scripturae (quae frequenter occurrit in Liturgia) non *sensum scripturalem.* Quod ad me attinet, existimo Christum principalius dixisse de persona Joannis, secundarie vero *sensu pleniori* (Cf. CORNELY, *Comp. Intr. in Sacr. Scrip.* Diss. III § 2, n. 4), de omnibus hominibus. Hic sensus *plenior,* qui potius ex circumstantiis, quam ex verbis, deducitur, forte latuit primos interpretes, sed dein propositus, Ecclesia recepit et approbavit.

[16] LITURG. Hym. *Ave Maris Stella.*

[17] Cf. supra n. 5.

[18] S. THOM. 3 p. q. 26 a. 1.

[19] LEO XIII Enc. *Fidentem;* BENED. XIV Bulla *Gloriosae dom.;* PIUS IX Enc. *Ubi primum;* LEO XIII Enc. *Supremi Apost.; Superiori anno; Magnae Dei matr.; Jucunda semper; Adjutr. pop.; Augus. Virgo;* PIUS X *Ad diem illum.*

[20] Gen. **3.** 15.

[21] Matth. **1.** 18.

Christi, qui per Mariam in templo est praesentatus [22] : *d)* in sacrificio crucis cui Filius matrem adstare voluit [23], ut suis doloribus nos generaret ad vitam. Sicut autem Scriptura Mariam conjungit Christo in opere redemptionis, ita et in applicatione fructus ejus; nam per Mariam *primam sanctificationem* operatus est Christus in Joanne Baptista [24], *primum miraculum* fecit ad nuptias in Cana [25], *primam vocationem* ad exitum perduxit in persona Pastorum [26] et Magorum [27] atque *Ecclesiae confirmationem* complevit precibus B. V. Apostolos praeparando ad plenitudinem Spiritus S. [28], qui die Pentecostes Ecclesiam foecundavit. — **Patres** *a)* NOMEN MEDIATRICIS expresse tribuunt Mariae, quam invocant « coeli et terrae *mediatricem*, quae unionem naturaliter peregit » [29], « peccati *expiatricem* » [30], parentum *reparatricem*, posterorum *vivificatricem* [31]. MEDIATIONEM vero IPSAM multipliciter considerant; si enim *b)* attendimus *mala ablata*, Maria est « totius orbis reparatio » [32], « solutio maledicti, quo fuit primogenitor maledictus » [33], illa per quam « sententia damnationis accepit solutionem » [34] : *c)* si *bona collata*, est mulier per quam « universa ipse (Deus) rursus instauravit » [35] et « hominum exornavit naturam » [36]; ipsa enim « lapsam Evam erexit et Adamum, e paradiso ejectum, in coelum misit » [37], et per ipsam « *pax* terris, coelis *gloria*, *salus* perditis, *vita* mortuis, terrenis *cum coelestibus parentela* » [38] datur. *c)* Patribus Maria est « femina plena et superplena gratia *de cujus plenitudinis exundantia* respersa virescit omnis creatura » [39], « uberrima benedictionis scaturigo, quae nobis *bonorum omnium causa* et parens extitit » [40],

---

[22] Luc. **2**. 22.

[23] Joan. **19**. 25 sqq.

[24] Luc. **1**. 44.

[25] Joan. **2**. 3 sqq.

[26] Luc. **2**. 8-18. Hi erant primitiae judaeorum.

[27] Matth. **2**. 1. sqq. Hi erant primitiae gentium.

[28] Act. **1**. 12 sqq.

[29] EPIPH. *De laud. Deip.*; BASIL. Seleuc. or. in *Deip. Ann.*; THARAS. *De praes. Deip.*

[30] LITURG. Armen. Hym. *Nativ.*

[31] BERNARD. super *Missus est*, hom. 2.

[32] THARAS. *De praes. Deip.*

[33] LITURG. Graec. in *Menaeis* 4 Febr.; THARAS. *l. c.*

[34] LITURG. Syr. 1 *Noct. Sab.*

[35] THARAS. *De praes. Deip.*

[36] SOPHRON. hom. *de Ann. Deip.*

[37] EPIPH. *De laud. Deip.*

[38] P. CHRYSOL. serm. 140; ANDR. Cretens., in *Dormit S. M.* or. 3.

[39] ANSEL. *or.* 48.

[40] DAMASC. in *Dormit. Deip.* or. 1; JACOBUS ep. BOT. *apud Obbeloos* de vita S. Jac.; EPIPH. or. *De B. V.*; GERMANUS Cp. in *Praesent. Deip.*; in *Dorm. S. M.*, etc.

« locus lucis repletus e quo salutis radii universo mundo illuxerunt » [41], fons sempiternae vitae [42], causa salutis [43], pons, annulus, scala, thalamus quo coelum et terra junguntur [44]. *d)* Hinc Mariam praefiguratam vident in Eva, quae licet esset mater morientium, uti typus Mariae vocata est mater viventium [45], quippe si Eva cum Adamo et per Adamum nos occidit, B. V. M. cum Christo et per Christum nos vivificavit. « Quemadmodum, inquit IRE., illa (Eva)... inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria... obediens, et sibi et universo generi humano facta est causa salutis » [46]. CONFIRMATUR ex *antiquis monumentis:* nam in catacumbis Christus saepe exhibetur in ulnis vel in sinu B. V. [47] quae illum Magis, primitiis gentium [48], imo et Sanctis in coelo [49] praebet, aliquando vero cum suo infante pingitur in arca, de qua exeunt aquarum rivuli, ut significetur gratias a Christo ad nos pervenire per Mariam [50]. — **Rationes** mediationis Mariae deducuntur ex titulis *matris Christi* et *matris nostrae,* nec non ex *plenitudine gratiae ejus.* Scil. *a)* sicut Pater Filium suum nobis tradens, cum illo omnia donavit [51]; ita Christus ad nos veniens per Mariam, per eam voluit omnia nobis dare [52]. *b)* Mater naturaliter subvenit necessitatibus filiorum, si potest: atqui Maria est mater nostra et potest sua intercessione coelestia dona communicare: ergo. *c)* Omnes sancti ex amore, quo Deum diligunt, connaturaliter efficiuntur mediatores et advocati, eo efficaciores quo sanctiores [53]: atqui Maria omnes sanctos excedit sanctitate: ergo super omnes est nostra mediatrix et corredemptrix [54].

THES. 26. *B. V. M.; utpote corredemptrix, Christo est conjuncta* — 1 *in praedestinatione sanctorum,* — 2 *in promissione,* — 3 *in glorificatione, et* — 4 *in cultu.*

214. **Prima pars.** *B. V. conjuncta est Christo in praedesti-*

---

[41] EPHREM, *Orat. ad Deip.;* GREG. Neoc. *Or. in Deip.*

[42] ANAT. *Men.* 18 Febr.

[43] IREN. *Adv. Haer.* III, c. 33.

[44] Cf. supra n. 207.

[45] EPIPH. Haer. 78, n. 18.

[46] IREN. or *in Deip.* n. 11. Typicam rationem Mariae corredemptricis vident in Eva etiam AUG. *De symb. ad catech.;* THEOD. ancyr. *apud Hurter* n. 632; THARAS. *De Praes. Deip.;* BERNARD. super *Missus est;* ADAM VICT. *apud Janssens,* V. p. 492.

[47] Cf. P. SYXT. *Not. Arch. chr.* II, p. 2, tab. 113, 117, 122, 123.

[48] P. SYXT. *l. c.* tab. 116, 120, 121.

[49] P. SYXT. *l. c.* tab. 195, 196.

[50] MARTIGNY, *Dict. des antiq. chrét.*

[51] Rom. 8. 32.

[52] BERNARD. serm. *De aquae-ductu.*

[53] S. THOM. 2-2, q. 83, a. 11.

[54] LEO XIII, Enc. *Fidentem.*

natione sanctorum. Nam causa praedestinationis sanctorum est Christus, *primogenitus in multis fratribus* [55] : atqui in praesenti ordine providentiae Christus non concipitur sine matre : ergo « Dominus, redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria, ut *per quam salus omnibus parabatur*, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore » [56]. Hinc Ecclesia Sapientiae verba accomodans Mariae inducit eam dicentem : *Ab aeterno ordinata sum...: cum eo eram cuncta componens* [57].

215. **Secunda pars.** *B. V. conjuncta est Christo in promissione*. Merito BERN. Mariam dixit « Virginem a saeculo electam... a Patribus *praefiguratam*, a Prophetis *promissam* » [58] ; nam MOYSES Redemptorem ut filium Mariae annuntiavit [59] : ISAIAS eam intuitus est quasi *virgam de radice Jesse* de qua flos (Christus) ascendit [60], virginem concipientem et parientem filium [61] : JEREM. promisit quasi feminam (quae) circumdabit virum [62] : EZECHIEL conspexit in typo portae orientalis per quam nullus transibit, sed Dominus ingredietur et princeps sedebit in ea [63] : DANIEL vidit quasi montem de quo sine manibus abscissus est lapis, qui factus est mons magnus replens terram [64] : REBECCA, RACHEL, JAHEL, JUDITH, ESTHER, NOEMI, SUSANNA, et si quae aliae sunt celebres mulieres V. T., eam praefigurarunt vel in *venustate* gratiae summi regi placentem, vel in *potentia* portas inferi debellantem et ad nihilum redigentem inimicos nostros, vel necessitatibus nostris subvenientem in *amabilitate* dulcissimae matris, in qua « nihil austerum vel terribile »,

---

[55] Rom. **8**. 29. Cf. Vol. 2, n. 244, 367.

[56] AMBR. *in Luc.* **1**. 38. B. V. « fuit medium nostrae redemptionis, ac totius ordinis gratiarum a Christo instituti ; hinc fuit *causa finalis creationis universi* ». A. LAPIDE *in Eccli.* **24**, 2, ubi citat pro eadem sententia SUAREZ, VASQUEZ, VALENTIAM, CANISIUM. Addi possunt BERNARD. in *Salve Regina* serm. 5 ; JANSSENS, V, p. 15-20 ; LÉPICIER, p. 22.

[57] Prov. **8**. 30 ; LITURG. *Missa B. V. M.*

[58] BERNARD. Super *Missus est*, hom. 2.

[59] Gen. **3**. 15.

[60] Isai. **11**. 1. KNAB. tamen in *h. l.* p. 268, *virgam* quoque de Christo intelligit.

[61] Isai. **7**. 14.

[62] JEREM. **31**. 22. Scil. concipiet virum *perfectum*, non sane aetate sed scientia et virtute.

[63] Ezech. **44**. 1-3. Scil. non concipiet de homine sed divina virtute, ejusque filius erit Messias.

[64] Dan. **2**. 34. Scil. de B. V. M. sine humano opere natus est Christus qui suo corpore, h. e. Ecclesia, replevit terram.

quaeque, « tota suavis, omnibus affert lac et lanam »[65]; vel in *splendoribus* sanctorum sedentem reginam circumamictam verietate; vel in *munditia* purissimae castitatis, quae bonis conjugii non privatur; vel in *foecunditate* matris inviolate et incontaminatae. — Neque in personis tantum B. V. M. viderunt Patres praefiguratam, sed agnoverunt « in *arca* illa Noë, quae divinitus constituta a totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in *scala,* quam de terra ad coelum usque pertingere vidit *Jacob,* cujus gradibus angeli Dei ascendebant et descendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in *rubo* illo, quem in loco sancto *Moyses* undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere atque florescere conspexit; tum in illa *inespugnabili* turri a facie inimici, ex qua mille clipei pendent, omnisque armatura fortium; tum in *horto* illo *concluso,* qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in *corusca* illa *Dei civitate,* cujus fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo Dei *templo,* quod divinis refulgens splendoribus, plenum est gloria Domini »[66]; tum in *columba* de arca emissa, quae olivarum ramum in ore ferens ad Noë redit; tum in *vellere Gedeonis* coelesti rore in communi ariditate perfuso; tum in *arca testamenti* quae continebat tabulas legis, virgam Aaron et manna praefigurantia Christum legislatorem, sacerdotem et cibum animarum; tum in *virga de radice Jesse* edens florem, super quem requievit Spiritus Domini.

216. **Tertia pars.** *B. V. M. conjuncta est Christo in gloria.* Nam: *a)* miraculo ex senibus parentibus est genita; *b)* sine peccati labe est concepta; *c)* gratia plena supernaturalibus donis prae omnibus cumulatius exornata est; *d)* in sanctitate speciali modo confirmata, aliquo vero sensu fuit impeccabilis; *e)* paulo post obitum ad vitam immortalem resurrexit et assumpta est in coelum; *f)* ubi supra omnes sanctos angelorumque choros beata sedet regina mundi, omnibus gloriae aureolis refulgens[67]. Sicut autem glorificata est in coelis, ita et in terris superexaltata est; *g)* laudibus omnium fidelium; *h)* monumentis cujusvis artis; *i)* solemnioribus festivitatibus; *j)* dispensatione gratiarum et *l)* miraculorum operatione.

---

[65] BERNARD. serm. *De Verb. Apoc.*
[66] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*
[67] JANSSENS, V, p. 961 sqq.

217. **Quarta pars.** *B. V. M. conjuncta est Christo in cultu.* B. V. de se prophetavit : *beatam me dicent omnes generationes* [68]. Et bene quidem, nam ab angelo salutata [69], ab Elisabeth celebrata [70], a Magis honorata [71], a discipulis Christi benedicta [72], Ecclesiae cultum *intensive* et *extensive* summum consecuta est. Profecto si INTENSITATEM seu perfectionem cultus consideras, habes quod B. V. *a)* laudibus omnium Patrum et plurium RR. PP., qui bullis, litteris encyclicis et conciliis ejus privilegia sancierunt [73], est exaltata, *b)* cultu *hyperduliae* [74] supra omnes sanctos [75] est venerata, *c)* quamplurimis festivitatibus est celebrata, *d)* in omni vitae statu et circumstantiis fidelibus in exemplum est exhibita, *e)* splendidissimis titulis, iis non exceptis qui Deo tribuuntur, salutata est fons vitae et salutis, dulcedo et spes nostra, atque *f)* in omni vitae spiritualis vel temporalis discrimine invocata, *g)* mediatrix ad quodcumque bonum obtinendum est interposita. — Si EXTENSIONEM hujus cultus respicis, vides omnia complecti *tempora, loca* et *personas*. Etenim B. V. M. *a)* a Joanne [76] et ceteris Apostolis est honorata, *b)* a primis fidelibus est venerata, quemadmodum testantur perantiquae imagines nimbo coronatae [77], et omnes liturgiae sanctam Deigenitricem concelebrantes [78]; *c)* hujusmodi vero cultus Ecclesiae propagatione tam excrevit ut habeatur « nota negativa verae religionis christianae » [79]. — Si FRUCTUM attendis habes cultum B. V. tantae esse virtutis ad fidem servandam et puritatem morum promovendam [80], ut recenseatur inter praecipua praede-

---

[68] Luc. **1**. 48.

[69] Luc. **1**. 28.

[70] Luc. **1**. 21.

[71] Matth. **2**. 11.

[72] Luc. **11**. 27.

[73] CONC. EPHES. a. 431, CONC. TOLET. a. 447, LEO M. ep. dogm. *ad Flav.* a. 449, HORMIS. *decr.* a. 519, JOAN. II. a 533, CONC. CP. II. a 553, CONC. LAT. sub *Mart. I* a 649. CONC. TOLET XI. a 675; OECUM. VI. a. 680-1; PAUL. IV. Const. *Cum quorumdam* a. 1555; CONC. TRID. 1545-63; CLEM. VIII. a. 1603; URBAN. VIII in *Prof. fidei;* BENED. XIV.; PIUS IX, Bulla *Ineffabilis* a. 1854.

[74] DECR. *S. C. R.* 1 Jul. 1884; S. THOM. 3, p. q. 25 a. 5.

[75] *Hyperduliam* specie differre a *dulia* explicant PESCH, n. 622; LÉPICIER, *De B. V. M.* p. 445.

[76] Joan. **19**. 27.

[77] P. SYXT. *l. c.* tab. 117, 195, 196; MARUCCHI, *Eléments d'Archéol. chrét.* 1899, p. 315 sqq.

[78] LÉPICIER, *l. c.* p. 437-8 refert liturgias *S. Jacobi, S. Cyril. Alex., S. Basilii, S. J. Chrys.* ex orient., ex occid. vero *Rom., Ambr., Mozarab, Gallic.*

[79] BILLOT, *th.* 39 p. 347.

[80] Cf. H. MAZZELLA, *l. c.* n. 363.

stinationis signa [81], secundum illud BONAV. : « Qui hunc habuerit characterem adnotabitur in libro vitae » [82].

CAPUT II.

De B. V. sanctitate et privilegiis.

218. **Divisio capitis.** Jam vidimus divinam maternitatem non exhibere tantum infinitam dignitatem, sed radicem esse totius sanctitatis B. V. : ad hanc investigandam nunc animum convertimus, et gratiarum ordinem, uti ita dicam, chronologicum sequentes, dicemus : — 1. *De immaculata conceptione B. V. M.* — 2. *de eximia ejus sanctitate.* — 3. *de perpetua ejus virginitate.* — 4. *de gloriosa assumptione.*

ART. 1 - DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. V.

219. **Historia dogmatis.** Dogma immaculatae conceptionis B. V., quatuor veluti periodos complectitur : in *prima* doctrina paullatim proponitur, in *altera* quasi aurum, quod igne probatur, contradictionibus subjicitur, in *tertia* de adversariis triumphans ubique recipitur et definitione R. P. firmatur, in *quarta* communi exultatione et miraculis coronatur. **Prima periodus.** *Dogmatis praeparatio et propositio.* « In primis temporibus fides (hujus dogmatis) erat implicita, instinctiva, quin res expressis verbis, nisi a paucioribus diceretur » [1] ; eam scil. profitebatur Ecclesia confessione *summae puritatis B. V.*, cujus clariores expressiones recurrunt in liturgiis SS. JACOBI, MARCI et BASILII. *Festum* Immaculatae conceptionis, quod saltem in Ecclesia Latina temporibus AUG. nondum erat institutum [2], probabiliter ante **saec. 5** celebrabatur in Eccl. Graeca [3] : **saec. 7** testimonium habet in Triordiis S. ANDREAE CRE-

---

[81] Cf. Vol. 2 n. 228.

[82] BONAV. *in Ps.* **10**; **48**; EPHR. Orat. *De Laud. B. V.*; GERM. Or. *De Deip;* ANSELM. *De Excel. B. V.;* BERNARD. Oratio *Memorare;* S. ALPH. *Glorie di Maria,* p. 1 c. 8; LÉPICIER, p. 411-2 adducit testimonium S. J. BERCHMANS, etc.

[1] JANSSENS, V, p. 125.

[2] AUG. serm. *in J. B.* testatur de Christo tantum et de J. B. celebrari nativitatem.

[3] In TYPICO S. SABBAE saec. **5.** legitur : 9 Decemb. *Conceptio S. Annae Matris Deiparae.* Sensus est manifestus ; cum enim conceptio activa non sit objectum festivitatis Ecclesiae, profecto signatur conceptio passiva, seu

TENS.[4], et **saec. 8** certissime extabat, siquidem sermo DAMASC., qui nunc est *De nativ. B. V.*, ut ait *Ant. Possevinus*, prius inscribebatur *in generationem* seu conceptionem *B. V.*[5]. **Saec. 9** plures de Immaculata conceptione habitae sunt homiliae, et invenitur festum in Kalend. marmoreo Ecclesiae Neapolitanae : **saec. 10** celebratur ab universa Ecclesia *Graeca* de qua, ut probat MABILLONIUS, progreditur ad *Hispaniam* et *Angliam* et dein ad *Flandriam, Galliam, Germaniam,* aliasque regiones. — **Secunda periodus.** *Dogmatis impugnatio.* Crisis hujus dogmatis seu disputatio de ejus veritate, incipit **saec. 12,** cum S. BERN., epistolâ ad canonicos Lugdunenses[6], reprobavit festum *Conceptionis B. V.*; **saec. 13** adversarios nactum est theologorum principes ANSEL., P. LOMB., HUGO VICT., A. HALENS., BONAV., A. MAGN. et S. THOM.[7] qui, ut vindicarent universalitatem redemptionis Christi et traductionem peccati, solam sanctificationem in utero B. V. tribuerunt. — **Tertia periodus.** *Triumphus dogmatis.* Dogmatis manifestatio et sollicita diffusio debetur SCOTO qui prius timide, dein strenue pro Immaculata conceptione decertavit solemni disputatione coram facultate Parisiensi, in qua, statuta distinctione inter *debitum* et *factum,* varias sententias composuit et argumentorum numero ac pondere in suam traxit sententiam totam universitatem, quae eum titulo *Doctoris subtilis* insignivit. Ex eo tempore tam universalis facta est sententia affirmativa, ut PIUS IX scribere potuerit : « Omnes norunt quanto studio haec de Immaculatae Deiparae V. conceptione doctrina a spectatissimis *Religiosis Familiis,* et celebrioribus theologicis *Academiis* ac praestantissimis rerum divinarum scientia *Doctoribus* fuerit tradita, asserta ac propugnata »[8]. Revera a 1496 ACAD. PARIS. statuit « ut nemo deinceps sacro nostro collegio adscribatur, nisi se hujus religiosae doctrinae assertorem strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteatur »[9]. Academiam Parisiensem Coloniensis (a. 1499) et aliae cum

---

primum instans creationis animae Mariae. PALMIERI (*De Im. conc.*, p. 229) tamen notat incertum *esse tempus* quo in TYPICO hoc festum est receptum.

[4] Die 9 Decemb. *Conceptio sanctae ac Dei aviae Annae.*

[5] Apud MAZZELLA, *De Deo Creante* n. 1118.

[6] Plures tamen negant hujus epistolae authentiam, et alii putant S. Bernardum reprobasse festum conceptionis *activae* vel passivae *inchoatae,* scil. ante animationem foeti.

[7] Cf. PESCH, n. 323 sqq.; JANSSENS, p. 93 sqq.; TEPE, *De Verb. Inc.* n. 1106-9. De S. THOM. etiam LÉPICIER, p. 138 concedit; alii tamen, ut infra dicemus, negant.

[8] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*

[9] PLAZZA, *Causa Im. conc.*, p. 585. Praeter hoc decret. LÉPICIER, p. 117-8 affert decr. 1387 contra *Monsonium,* 1521 contra *Lutherum,* 1575 contra *Maldonatum.*

schola Scotistica et Molinistica secutae sunt, atque doctrina de Immaculata conceptione tam communis evasit, ut CAJET. scribere debuerit: « Doctores tenentes B. V. esse praeservatam ab originali peccato sunt *numero infiniti,* si ad modernos spectamus » [10], et SIM. SANTAGATA recensuerit 6000 auctores qui eidem adhaeserant. — Doctrina fidei in propriis jam terminis proposita et a. DD. disputata, solicitudinem EE. et RR. PP. praeterire non poterat; quare « sacrorum Antistites in ecclesiasticis conventibus soliciti fuerunt (eam) palam publiceque profiteri... Romana vero Ecclesia nil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis conceptionem ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare » [11]. In basilica Liberiana jussu RR. PP. festum Immaculatae conceptionis celebratum est cum octava; SYX. IV. a. 1482 eos reprobavit, qui docebant a Romana Ecclesia celebrari festum de sanctificatione quae fuit *post* conceptionem; CONC. TRID. a. 1546 in definitione de universalitate originalis culpae excepit B. V. [12]; PIUS V. reprobavit prop. 73 Baj... « B. V. mortua est propter peccatum ex Adam contractum »; PAULUS V vetuit publice impugnari doctrinam de Immaculata conceptione, et GREG. XV prohibitionem extendit ad colloquia privata; ALEX. VII sensum festus Immaculatae conceptionis declaravit; GREG. XVI indulsit ut in praefatione caneretur: *Et te in conceptione immaculata,* et in litaniis B. V. invocaretur *Regina sine labe originali concepta.* PIUS IX tandem a. 1854 expostulationes totius orbis suscipiens, infallibili auctoritate fidei dogma definivit, et a. 1863 missam cum officio promulgavit. **Quarta periodus.** *Dogmatis glorificatio.* Pii IX definitio, diu ab Ecclesia desiderata et enixe ab episcopis et principibus expostulata, ab universa fidelium multitudine ingenti gaudio excepta est ac coelestem confirmationem habuit. Enimvero quarto a dogmatica definitione anno ad Gavi fluminis oram prope Lapurdium dioecesis Tarbiensis in Gallia, B. V. M. saepius in rupis sinu super specum Massabiélle ingenuae ac piae puellae Bernadétte apparens, ei percunctanti suum nomen, admotis pectori manibus elevatisque in coelum oculis respondit: *Immaculata conceptio ego sum* [13]; testimonium confirmans innumeris pene miraculis, quae aquâ de miro fonte emanante in dies patrantur.

---

[10] CAJET. in 3 p. q. 27 a. 2; HERGENR. V, p. 595.

[11] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*

[12] CONC. TRID. sess. 5 in fine. Doctrina de immaculata conceptione jam fuerat proposita in CONC. BASIL. sess. 36 (a. 1439), sed illa pars non fuit approbata ab Eugen. IV; in TRIDENT. vero quidam ad definitionem venire volebant, sed, reluctantibus Thomistis, non est factum. HERGENR. V. p. 255; VI, p. 238.

[13] OFFIC. *App. B. V. Im.*

220. **Quid Immaculata conceptio.** *Conceptio* est prima efformatio foetus, quae prout est a parentibus dicitur *activa,* prout est terminus generationis *passiva.* Quaestio de immaculata conceptione agitur de conceptione *passiva,* quae a Scholasticis subdistinguitur in *initialem* seu imperfectam et *adaequatam* seu perfectam, secundum quod consideratur qualiscumque efformatio foetus, vel ejus animatio anima intellectiva [14]; patet autem immaculatam conceptionem non intelligi ante creationem animae, quae est subjectum gratiae et peccati [15], quare ALEX. VII declaravit conceptionem B. V. celebrari de « primo instanti creationis atque infusionis (animae) in corpus » [16].

221. **Qua ratione B. V. concepta sit immaculata.** Proponitur in definitione, qua docemur B. V. « *in primo* instanti conceptionis suae fuisse *singulari* omnipotentis *Dei gratia* et *privilegio,* intuitu *meritorum Christi Jesu Salvatoris* humani generis, ab omni originalis culpae labe *praeservatam immunem* » [17]. His verbis signatur *causa efficiens* Dei omnipotentia, *causa meritoria* merita Christi Salvatoris, *causa formalis* gratia singularis, privilegiata et praeservativa, *tempus* in primo instanti conceptionis. Et quod attinet ad CAUSAM EFFICIENTEM nulla difficultas, quia solus omnipotens, qui *mortificat et vivificat* [18], potest a lege mortis liberare, et nulla virtus creata potest producere gratiam, qua homo liberetur vel praeservetur a culpa. CAUSA MERITORIA est Christus, non quacumque ratione, sed qua *Salvator generis humani;* quidquid ergo teneatur de adaequato incarnationis fine [19], immaculata conceptio B. V. non debet explicari independenter a peccato Adae ex quo Christus habet quod sit *Salvator* et non tantum *Sanctificator.* CAUSA FORMALIS est *gratia,* quia B. V. naturaliter de Adamo genita, ejus peccatum contrahere debebat [20], et quia peccatum originale est gratiae privatio [21], quae sola gratia sanctificante aufertur. Porro gratia immaculatae conceptionis est *privilegium,* quia est exemptio a lege communi qua *natura* omnes nascimur *filii irae* [22]: est *singularis*

---

[14] Cf. Vol. 2 n. 470.
[15] Cf. Vol. 2 n. 589.
[16] Apud PIUM IX, bul. *Ineff.*
[17] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*
[18] 1 Reg. 2. 6.
[19] Supra n. 10.
[20] Huic *gratuitati* non obstant quae infra dicemus de convenientia immaculatae conceptionis, siquidem convenientia non est exigentia, et fundatur in electione ad divinam maternitatem, quae fuit penitus gratuita.
[21] Vol. 2. n. 596.
[22] Eph. 2. 3.

quia *nulli* alio est concessa [23] : est *praeservativa* quia, dum *liberatio* subaudit malum a quo quis eripitur, *praeservatio* malum non supponit, sed impedit; B. V. autem numquam peccatum habuit, a quo divina gratia liberaretur, sed a necessitate contrahendi est praeservata. TEMPUS dicitur *primum instans,* non ad dirimendam quaestionem de instanti creationis et infusionis animae, sed ad signandum primum momentum creationis animae, contra eos « qui ad labefactandam de immaculata Virginis conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum conceptionis (seu animationis) instans et momentum discrimine, asserebant celebrari quidem conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento » [24].

222. **An B. V. M. habuerit debitum peccati.** Habuisse *aliquod debitum* peccati, sequitur ex universalitate redemptionis Christi; si enim originale peccatum contrahere non debuisset, ab eo non fuisset *praeservata intuitu* meritorum J. Christi *Salvatoris* humani generis : supposito itaque debito, quaeritur an fuerit proximum vel remotum. *Debitum proximum* supponit quod B. V. fuerit inclusa cum ceteris hominibus in lege qua Adam constitutus est caput morale totius humanitatis in ordine ad gratiam; unde, Adamo peccante, cum ceteris etiam B. V. amisit jus ad gratiam originalem, quam nonnisi gratuito privilegio, accepit : *debitum remotum* eximit B. V. a supradicta lege capitis, unde Adamo peccante vel non peccante, B. V. aeque in justitia nascitura erat. Haec altera sententia patronos habuit VEGA, SALMERON, THURS, GONZALES, NIEREMBER, WIRCEBURG. et inter modernos MAZZELLA, TEPE, JANSSENS [25]; prima praefertur a SUAREZ, VASQUEZ, VALENTIA, BELLARM., TANNER, BECANO, et nostris temporibus a PALMIERI et PESCH atque innuitur a BILLOT, HURTER, LÉPICIER, etc. [26]. His subscribimus, *a)* quia intelligere non valemus, quomodo merita Christi, quae in ordine logico peccatum Adae supponunt [27], vim habeant excipiendi a lege capitis, quae in eodem ordine logico peccatum antecedit : *b)* quia, posito

---

[23] Joan. B. et probabilius S. Joseph sanctificati sunt in utero matris, sed non concepti sine macula; Christus exemptus quidem est ab omni peccato, sed praeservatio a culpa ipsi non fuit *gratia,* quia miraculose de Spiritu S. conceptus, contrahere non potuit peccatum quod naturali origine ducitur.

[24] PIUS IX, Bulla *Ineff.*

[25] C. MAZZELLA, *De Deo Crean.* n. 1130; TEPE, *De Verb. Inc.* n. 1090; JANSSENS, V, p. 34 sqq. *NB.* Primus qui *debitum proximum exclusit* a B. V. fuit B. SCHMIER apud *Hergenr.,* VII, p. 114.

[26] PALMIERI, *De pecc. orig.,* etc. p. 332 sqq.; PESCH, *De Deo Creante,* n. 298; BILLOT, th. 39 § 2 p. 344; HURTER, n. 619 coll. not. et n. 638; LÉPICIER, *De B. V. M.,* p. 91.

[27] Supra n. 10.

debito proximo, melius intelligitur universalitas peccati originalis ab Apostolo promulgata [28] : et *c)* quia exemptio a debito proximo non secus ac exemptio a peccato probari deberet documentis revelationis, dum « nec Scripturis SS., nec Patribus videtur consentanea » [29]. Ceterum falsum est debitum proximum *majus* dedecus inferre B. V. ; nihil enim mali ordinis physici vel moralis inducit [30], sed sensu *affirmativo* exprimit naturalem originem ex Adamo lapso, sensu *negativo* (scil. *solum* debitum et *non* peccatum) revocat nobilissimum redemptionis modum, quo B. V. gratiam originalis justitiae est adepta [31].

223. **Quae Immaculatae Conceptionis perfectio.** In definitione immaculatae conceptionis dicitur quod B. V. fuit immunis ab *omni* originalis culpae *labe*, « istud (autem) *omne* vix potest aliud significare praeter *vulnera* peccati originalis » [32]. Porro vulnera peccati originalis sunt quatuor : *ignorantia, malitia, infirmitas* et *concupiscentia* [33]. S. Thom. putavit fomitem CONCUPISCENTIAE in prima sanctificatione fuisse B. V. *ligatum*, in incarnatione vero Verbi *sublatum* [34] ; sed communis sententia tenet B. V. in ipsa conceptione a fomite fuisse *exemptam* [35] ; fomes enim est pars materialis peccati originalis, omnino indebita ei quae ab originali peccato est praeservata. Ex immunitate a fomite B. V. consecuta est privilegium *exemptionis a venialibus* quod fundatur in dono integritatis [36], et *summam venustatem* corporis [37] quae tamen, nedum ad libidinem exercitaret, intuentes potius ad castitatis amorem alliciebat [38]. Ab INFIRMITATIBUS ET MORTE B. V. non fuit exempta; quia « ista fuerunt assumpta a Christo in finem redemptionis, et evidens est quod Virgo non debuit eximi ab iis poenalitatibus quibus ipse Christus subjacuit » [39] ; aliter tamen fuerunt in B. V. et in nobis; in

---

[28] Rom. **5**. 12 sqq.

[29] SUAREZ, *De myst. vitae Chr.* Disp. 3 sect. 2.

[30] Attendas foetum B. V. ante animationem non fuisse inquinatum debito, siquidem intuitu meritorum Christi est praeservata etiam a fomite concupiscentiae.

[31] PALMIERI, p. 337 ; PESCH, n. 299.

[32] JANSSENS, V, p. 41.

[33] S. THOM. 1-2 q. 85 a. 3.

[34] S. THOM. 3 p. q. 27 a. 3. Hoc docuit quia aestimavit B. V. conceptam in peccato.

[35] C. MAZZELLA, n. 1145 sqq. ; BILLOT, p. 353 sqq. ; PESCH, n. 355.

[36] S. THOM. 1 p. q. 95 a 2 ; *De Verit.* q. 28 a 8 ; ad 6.

[37] De hac pulchritudine corporis B. V. multa ex Scriptura, Patribus et Liturgia profert JANSSENS, V, p. 192-200 ; LÉPICIER, p. 224- 28.

[38] « Gratia sanctificationis non solum repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in alios efficaciam habuit, ita ut, quamvis esset pulchra in corpore, a nullo concupisci potuerit ». S. THOM. *III Dist.* 3 q. 1 a. 2 sol. 1 ad 4.

[39] BILLOT, p. 356.

nobis enim sunt cum repugnantia, quae usque ad rationem pervenit, in B. V. repugnabant voluntati ut *naturae* non ut *rationi* [40]. Quoad VULNUS MALITIAE, quo voluntas in malum inclinatur, nulla difficultas; magis enim repugnat originali justitiae, quam ipsa concupiscentia [41]. Quoad IGNORANTIAM, B. V. non habuit scientiam beatificam [42], neque certum est habuisse scientiam infusam, qua in utero matris exercuerit liberum arbitrium [43]; habuit tamen perfectissimam scientiam acquisitam [44] et ab *ignorantia* stricte dicta, quae est carentia *scientiae debitae* proprio statui, liberata est, « quia et ipsa ignorantia computatur inter materiales defectus originalis peccati, a quo B. V. fuit immunis. Insuper, nihil absurdius cogitari potest, quam quod divina bonitas aliquando defecerit in ornando Mariam omnibus donis, quae ad excellens ejus ministerium circa Verbum incarnatum requirebantur, et condecebant supereminentem ejus dignitatem » [45].

224. **Errores — Veritas.** Dogma immaculatae conceptionis **negarunt** BAJUS et pauci JANSENISTAE qui nomen VETERUM-CATHOLICORUM sibi imposuerunt [46]; *modum* quo B. V. immaculate est concepta praepostere exposuit ROSMINIUS repetens ab incorrupta quadam particula seminis Adae (forte neglecta a daemone), quae evoluta est in B. V. [47]. **Veritas** continetur in definitione Pii IX: « Declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam, quae tenet B. V. M. in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum J. C. Salvatoris humani generis. ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam » [48].

---

[40] Supra n. 129. — *NB.* Ne dicas rebellionem passionum esse occasionem meriti; respondet enim S. THOM. 3 p. q. 27 a 3 ad 2, quod « sufficit in B. V. ponere perfectam virtutem *ex abundantia gratiae*, nec oportet ponere in ea omnem occasionem perfectionis ».

[41] Cf. JANSSENS, p. 205.

[42] SUAREZ (in 3 p. t. 2 Disp. 19 sect. 4) cui aliquatenus accedunt JANSSENS, V, p. 179 et LÉPICIER, p. 199, docet interdum B. V. admissam fuisse ad videndum Deum per essentiam, quia ipsa privari non debuit dono concesso Moysi, Isaiae et Paulo; sed juxta dicta Vol. 2 n. 28 in nota, negandum est suppositum.

[43] S. THOM. 3 p. q. 27 a. 3, et LÉPICIER, p. 200 negant: VEGA, *Theol. Mar.* Pal. 13 sqq. et SUAREZ, in 3 p. tom. 2 Disp. IV sect. 7 affirmant: JANSSENS, p. 206 probabile aestimat.

[44] JANSSENS, p. 205; LÉPICIER, p. 201 addit *per accidens infusam.*

[45] BILLOT, p. 356.

[46] BAJ. pr. 73; VET. CATH. apud *Hergenr.*, VII, p. 785.

[47] DECR. *Post obit.*, prop. 34.

[48] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*

THES. 27. *Dogma immaculatae conceptionis probatur — 1 Gen. 3. 15 et — 2 Luc. 1. 28* [49].

225. **Prima pars.** *Immaculata conceptio B. V. probatur ex Gen. 3. 15.* **Testim.** *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* **Argum.** In hoc testimonio *serpens* est diabolus, *semen ejus* sunt peccatum et peccatores, *semen mulieris* est Christus, *mulier* vero est B. V.: atqui mulier adsociatur semini suo in lucta perpetua et perfecta victoria supra serpentem ejusque semen: ergo B. V. semper et in omnibus sejuncta est a peccato et semper victrix diaboli, fuit immaculata. **Prob. major.** SERPENS EST DIABOLUS. *a) Ex contextu,* nam Deus alloquitur serpentem qui tentaverat Evam [50], hic autem in instrumento fuerat animal, sed in causa principali substantia spiritualis et mala [51] ac proinde diabolus [52]. *b) Ex analogia Scripturae,* nam ad nostrum testimonium alludens Paulus ait: *Deus pacis conterat* SATANAM *sub pedibus vestris* [53]. *c) Ex Patribus* qui cum EPIPH. communissime docent quod nostro testimonio « serpentem Deus alloquitur... et (illum) qui in serpente erat invidia flagrantem diabolum » [54]. SEMEN SERPENTIS SUNT PECCATA ET PECCATORES, nam in Scripturis et apud Patres diabolus exhibetur ut principium mali [55], et peccatores di-

---

[49] Sunt testimonia adhibita a PIO IX, quae non cadunt sub definitione, sed ex usu magnam auctoritatem mutuantur.

[50] Hoc constat *a)* ex contextu totius capitis, siquidem serpens fuit causa transgressionis legis, pro qua inflicta est poena (v. 1-6): *b)* ex verbis Evae quae serpentem de suo peccato incusavit (v. 13): *c)* ex applicatione poenae, quae distincte infligitur serpenti (v. 14-15), mulieri (v. 16) et Adamo (v. 17-19).

[51] Solum ens rationale poterat ratiocinari et ad malum inducere.

[52] In tentatione serpentis non haberi *mythum* sed *veritatem historicam* constat ex communi sensu Patrum et Ecclesiae (Vol. 2 n. 397).

[53] Rom. **16.** 20; Apoc. **12.** 9.

[54] EPIPH. *Haer.* 78 n. 19; JUSTIN. M. *Dial. c. Tryph.* n. 100; THEOPH. *Ad Autolyc.* II n. 28; IREN. *Adv. haer.* III. c. 22-3; IV c. 40; ORIG. in *Jerem.;* CYPR. *Test. adv. Judaeos,* II c. 9; EPHREM. in *Gen.* h. 1; BASIL. Hom. *Quod Deus;* AMBROS. *De Parad.* c. 15; HIER., *Quaes. hebr.* in h. 1; AUG. in *Gen. ad Litt.* XI c. 35 n. 48; PRUD. *Hymn.* ante cibum; CHRYS. in *Gen.* hom. 17; LEO M. in *Nativ. D.* serm. 4 c. 1; THEOD. in *Gen.* q. 34; GREG. M., *Moral* XXI c. 2; BEDA, *Hexaem.* 1 etc.

[55] Luc. **8.** 12; Joan. **13.** 12; 1 Petr. **5.** 8; Apoc. **20.** 9 etc. Quoad *Patres* vide Vol. 2, n. 536, 541.

cuntur *filii diabuli*[56]; in contextu vero diabolus est causa peccati originalis. SEMEN MULIERIS EST CHRISTUS, nam testimonium agit de illo qui destructurus erat diabolum et peccatum, hic autem est Christus qui *principem hujus mundi ejecit foras*[57], qui *delevit chirographum decreti quod erat contrarium nobis*[58], qui *sua obeditione justos constituit multos*[59], *nec est in aliquo alio salus*[60]. MULIER EST B. V., *a)* quia ipsa est mater Christi[61] : *b)* quia mulier promissa erat futura *(ponam)* et victrix diaboli, Eva autem erat praesens et a diabolo superata : *c)* quia in Scripturis, excepta B. V., Christus non dicitur semen mulierum *(Sarae, Rebeccae, Bersabeae),* sed virorum *(Abraham, Isaac, Jacob,* etc.)[62] : *d)* accedit proprietas locutionis, siquidem, si in nomine *filii hominis* adumbratur Christi divinitas[63], in nomine *seminis mulieris* innuitur partus virgineus, qui non fuit Evae sed Mariae. *e)* Hinc Patres unanimiter « docuere, divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse... Unigenitum Dei Filium ac designatam ejus matrem V. M. »[64]. **Prob. min.** Mariam adsociari Christo in pugna et victoria, constat ex part. *et,* qua mulier conjungitur suo semini in tota lucta et triumpho de serpente et semine ejus. Unde vides non esse paritatem inter mulierem (Mariam) et ceteros justos, qui comprehenduntur nomine seminis collective sumpti; hi enim participant de triumpho Christi prout gratiâ ei uniuntur, quod libere ac proinde contingenter habent[65]; Maria est particeps victoriae Christi titulo divinae promissionis, qua *mulier* prius destinata, dein effecta mater Christi : quia ergo *promissio Dei* et ratio *determinatae mulieris*

---

[56] Matth. **13**. 39; Joan. **6**. 71; **8**. 44; Act. **13**. 10; 1 Joan. **3**. 8; 10, etc.

[57] Joan. **12**. 31.

[58] Colos. **2**. 24.

[59] Rom. **5**. 19.

[60] Act. **4**. 12.

[61] Etiamsi *semen mulieris* sumatur *collective* Maria est mater ejus; Eva enim nec physice nec moraliter est mater *justorum.*

[62] Isai. **7**. 14; Jerem. **31**. 32; Galat. **4**. 4, etc.

[63] Supra n. 4.

[64] PIUS IX Bulla *Ineffabilis.* Cf. JUST. M. *Dial. c. Tryph.* n. 100; IREN. *Adv. haer.* III, c. 22-3; V. c. 21; Pseud ORIG. hom. 1 ex *decem in Matth. et Joan.;* CYPR. *Test. adv. Judaeos,* n. 9; GREG. Neoc. *in Deip.* or 1; EPIPH. *Haer.* 88 n. 18; CYRIL. Hier. *Catech.* 12 n. 16; AMPHIL. or. *in Chr. nativ.* n. 4; CHRYS. in *Gen.* hom. 18 n. 7; in *S. Pascha,* n. 2; AUG. *De Adam et Eva,* serm. 1 n. 3, etc. *apud Palmieri,* p. 304 sqq.

[65] Scil. quousque justi gratia incorporantur Christo, vincunt diabolum; statim ac peccato ab eo recedunt, a diabulo vincuntur.

sunt independentes a contingenti voluntate B. V. vel aliorum, etiam conjunctio B. V. cum Christo in pugna et victoria nulla humana voluntate poterat frustrari. **Conclusio decl.** Nam *a)* Maria adsociatur Christo in lucta *rationali* et *absoluta,* quam proprie exprimunt verba אֵיבָה אָשִׁית (*ebah ascit* = inimicitias ponam)[66]; si ergo inimicus est diabolus et peccatum maxime originale (quo serpentis semen coepit), profecto B. V. numquam, ne in conceptione quidem, fuit cum peccato maxime originali. *b)* Item, si B. V. cum filio suo caput serpentis contrivit seu destruxit diabolum, non secus ac Christus, nullum damnum morale seu peccatum mutuata est ab eo. **Confirmatur** totum argumentum. Nam, ut post JUST. M., IREN. et TERT. notat BILLOT[67], in Gen. **3.** 15 Deus damnat diabolum quadam *retorsione,* initium reparationis sumens a muliere, sicut serpens opus ruinae inceperat a muliere, secundum illud FULG.: « ibi femina decepta est ut fieret filia diaboli; hic virgo gratia repleta est, ut fieret mater summi atque incommutabilis Unigeniti Dei »[68]: atqui retorsio seu processus contrarius supponit proportionem inter extrema, quae ordine inverso comparantur: ergo conditio Evae post peccatum fuit opposita conditioni Mariae, non secus ac status Adami post peccatum fuit contrarius statui Christi: atqui status oppositus peccato originali est status originalis justitiae, in quo profecto conditus est Christus: ergo[69].

226. **Secunda pars.** *Conceptio immaculata B. V. M. innuitur verbis Gabrielis: Ave gratia plena*[70]. Non diffitemur PLENITUDINIS rationem aliquando sumi de qualibet *magna copia* bonorum[71], ac dici etiam *respective* ad officium, circumstantias et praelationem[72]; sed tunc sumitur sensu largo et improprio; presse enim exhibet omnimodam boni possessionem, saltem juxta subjecti capacitatem. Jamvero cum Maria dicitur *plena gratiâ,* plenitudo sumiturne sensu

---

[66] Cf. PALMIERI, p. 315.

[67] BILLOT, th. 39, pag. 337 sqq.; JUST. M. *Dial. c. Tryph.* n. 100; IREN. *Adv. haer.* III, c. 22; TERT. *De Carne Chr.* c. 17. Addi potest FULG. *De Fide ad Petr.* n. 17-8.

[68] FULG. *l. c.*

[69] Cf. n. 230 sqq. solutionem difficultatum.

[70] Luc. **1.** 28.

[71] V. g. eximius sapiens dicitur *plenus sapientia* et valde dives *plenus divitiis.*

[72] Sic Elisabeth dicitur *plena Spiritu S.* (Luc. **1.** 41) et Stephanus *plenus fide* (Act. **6.** 5), *fortitudine* (v. 8) et *Spiritu S.* (**7.** 55).

proprio vel improprio? A priori responderi nequit; sed si attenditur dignitas matris Dei, si consideratur solemnitas, qua B. V. ab Angelo Dei nomine est salutata, et praecipue si perpenditur sensus Patrum qui viderunt in illis verbis B. V. declaratam « omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustum, adeo ut numquam maledicto obnoxia (fuerit), et una cum Filio perpetuae benedictionis (extiterit) particeps » [73]; eligendus sane est sensus proprius, quo gratia B. V. effertur perfecta quoad omnes modos, quoad omnia tempora, et quoad omnes circumstantias et operationes vitae; hoc autem non esset si ab ipso conceptionis momento non fuisset sancta et immaculata.

THES. 28. *Immaculata conceptio B. V. probatur Traditione.*

227. **Argum.** [74]. Dogma immaculatae conceptionis B. V. professi sunt Patres EXPLICITE, si dixerunt eam *a)* fuisse innocentem sicut Evam, *b)* nihil habuisse damnationis Evae et infectionis serpentis, sed *c)* excepta ab universali fermento, naturâ extitisse formosam, et *d)* a sua creatione gratiam accepisse; IMPLICITE vero idem dogma docuerunt, si sanctitatem B. V. exposuerunt, *e)* positive de justitia *perenni, f)* negative de immunitate *a quovis peccato, g)* comparative de puritate *majori* ipsis sanctificatis in utero matris et angelis : atqui his omnibus modis Patres de puritate et sanctitate B. V. locuti sunt : ergo. **Prob. maj.** *per partes.* — *a)* Nam Eva fuit innocens tantum *ante peccatum originale;* Evae ergo innocenti comparari tantum potest qui fuit immunis ab omni culpa maxime originali. — *b)* Quia effectus non solum denominatur a causa proxima, sed etiam a remota et a circumstantiis; hoc autem modo peccatum originale dicitur *damnatio Evae* et *infectio serpentis,* quia Eva, seducta a serpente, ad peccatum traxit Adamum. — *c)* Quia AUG. homines infectos originali culpa dicit *massam perditionis* [75],

---

[73] PIUS IX Bulla *Ineffabilis.*

[74] In Scriptura et apud Patres immaculata conceptio est pars integralis dogmatis comprehensioris, quo effertur plenitudo sanctitatis B. V. et ejus exemptio ab omni culpa etiam actuali; cum ergo Patres expresse non loquantur de conceptione, argumentum non deducimus ex voce *immaculata,* quae posset explicari de partu virgineo et de perfecta sanctitate, sed ex contextu et ex circumstantiis.

[75] Homines « in unam perditionis concreverant massam ab origine ducta causa communis » AUG. *Ench.* c. 99.

APOST. vero describit *peccatum* (τὴν ἁμαρτίαν) ut corrumpens mundum [76], et eos, qui originale contraxerunt, vocat *naturâ filios irae* [77]. — *d)* Quia originale consistit in *privatione gratiae,* unde qui illud contraxit non fuit in gratia a creatione, sed dein tantum accepit. — *e), f), g).* Quia peccatum originale est *verum* peccatum, quod *omnibus* inest, et a quo meliori modo quam sanctificatione in utero matris non liberatur, nisi qui praeservatur ab omni culpa. **Prob. min.** *per partes.* Nam Patres docent — *a)* quod Maria et Eva fuerunt « *duae innocentes,* duae simplices, siquidem *prorsus aequales* factae erant » [78]; Maria enim fuit « omni ex parte simillima *originalis venustatis* repraesentatio » [79]: — *b)* quod B. V. « neque persuasione *serpentis* decepta est, neque ejus affatibus venenosis infecta » [80]; imo « Evae *maledictio* in benedictionem conversa est Mariae » [81]: — *c)* quod « *universali fermento* non est fermentata » [82], sed, effecta de *ligno incorruptibili* et de *terra virgine* atque *immaculata* [83], extitit « formosa *per naturam* » [84], « quia ipsa *conditio nascendi* solvitur (in ea) gratia renascendi » [85]: — *d)* quod in ea « natura gratiae germen *antevertere non est ausa* » [86], sed, « oppignorata Christo in utero *cum fieret* » [87], B. V. accepit « gratiam originalem » [88] et « praeoccupata gratia » [89], « *non contraxit,* in utero sanctificata, peccatum originale » [90]. Quod si ad testimonia INDIRECTA animum convertimus, habemus quod Patres — *e)* describentes sanctitatem B. V., *forma positiva* dicunt fuisse « *thronum sanctum,* quem sibi Deus praeparavit » [91], « filiam vitae » [92], « germen *semper* viride, *semper* floridum » [93], « imma-

---

[76] Rom. **5.** 12.

[77] Ephes. **2.** 3.

[78] EPHR. *Opera Syr.* II, p. 327. Cf. quae de antithesi inter Evam peccatricem et Mariam diximus n. 225 ex JUST. M., IREN., TERTUL. et FULG.

[79] EPHR. *Oper. Gyr. II,* p. 530.

[80] ORIG. Hom. *in diversis;* AMBR. (?) *Sylloge* hym. I, 34.

[81] AUG. *De Sanctis,* serm. 118; HIER. (?) *De an. B. V.;* THEOD. ANCYR. *In S. Deip.* hom. 6.

[82] ANDR. Cret. *Or. De Nat. S. M.*

[83] HIPPOL. *apud Theod.,* Dial. 1; AUCT. *Epist martyr.* S. And.; PROCUL. serm. *De Nat. Dom.*

[84] GEORG. *Nicom.* Or. *De Nat. Deip.;* EPHR. *De Laud. S. M. Deip.*

[85] AUG. Opus imp. *C. Jul.* IV, n. 122.

[86] DAMASC. In *Nat. B. V.*

[87] P. CHRYS. *Serm.* 140.

[88] MAXIM. Taur. Hom. 5 *ante Nat. Dom.*

[89] SOPHR. *In Deip. ann.*

[90] PASCH. Radb. *De partu Virg.*

[91] LIT. GRAEC. in *men.* 8 sept.

[92] DIONYS. Alex. *Adv. Paul. Sam.*

[93] ANDR. Cret. Or. *De nat. S. M. V.*

culatum *purissimumque* palatium »[94]; *forma negativa* « non fuisse in tenebris sed semper in luce »[95], « virginem impollutam, celebratam propter *innocentiam...*, *agnam immaculatam* »[96], imo « *totam* immaculatam, *totam* illibatam, *totam* intemeratam, *totam* incontaminatam »[97], « ab omni contagione liberam »[98], « numquam a Deo sejunctam»[99], « in qua numquam dominatum est peccatum »[100], « ideo immaculatam, quia in nullo corruptam »[101], de qua « nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volunt quaestionem »[102]: *forma* tandem *comparativa,* sic supra sanctos exaltant puritatem B. V., ut Baptista ipse, licet in utero sanctificatus, dici non possit purus, sed B. V. sit « *sola* pura *solaque* sine macula »[103], « *sola* filia vitae »[104], « *sola* sancta »[105], sic pura ut « ipsorum coelestium spirituum nitidissimam puritatem immenso intervallo superet »[106], nitens « ea puritate qua *major sub Deo nequit intelligi* »[107]; unde Christus et Maria « *soli* sunt, qui *omnino omni ex parte pulchri* sunt... (et) sine labe »[108].

THES. 29. *Immaculata conceptio B. V. confirmatur — 1 heterodoxorum consensu et — 2 congruentiis rationis.*

228. **Prima pars.** *Etiam haeretici dogma immaculatae conceptionis fassi sunt.* Ut taceamus de PELAGIO et JULIANO relatis ab AUG.[109]; de SECTIS ORIENTALIBUS extat documentum *Besson* S. J. († 1691) qui, congregatis tribus patriarchis cum episcopo illarum ecclesiarum, ipsis consentientibus et documentum subscribentibus, producere potuit ex vetustissimis liturgiis 200 testimonia quae evin-

---

[94] GERM. In *praes. Deip.*
[95] HIER. in Ps. **72.**
[96] THARAS., *De praes. Deip.*
[97] EPHR. *Or. in Deip.*
[98] SOPHRON. *epist. synod.;* JOSEPH hymnogr. in *men.*
[99] LITURG. GRAEC. *men.* 14 Dec.
[100] LITURG. SYR. in festo *Nativ.;* LITURG. COPT. in *Theotoc.*
[101] HIER. *De an. B. V. M.*
[102] AUG. *De nat. et grat.* n. 36.
[103] DAMASC. in *Ass. B. V.*
[104] MODEST. *De dorm. M.*
[105] RABULA apud *Overbeck,* p. 362.
[106] GERM. *In Ann. B. V.,* n. 24.
[107] ANSELM. *De conc. Virg.*
[108] EPHREM, *Carm. Nisib.* edit. Bickell, p. 122; AUG. *serm.* 195, n. 2. Cf. PALMIERI, *th.* 21, p. 244 sqq.; PESCH, n. 304 sqq. *NB.* Patres quos citavimus sic chronologice ordinantur: saec. **2.** *Just. M.* et *Iren.;* saec. **3.** *Hippol., Tertul., Orig., Dionys.* Alex., *Auct. ep. de mart. S. Andr.* (alii tribuunt saec. 5); saec. **4.** *Ephrem, Ambr., Epiph.;* saec. **5.** *Hieron., Aug., Procul., Chrysol., Maxim.* Taur., *Gennad., Rabula, Theod.;* saec. **8.** *Andrea* Cret., *German., Damasc., Modest.* et *Tharas.;* saec. **9.** *Pasch.* Radb.
[109] Cf. PESCH n. 305.

cunt Ecclesias omnes orientales agnovisse immaculatam conceptionem B. V. [110]. Consensum ECCLESIAE RUSSIACAE ostendit *Gagarin* [111]. Quoad SECTAS PROTESTANTES, *Lutherus* tribuit B. V. statum medium inter sanctitatem Christi et corruptionem nostram : Ille, dicit, fuit purus in anima et in corpore, nos sumus corrupti in utroque, B. V. extitit corrupta quoad corpus [112], immaculata quoad animam [113]. MAHUMETANI legunt in *Korano :* « Angeli Mariae dixerunt : Deus te elegit, te *ab omni macula liberam fecit* » [114].

229. **Secunda pars.** *Immaculata conceptio suadetur rationibus theologicis.* Praecipua argumenta desumuntur *a)* ex dignitate divinae maternitatis, *b)* ex relatione typica Adami ad Christum, *c)* ex perfectione redemptionis. *Primum argum.* proponit PIUS IX : « Decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipso originalis culpae labe plane immunis, amplissimum de antiquo serpente triumphum referret *tam venerabilis mater,* cui Deus *Pater* unicum Filium suum... dare disposuit... ; quam ipse *Filius* substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua *Spiritus S...* voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit » [115]. Profecto *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* [116], et qui typicam arcam V. T. aedificari praecepit de ligno incorruptibili, intus et foris deauratam, convenientissime arcam N. T. concupiscentiae fomitis et originalis culpae expertem esse voluit coelestibusque gratiae donis undequaque fulgentem. *Secundum argum.* sumitur ex ANDREA AP. : « Quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus..., necessarium fuit ut de immaculata Virgine nasceretur perfectus homo Dei filius » [117]. *Tertium argum.* exhibetur a SCOTO. « Perfectissimus mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personae pro qua mediat. Sed Christus est perfectissimus mediator. Ergo Christus habuit perfectissimum actum mediandi respectu alicujus creaturae sive personae, respectu cujus erat mediator. Sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum, quam

---

[110] *Civiltà Catt.* 1876, f. 635, p. 541.

[111] GAGARIN *L'Église Russe et l'Immaculée Conception.* Parisiis, 1876.

[112] Forte loquitur de *debito.*

[113] Arguebat ex Luc. **1.** 28 et ex convenientia quod esset sine peccato mater victoris peccati. LUTH. Oper. XI, p. 2616, ed. Wach Halle 1745.

[114] KORAN. III, 37.

[115] PIUS IX Bulla *Ineffabilis.*

[116] Ps. **45.** 5 ; Prov. **9.** 1.

[117] ANON. *Epist. de mart. S. Andr.* Migne II, c. 1226.

respectu Mariae. Igitur etc. Sed hoc non esset, nisi meruisset eam praeservare a peccato originali »[118]. CONFIRMATUR. Nam, ut Halensis docet, « quod potuit ei (B. V.) boni conferri, est ei collatum »[119] : atqui immaculata conceptio nullo modo implicat : ergo.

230. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Gen. **3.** 15 nequit proponi dogma immaculatae conceptionis, quia revelatio procedit a confusa notione Salvatoris ad clariorem modum redemptionis; conceptio vero immaculata ultimas explicationes oeconomiae salutis respicit. **Resp.** Damus providentiam supernaturalem imitari naturalem et veluti per gradus procedere; sed quid respondeat huic progressui, a priori statui nequit. Nonne decebat Corredemptricem annuntiari cum Redemptore et quidem in absoluta victoria de serpente? Ceterum in manifestatione privilegiorum Mariae fuit progressus; tunc enim in confuso praedicta sunt divina maternitas, partus virgineus, immaculata conceptio, praeservatio a quovis actuali peccato, plenitudo gratiae, resurrectio et assumptio, quae dein novis revelationibus, traditione et definitionibus Ecclesiae clarius innotuerunt.

231. **Objic. 2.** In textu originali non est B. V. *(ipsa),* sed Christus (*ipsum* = semen) qui serpentis caput conterit : ergo ex Gen. **3.** 15 nil concluditur. **Resp.** Concedimus hebr. הוּא *(hu = ipse)* referri ad Christum, siquidem etiam suffixum verbi *conteret* est masculinum, sed negamus inde infirmari nostram demonstrationem; non enim arguimus ex genere pronominis *(ipsa),* sed ex unione B. V. cum Christo in pugna et victoria .

232. **Objic. 3.** Mulier, de qua loquitur Deus, non est Maria sed Eva, siquidem *a)* nomen הָאִשָּׁה *(haisscia = mulier)* habet art. הָ *(ha = la)* revocantem mulierem notam, et in contextu tali nomine expressam, *b)* quae sit mater totius generis humani designati nomine collectivo *seminis, c)* sicut perditio multorum, praedicta in contritionem calcanei, exigit : atqui... : ergo[120]. **Resp.** *a) Articulus* הָ signat quidem determinatam personam, sed non necessario praedictam et auditoribus notam, ut patet ex Isaia[121] qui Virginem parturientem dixit הָעַלְמָה *(haalmah = la vergine)* cum eodem art. הָ. Porro identitas nominis, quo Eva

[118] SCOT. *III Sent.* D. 3. q. 1, a. 4.

[119] HALENS. *Sum Theol.* 3 p. q. 9. m. 2.

[120] HUM. in *Gen.* p. 161, 162, 165; qui tamen p. 166-7 concedit indirecte ex Gen. **3.** 15 probari immaculatam conceptionem B. V.

[121] Isai. **7.** 14.

et mater Christi designantur, non eo tendit ut identificentur personae [122], sed ut innuatur ratio typica Evae ad Mariam [123] et declaretur perfecta eversio diaboli, qui sicut per mulierem vicerat, ita per mulierem vinci debebat [124]. *b) Semen* est quidem nomen collectivum, sed in Scripturis nonnumquam sumitur de individuo [125], in Gen. vero, si collective accipiatur, non est explicandum de genere humano, sed de corpore mystico Christi. scil. de *Ecclesia,* ut textus exigit et Patres explicant [126]. *c)* Absurdissime vero *contritio calcanei* exponitur de reproborum damnatione, quae victoriam potius quam cladem diaboli exhiberet; significat potius *mortem Christi* [127], cui in doloribus adsociata est Maria [128].

233. **Objic. 4.** Apostolus omnes in Adamo peccasse dicit [129]: ergo etiam B. V. originale contraxit. **Resp.** Si quis attente considerat testimonium Apostoli, potius de *debito* quam de *facto* agere videt; loquitur enim de peccato quod in mundum (h. e. in *genus humanum*) intravit, quando nondum erant Adae filii. Quod si dein concludit *omnes peccasse,* responderi debet legem, utut universalem, exceptiones pati posse. Sicut ergo ex Apostolo arguente peccatum ex morte, non sequitur Christum peccasse; ita ex lege peccati non sequitur B. V. neque *ex privilegio* potuisse ab originali preservari. Nonne ESTHER, B. V. typus, uti *hebraea* poenae mortis ab Assuero comminatae *jure* subjiciebatur, et tamen ut *sponsa regis,* ab applicatione legis *de facto* erat exempta? [130] Etiam

---

[122] Attendas Evam dici *mulierem* in parte narrativa, B. V. in parte judiciali; porro confundi nequit mulier triumphatrix cum lapsa.

[123] Hinc B. V. per antonomasiam vocata est *mulier* (Joan. **2.** 4; **19.** 26; Gal. **4.** 4), sicut Christus dictus est secundus *homo* seu alter *Adam* (Rom. **5.** 14; 1 Corinth. **15,** 45).

[124] Cf. BILLOT, p. 335-6.

[125] Gen. **4.** 25; 1 Reg. **1.** 11; 2 Reg. **6.** 12.

[126] PATRIZI, *apud Palmieri,* p. 313; CORNELY *in Gal.* p. 497. — *NB.* HUM., qui accurate collegit Patres, ne *unum* quidem adducere potuit explicantem semen mulieris de universa *Evae posteritate:* sed alii (CYPR. *Test. c. Jud.* II, 9; EPIPH. *Adv. haer.* III, 2, 18 sqq.; GERM. et BERN. *apud Pesch* n. 302) exclusive, alii (JUST. M. *C. Tryph.* n. 100; IREN. *Adv. haer.* III, c. 23; IV, c. 40) principalius exponunt de persona *Christi;* qui vero semen collective sumunt, explicant de universitate *justorum* (EPHR. *Attende tibi,* c. 11; AMBR. *De fuga saec.* n. 43; CHRYS., *in Gen.* hom. 17; or. *in S. Pascha*), sive *sensu consequenti* prout, quae sunt Christi sunt etiam Ecclesiae (BILLOT, p. 333 in nota), sive *per extensionem,* prout proprietates unius per analogiam de aliis efferuntur (PALMIERI, p. 311).

[127] *Calcaneum,* infima hominis pars, exprimit naturam humanam in qua Christus contradictiones, et mortem a peccatoribus sustinuit.

[128] PALMIERI, p. 314.

[129] Rom. **5.** 12.

[130] Esther **15.** 13.

B. V. ergo uti *filia Adae* legi peccati subjiciebatur, sed quia *mater Domini* peccatum non contraxit.

234. **Objic. 5.** Patres *a) unum* Christum excipiunt a lege peccati, quia de *virgine* conceptum; *b)* carnem B. V. vocant *carnem peccati;* et *c)* peccatum originale extendunt ad *omnes* qui a Christo sunt redempti: ergo. **Resp.** Etsi forte non omnes Patres [131], maxime qui pugnarunt contra Pelagianos, ab errore excusari possint, plures tamen injuste adducuntur [132]. Ad rationes ex Patribus desumptas respondemus *a)* quod aliter se habent Christus et Maria respectu culpae originalis; ille, quia de *virgine* conceptus, non fuit in virtute Adae, unde nec *debitum* peccati contraxit; haec, utpote filia naturalis Adami, debitum peccati habuit et intuitu tantum meritorum Christi ab ipso peccato est praeservata. — *b)* Caro B. V. non dicitur *caro peccati,* quia fuit in peccato, sed quia est caro humana, quo sensu etiam caro Christi nonnumquam dicitur caro peccati [133]. — *c) Universalitas* redemptionis Christi non obstat immaculatae conceptioni, quia B. V. habuit debitum peccati, unde est redempta gratia *praeservationis* [134].

235. **Objic. 6.** ANSEL. et BERN. cum theologorum principibus THOM. et BONAV. immaculatam conceptionem non agnoverunt: ergo. **Resp.** Plures negant *assertum,* dicentes citatos auctores locutos esse de debito peccati [135]; nos concedimus assertum [136], sed negamus *consequentiam.* Charisma infallibilitatis non est praerogativa theologorum, sed Ecclesiae et R. P.; nec sine speciali divinae providentiae dispositione contingisse putamus, ut contra communem fere Ecclesiae et fidelium sententiam insurgerent aliqui sancti et eximii theologi; sic enim *a)* demonstrata est necessitas magisterii infallibilis, quod Christus in Ecclesia instituit, *b)* dogma, periculo superato, firmatum est, et *c)* in perfecta harmonia cum incarnationis fine et universalitate redemptionis apparuit.

ART. 2 - DE EXIMIA B. V. SANCTITATE.

236. **De quibus agendum.** Sanctitatem Christi distinximus in *negativam* qua nullum peccatum commisit, et *positivam* qua sanctificatus est gratia *unionis, singulari,* et *capitis:* etiam in B. V. considerabimus

---

[131] PETAV. *De Inc.* XIV, c. 2, nimis incusat; PALM. p. 226 omnes defendit.

[132] Cf. JANSSENS, VI, p. 85 sqq.

[133] TERTUL., *De Carne Chr.* n. 16; HIL., *De Trin.* I, n. 13; GREG. Naz., *or.* 51 n. 8; PROCUL., *or.* 4 n. 14.

[134] Supra n. 221.

[135] PALM. *De pecc. orig.* p. 287 et sqq.; C. MAZZELLA, *De Deo Creante,* n.1120 sqq.; HURTER, n. 644 sqq.; J. BERTHIER, O. P. *L' Étude de la Som. théol.,* p. 399-462; REVUE AUGUST., VIII, p. 158, etc.

[136] Supra n. 219.

sanctitatem *negativam* qua ab omni peccato fuit immunis, et *positivam* qua plenitudine gratiarum super omnes sanctos refulsit.

237. **Quae B. V. sanctitatis negativae radix.** Aliter explicanda est impeccabilitas Christi et B. V. : Christus fuit absolute impeccabilis *ab intrinseco* ex divina persona cujus erant actus humanae naturae, et ex beatifica visione quam physica impotentia peccandi sequitur [1] : B. V. *ab intrinseco* habebat ut non peccaret venialiter, *ab extrinseco* ut a mortalibus praeservaretur. Impossibilitas peccandi venialiter erat *intrinseca* [2], quia fundabatur in dono integritatis [3]; impossibilitas peccandi mortaliter erat *extrinseca*, quia si proxime radicabatur in magnitudine *amoris*, quo B. V. supra Seraphim diligebat Deum, ultimo proveniebat *ex providentia Dei*, qui Mariam eligendo ad dignitatem Matris suae, quam profecto dedecent peccata, ei gratias efficaces pro omni vitae discrimine praeparaverat [4].

238. **Quae B. V. M. sanctitas positiva.** Si PERFECTIONEM attendas, B. V. habuit omnes *virtutes theologales*, omnia *dona* Spiritus S. et omnes *virtutes morales*, exceptis tamen (saltem quoad actum) illis quae in subjecto imperfectionem subaudiunt, ut poenitentia et continentia stricte sumptae [5]. *Gratias* quoque *gratis datas* omnes accepit, sed non habuit (saltem ante mortem Christi) usum miraculorum, quia miracula, maxime in Ecclesiae initio, ordinabantur ad confirmationem fidei, unde ad illos spectabant qui fidem publice docere debebant, scil. ad Christum et ad Apostolos « qui erant bajuli doctrinae Christi » [6]. Accedunt *privilegia* plurima, ut divina maternitas, partus virgineus, immaculata conceptio, immunitas a fomite concupiscentiae et a peccatis venialibus, dignitas corredemptricis et gloriosa assumptio. Quoad INTENSITATEM gratiae sanctificantis certum est B. V. in fine vitae excessisse sanctos et angelos omnes, non solum singillatim inspectos, sed etiam simul consideratos [7]; an vero hanc plenitudinem gratiae supra omnes sanctos habuerit in conceptione, non aeque est certum, licet probabiliter possit suaderi ex officio matris Domini ad quod statim est electa [8].

---

[1] Supra n. 147.

[2] An dicenda sit *physica* vel *moralis* disputant auctores. Cf. MAZZELLA, *De Gratia*, n. 351.

[3] S. THOM. 1 p. q. 95 a. 2; *De Verit.* q. 28 a. 3.

[4] LÉPICIER, p. 152 sqq.

[5] Supra n. 153, *n. 26*.

[6] S. THOM. 3 p. q. 27 a. 5 ad 3.

[7] Cf. BERN., *De Virg. Deip.* serm. 3 n. 12 aliosque Patres adducendos in thesi; S. THOM. *IV Dist.* 30 q. 2 a. 2 sol. 1; BONAV. *Spec.* c. 3; VEGA, *Theol. Mar.* Pal. 11 et 16; SUAREZ, in 3 p. q. 28 a. 4 Disp. 18 sect. 14 n. 8; LÉPICIER, p. 184; JANSSENS, p. 175-8.

[8] BILLOT., th. 40 p. 350; JANSSENS, p. 179; BERGAM., *Vita di Mar. SS.*, I, p. 147. — LÉPICIER negat de sanctis simul sumptis, concedit de singulis p. 165 sqq.

Cum vero B. V. non esset in termino sed in via, non accepit plenitudinem suae gratiae in primo momento conceptionis, sed etiam post incarnationem Verbi *in gratia profecit* [9]; imo, si damus B. V. habuisse scientiam infusam, dicendum est, non secus a sole, qui usque ad meridiem vividiores semper emittit radios, sine intermissione die noctuque usque ad mortem multiplicasse merita et gratiam [10]. Sicut autem B. V. assimilata est Filio suo in *gratia singulari,* ita et in *gratia capitis;* non eo sensu quod fuerit constituta primum principium derivationis gratiae, sed quia super omnes refulgens splendoribus sanctitatis, angelos illuminat, et facta est nobis aquaeductus gratiarum omnium [11].

239. **Errores — Veritas.** *Sanctitatem* B. V. negarunt PAULICIANI [12], *intrinsecam justificationem* non agnoverunt REFORMATORES [13], *immunitatem a venialibus* impugnarunt ORIG., TERTUL., BASIL., CYRIL. Alex., CHRYS., TEOPHIL., EUTHYM. [14]. **Veritas.** *Sanctitas* B. V. continetur in dogmate de immaculata conceptione, in fide de coelesti ejus gloria, et in aperta traditione : *immunitas a peccatis venialibus* indirecte definita est in CONC. TRID. quod docuit venialia vitari non posse sine privilegio, « quemadmodum de B. V. tenet Ecclesia » [15].

THES. 30. *B. V. — 1 gratiam accepit prae omnibus splendidissimam, — 2 et immunis a quovis peccato etiam veniali extitit.*

240. **Prima pars.** *B. V. eximia gratia sanctificante ditata est.* **Ex Scripturis.** Nam GABRIEL B. V. salutavit gratia plenam [16], Patres vero unanimiter docent « hac singulari solemnique salutatione numquam alias audita, ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque Divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam » [17]. Revera « verbum χαριτοῦν forma sua et derivatione dicit aliquem *gratia ornare, locupletare,* cumulare, unde κεχαριτωμένη(est) *gratia cumulata* sive *plena* » [18]; porro « χάρις in N. T. dicit gratiam divinam, favorem, donum,

---

[9] PESCH, n. 590.

[10] LÉPICIER qui tamen, non agnoscens in B. V. scientiam infusam, negat meruisse in somno p. 183.

[11] Supra n. 213.

[12] HERGENR., III, p. 19.

[13] REFORMATORES, ut notum est, negant gratiam sanctificantem, justificationem ex sola fide repetentes.

[14] PETAV., *De Inc.,* XIV, c. 1; MAZZELLA, *De Grat.* n. 365 sqq.

[15] CONC. TRID. *sess.* VI, cn. 23.

[16] Luc. 1. 28.

[17] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*

[18] KNAB. *in Luc.* p. 60, ubi rem confirmat ex *Vet. Ital., Syriaca* et *Patribus graecis.*

beneficium a Deo datum : atque eo sensu hic quoque adhiberi, elucet ex eo quod Angelus, quasi explicans, mox subdit : *invenisti enim gratiam apud Deum* » [19]. CONFIRMATUR ex plenitudine pulchritudinis *Sponsae Christi,* quae est quidem Ecclesia, at prout perfectionis culmen attingit in Maria, de qua sensu accomodato, sed principali, explicantur eximiae CANTIC. laudes [20]. — **Patres** *a)* cum *absolute* considerant sanctitatem B. V., dicunt quod, « prius mente quam ventre concipiens » Filium Dei [21], fuit « forma virtutis » [22], « magnum deitatis templum » [23], « a pedibus usque ad caput benedicta » [24], tam « gratia plena, pura et immaculata » [25], ut ejus sanctitas dici possit aliquo sensu « immensa » [26] et « infinita » [27] ; quippe « in Mariam totius gratiae, quae in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter » [28] ; *b)* cum vero B. V. aliis sanctis *comparant,* docent quod « nemo ad tantum magnificentiae est evectus » [29], unde, « solo Deo excepto, cunctis superior extitit » [30], vere « sanctior sanctis et coelis excelsior, et cherubim gloriosior, et Seraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior » [31] ; unde comparatur monti in vertice montium, « quia altitudo Mariae super omnes sanctos refulsit » [32]. *c)* Rationes hujus incomparabilis sanctitatis Patres deducunt *ex incarnationis fine.* Maria siquidem est « Primogenita Redemptoris ; (unde) plus venit Christus pro Maria redimenda, quam pro omnibus aliis » [33] : *ex divina maternitate,* « quid (enim) nobilius Dei matre ! quid splendidius ea, quam splendor elegit ? [34] : *ex operibus,* siquidem « sicut incomparabile est quod gessit, et ineffabile donum quod percepit, ita et inaestimabile atque incomprehensibile praemium et gloria » [35]. — **Ex ratione.** Nam B. V. est mater Dei, divina autem maternitas

---

[19] KNAB., *l. c.*

[20] Cf. CORNELY, *Comp. Intr. in Sacr. Script.* Disp. V, § 16 n. 3.

[21] AUG. serm. 215 *in redd. sym.* n. 4.

[22] AMBR. *De Virg.,* II ; AUG. *Doct. Chr.* IV, c. 21 n. 48.

[23] P. CHRYS. serm. 144.

[24] DIONYS. Alex. C. *Paul. Samos.*

[25] THARAS. *De praes. Deip.*

[26] EPIPH. *De laud. Deip.*

[27] CHRYS. (?) VII hom. 44 apud *Petav.* De Inc. XIV c. 8 n. 6.

[28] HIER. (?) *De Assump. B. V. M.*

[29] SOPHR. in *Deip. Ann.*

[30] EPIPH. *De laud. S. M. Deip.*

[31] GERM. in *Praes. Deip.;* GREG. Naz. (?) *De Chr. pat.;* BASIL. Seleuc. R. 39 in *Deip Ann.;* DAMASC. in *Cant.;* ILDEPH. *De assum.* serm. 2 ; ANSELM. *De excel. B. M.* c. 9.

[32] GREG. M. Exp. in *I Reg.* c. 1.

[33] BERNARD. serm. 51 c. 3 ; GERMAN. in *praes. Deip.*

[34] AMBR. *De Virg.,* II ; BASIL. Seleuc. apud *Petav.* XIV, c. 8, n. 3.

[35] ILDEPH. *De assump.* ser. 2 et 3.

« includit exigentiam gratiae » [36]. Profecto « quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii... Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter... B. autem V. M. propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere » [37].

241. **Secunda pars.** *B. V. M. ab omni vel levi peccato fuit immunis.* **Ex Scripturis** adduci possunt duo testimonia allata pro thesi de immaculata conceptione. In *primo* enim Maria conjungitur Christo in perpetuis inimicitiis et plena victoria de serpente ejusque semine, ita ut semper extiterit ex adverso daemonis et peccati : atqui peccato mortali fit transitus ad castra daemonis, veniali a Christo deflectitur : ergo. In *altero* Maria est plena gratia, cujus proinde *fervore* numquam privata est : atqui gratia contradicit peccato mortali, *fervor* caritatis veniali : ergo. Addi potest CANTIC. ubi celebratur omnimoda puritas Sponsae Christi [38]; in Maria enim, ut jam diximus, tota Ecclesiae pulchritudo refulsit. — **Ex Patribus** adduci possunt quos audivimus praedicare B. V. *agnam immaculatam, totam illibatam, numquam a Deo sejunctam, ab omni contagione liberam,* in qua *numquam dominatum est peccatum* [39]; haec enim testimonia non probant tantum immunitatem a peccato originali, sed a quovis actuali. In particulari CYPR. ait : A « ceteris (B. V.) plurimum differebat, quibus natura communicabat non culpa » [40]; et AUG. : Nullam prorsus, de B. V. « cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem » [41]. AMBR. puritatem Mariae per singula describens inquit : « Erat virgo non solum corpore, sed mente... Nihil *torvum* in oculis, nihil in *verbis procax,* nihil in *actu inverecundum.* Non *gestus* fractior, non *incessus* solutior, non *vox* petulantior : ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis » [42]. BERN. hujusmodi puritatem deducit ex plenitudine benedictionis, qua « vitam ab omni peccato custodivit immunem » [43]. DAMASC. ex divina maternitate qua, facta sacrarium totius divinitatis, locum non habuit ubi vitium consisteret [44]. FULG.

[36] PESCH, n. 578.
[37] S. THOM. 3 p. q. 27 a. 5.
[38] *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Cant. **4**. 7.
[39] Supra n. 227.
[40] CYPR. Serm. *De Nativ. Chr.*
[41] AUG. *De nat. et grat.* c. 36, n. 42.
[42] AMBR. *De Virg.,* II sub init.
[43] BERNARD. epist. ad *canon. Lugd.*
[44] DAMASC. in *Nativ. B. V. M.* n. 4.

puritatem animae B. V. comparat cum integritate suae virginitatis, quae profecto absolutissima fuit[45]; et ILDEPH. cum arca V. T... « supra quam propitiatorium et Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur, quia Mariae nullum extrinsecus obrepsit peccati contagium, sed intus omnis custodia legis et manna fuit » [46]. — **Ratio** sic proponitur a S. THOM. : « B. V. fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei; et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit...; non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando *a)* tum quia honor parentum redundat in prolem... *b)* tum quia singularem habuit affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepit... : *c)* tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero; dicitur autem : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* [47]. Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. V. nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale » [48].

ART. 3 - DE PERPETUA S. DEIGENITRICIS VIRGINITATE.

242. **Quae virginitatis ratio.** « Virginitas Mariae non intelligitur solum propositum mentis nihil admittendi quod cum virginitate pugnat, sed etiam *integritas corporis*. Quamquam autem fortasse dubitari potest in quo haec integritas virginalis consistat [1], theologo sufficit statuere nihil in B. V. defuisse quod ad eam requirebatur. Quare Patres dicunt Christum infantem e virgine sine lesione ejus exiisse, sicut postea juvenis clausis ostiis cubiculum intravit; Christi conceptione ac nativi-

[45] FULG. serm. *De dupl. Chr. nat.* n. 6.

[46] ILDEPH. *De ass. Deip.* serm. 1.

[47] Sap. 1. 4.

[48] S. THOM. 3 p. q. 27 a. 4. — *NB. a)* In annuntiatione B. V. non ex incredulitate, sed ex *prudentia* quaesivit de incarnationis modo : *b)* Christum non ex negligentia in templo amisit, vel ex ira improperavit inventum; sed ibi fuit mysterium quo Christus parentum solicitudinem et zelum gloriae Dei docere nos voluit, cujus mysterii intellectum B. V. *fidenter* quaesivit : *c)* ad nuptias in Cana non ex gloriae cupidine, sed ex *caritate* miraculum postulavit; Christus vero eam non exprobravit, sed miraculorum divinam originem, et efficaciam intercessionis M. V. verbis et opere ostendit : *d)* sub cruce de divinitate Christi non dubitavit, unde insipienter trasfixio animae, a Simeone praedicta, de infidelitatis peccato exponitur : exprimit enim *fortitudinem* et *caritatem* quibus B. V. commortua est Christo. Cf. BERNARD. serm. 52 *De 12 stellis.*; C. MAZZELLA, *De Gratia*, n. 365.

[1] PETAV. *De Incar.* XIV, c. 5.

tate non magis laesum esse Virginis corpus, quam mens laedatur concepto et expresso verbo, vel crystallum intrante vel exeunte radio lucis » [2].

243. **De virginitatis voto.** B. M. virginitatem vovisse communissime tenent theologi, interpretes et Patres [3] ex LUC.: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* [4], et quia « perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur; virginitas autem in Matre Dei praecipue debuit pollere » [5]. — Hujusmodi votum fuisse *absolutum* ex parte voluntatis certum est; sed contra paucos cum S. THOM. [6] teneri debet fuisse *conditionatum* ex parte termini, prout ex peculiari conditione V. T. sine revelatione B. V. scire non poterat an Deus aliter voluisset. — B. V. fuisse *primam* quae Deo suum corpus *voto* sacravit, merito docent AMBR., BEDA, et A. MAGN. [7], sed virginitatem praetulisse divinae maternitati, non concluditur ex responsione ad Angelum, qua B. V. divinam tantum voluntatem scire volebat, imo negandum videtur, quia divina maternitas abundantiorem gratiam affert, et quia sanctitas semper praefert quod Deo praeplacet [8].

244. **De matrimonio B. V. cum S. Josepho.** Multiplicem CONVENIENTIAM hujus matrimonii deducit S. THOM. ex parte *Christi,* ex parte *B. V.* et ex parte *nostra;* praecipuae vero rationes fuerunt ut *occultaretur Dei mysterium,* ut honori, vitae et alimento Deigenitricis *provideretur,* et ut ex testimonio Joseph virgineus partus B. V. *confirmaretur* [9]. — Hoc matrimonium non fuisse solum apparens sed VERUM, constat *ex veritate N. T.* quod ab omni specie hypocrisis refugit, *ex Scriptura* quae Joseph vocat *virum* Mariae et Mariam *uxorem* ejus [10], et ex *Patribus* cum AUG. dicentibus quod « omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi; proles, fides et sacramentum. *Prolem* cognoscimus ipsum D. J.; *fidem* quia nullum adulterium; *sacramentum* quia nullum divortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit » [11]. — De TEMPORE celebrationis quidam statuunt B. V. nupsisse

---

[2] PESCH, n. 598; FRANZ. p. 119 sqq.

[3] GREG. Nyss. or. *in Nat. Chr.;* HIER. ep. 48 *ad Pam.;* AMBR. *De inst. Virg.* c. 5 n. 35 sqq.; AUG. *De Sancta Virg.* c. 4; ILDEPH. *De assump.* serm. 5; BEDA, hom. *De fest. Ann.;* BERNARD. supra *Missus est* hom. 2 n. 1; serm. *De Assum. B. M. V.;* BENEDICTUS XIV, *De festo B. V. M.* c. 1, n. 7; KNAB. *in Luc.* p. 68 sqq.; PESCH, n. 609; JANSSENS, p. 312 sqq.; LÉPICIER, p. 376 sqq.

[4] Luc. 1. 34.

[5] S. THOM. 3 p. q. 28 a. 4.

[6] S. THOM. 3 p. q. 28 a. 4; JANSSENS, p. 314 sqq.

[7] Apud *Janssens,* p. 313.

[8] JANSSENS, p. 361-2.

[9] S. THOM. 3 p. q. 29 a. 1.

[10] Matth. 1. 19-20.

[11] AUG. *De nupt. et concup.* I, c. 2; *C. Faust.* XXIII, c. 8; HIER. in *Matth.* 1. 19-20; TERTUL. et EPIPH. apud *Janssens,* p. 332. *NB.* Veritati matrimonii B. V. non obstat *virginitas,* quia usus matrimonii non constituit sed sup-

S. Joseph *post* annuntiationem; nos aestimamus matrimonium praecessisse annuntiationem quoad *substantiam*, subsecutum esse quoad *solemnitates*. Revera conjuges hebraei post sponsalia *de praesenti*, quae verum matrimonium constituunt, ad tempus separabantur quousque sponsus exterioribus festivitatis signis sponsam ad cohabitandum duceret: annuntiatio, ut videtur, contigit illo tempore medio; quare Angelus vocavit Joseph *conjugem*, quia matrimonio B. V. erat unitus, praecepit vero ut *acciperet* Mariam, quia nondum in domum suam ad cohabitandum duxerat [12].

245. **Errores — Veritas.** Virginitatem B. M. *in conceptione* negarunt ex antiquis JUDAEI, ETHNICI, EBIONITAE, MASSALIANI, etc., et ex modernis RATIONALISTAE, MATERIALISTAE et THEOSOPHI: *in partu* JOVINIANI: *post partum* HELVIDIANI et ANTIDIKOMARIANITAE [13], ex modernis autem HERZOG. [14]. **Veritas** est definita in CONC. LATER. « S. q. non confitetur... sanctam *semperque virginem* immaculatam Mariam... *absque semine* concepisse de Spiritu S. et *incorruptibiliter* genuisse, indissolubili permanente et *post partum* ejusdem virginitate, c. s. » [15].

THES. 31. *Sancta Deigenitrix — 1 non solum fuit virgo ante et in partu, — 2 sed etiam post partum.*

246. **Prima pars.** *Sancta Deigenitrix fuit virgo ante et in partu.* **Ex Scripturis.** Virginitas B. M. adumbrata in protoëvangelio, et repraesentata in rubo ardenti, in virga Aaron, in vellere Gedeonis, in horto concluso, in porta clausa et in monte de quo sine manibus abscissus est lapis [16], prophetata est a JEREM. sub notione mulieris circumdantis virum [17], et ab ISAIA qui miraculum grande promittens Achaz ait: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [18]. Testimonium hoc esse MESSIANICUM constat *a) ex nomine Emmanuel* quod « alias inusitatum

---

ponit conjugium, quod est conjunctio animorum; non obstat *votum*, quia conjuges juri suo mutuo consensu renuntiare valent; B. V. autem etiam ex divina revelatione, de perpetua virginitate servanda certior est facta. S. THOM. *IV Dist.* 30 q. 2 a. 2 ad 2; BERN. Sen. serm. *de S. Joseph* a. 2, c. 1.

[12] KNAB. in Matth. I, p. 47-9.

[13] HERGENR., I, 111; JANSSENS, p. 226- 34.

[14] HERZOG in *Revue d'histoire et de la litt. relig.*, IX, 1906.

[15] CONC. LATER. sub *Mart. I*, a. 649, cn. 3.

[16] Gen. **3**. 15; Exod. **3**. 2; Num. **17**. 8; Jud. **6**. 38; Cant. **4**. 12; Ezech. **44**. 2-3; Dan. **2**. 33-4.

[17] Jerem. **31**. 22.

[18] Isai. **7**. 14.

in ea rerum conditione aperte declarat Deum per hunc puerum speciali quadam ratione fore cum hominibus »[19]: *b) ex fine* prophetae erigendi animum spe redemptoris, qui reliquias domus Jacob salvaturus erat: *c) ex contextu,* siquidem Emmanuel capitis **7.** 14 est Salvator **8.** 8-10 et Puer **9.** 6 sqq., quem esse Messiam nemo ambigit: *d) ex authentica declaratione* Matth., PP. et Ecclesiae[20]. Praedicere autem VIRGINITATEM matris Christi in conceptione et in partu, constat *a) ex contextu,* siquidem conceptio et partus virginis exhibentur signum seu miraculum, quod non esset, si virginitas solum ante conceptionem foret intelligenda: *ex textu hebr.,* qui legens *ecce virgo gravida et pariens filium,* conceptionem et partum facit appositionem seu adjectivum virginis: atqui hebr. « עַלְמָה (alma = virgo) dici de puella virgine, de puella quae sit famae intemeratae, innupta, et quae pro virgine saltem ab omnibus habeatur, omnes probant loci in quibus vox usurpatur »[21]. — In **N. T.** clarissimum argumentum praebent Matth. et Luc.[22] maxime si ad invicem comparentur. Nam *a)* non solum dicunt S. Joseph fuisse virum Mariae, *de qua* (non de quibus) natus est Jesus[23], sed *b)* ajunt Angelum missum fuisse *ad virginem*[24], cujus virginitatis flos non cecidit in conceptione, quia antequam *convenirent,* Maria *inventa est in utero habens de Spiritu S.*[25]: *c)* imo conceptionis historiam enarrantes, virginem exhibent quae, conscia sui voti[26], sollicite quaerit ab Angelo de modo quo posset parere filium; Angelus vero non solum respondit: *Spiritus S. superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi*[27]; sed, quia agebatur de miraculosa

---

[19] KNAB. in *Isai.* I, p. 167.

[20] Matt. **1.** 23; JUST. M., IREN., TERTUL., ORIG., CYPR., LACT., EPHREM, EPIPH., ATHAN., CYRIL. Hier., CHRYS., THEOD., AMBR., HIER., etc. (apud *Knab.* I, p. 179-81); PIUS VI *Divina Chr.* 20 Sept. 1719.

[21] KNAB., *l. c.* p. 169. *NB. a)* Cant. **6.** 7 *alma* ab uxoribus primi et secundi ordinis distinguitur: *b)* Prov. **30.** 19 dicitur quidem de adultera, sed prout peccatum sic occultavit, ut pro virgine habeatur et nominetur: *c)* quod si saepius virgo dicitur בְּתוּלָה *(betulah),* ut notat HIER., est quia *betula* dicitur etiam de virgine superadulta, dum *alma* exprimit virginem juvenem ac speciosam.

[22] Matth. **1.** 16-25; Luc. **1.** 27-38.

[23] Matth. **1.** 16.

[24] Luc. **1.** 26-27.

[25] Matth. **1.** 18. Ne objicias verbum *convenire* dici de *cohabitatione* et non de usu matrimonii; argumentum enim procedit a minori ad majus.

[26] Supra n. 243.

[27] Luc. **1.** 35.

conceptione, rem ex omnipotentia Dei, apud quem *non est impossibile omne verbum* [28], credibilem facit. *d)* Quare S. Joseph accepit quidem Mariam conjugem suam, sed *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* [29]. — **Patres** *a)* « Filium Dei... factum *vere ex virgine* » [30] tam NOTUM habent, ut dicant neminem esse qui in quaestione de generatione Christi, audito nomine Mariae, « interrogatus continuo non subjiceret appellationem *virginis* » [31]. — *b)* Hanc porro veritatem DEMONSTRANT ex Scripturis [32] et ex Traditione [33], et — *c)* CONGRUERE dicunt α) ut in miraculoso partu Christus « omnibus non parvum suae divinitatis argumentum exhiberet » [34]; β) ut spiritualis nativitas fidelium praefiguraretur; siquidem « oportebat caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum Spiritum nascitura » [35]; γ) ut constaret quod nostra sanctificatio est opus restaurationis, et clarius eluceret excellentia virginitatis [36]. — *d)* POSSIBILITATEM autem miraculi ostendunt ex aliis operibus Dei, quae in ipso ordine naturali nostram intelligentiam fugiunt [37]. — *e)* Dogma tandem illustrant ANALOGIIS : α) sicut enim « Adam de terra virgine natus est, (ita) Christus (secundus Adam) de M. V. procreatus est » [38]; β) sicut Eva in virginitate de daemone concepit peccatum, ita Maria in virginitate de Spiritu S. concepit Salvatorem [39]; γ) sicut verbum mentis

---

[28] Luc. **1**. 37.

[29] Matth. **1**. 25. *NB.* Attendas etiam quod si Christus ratione originis remotae dicitur de *viris* (v. g. de *lumbis David*), cum agitur de origine proxima, semper dicitur de *muliere* (Gen. **3**. 15; Isai. **7**. 14; Jerem. **31**. 32; Michea **5**. 2-3; ad Galatas **4**. 4) : hoc profecto supponit Christum in terris patrem non habuisse.

[30] IGNAT. M. ad *Smyr.;* ARISTID. *Apol.;* ORIG. in *Joan.* t. 32. n. 9; CONC. MEDIOL. apud *Ambr.* ep. 42, n. 5.

[31] EPIPH. *Haer.* 78, n. 6.

[32] De B. V. interpretantur Isai. **7**. 14. JUST. M., IREN., TERTUL., etc. (supra not. 20). — Ezech. **44**. 2-3. AMBR. *De inst. Virg.* c. 7 — Cant. **4**. 2 HIER. *Adv. Jovin.* I, 31 — Jerem. **31**. 22, BERN. *De nat. Chr.* serm. 5 — *Dan.* **2**. 34-5; AUG. *in Joan.* tr. 4. n. 4.

[33] HIER., *C. Helvid.* n. 17.

[34] ATHAN. *De Inc. Verb.* n. 49; CYRIL. Alex. anat. 1; PROCUL., *De laud. S. M.*

[35] AUG. *De Sanct. virgin.* c. 6.

[36] BASIL. *De vera virg. int.;* GREG. Nyss. *De S. Virg.;* AMBR. *ep.* 81; AUG. *In Nat. Dom.* ser. 7; CHRYSOL. *In Ann.* ser. 142; LEO M. *ser.* 22, n. 2.

[37] CYRIL. Alex. *C. Jul.* VIII, p. m.

[38] AMBR. *serm.* 37; TERTUL. *De carn. Chr.* c. 17.

[39] TERTUL. *De carne Chr.* c. 17; JUST. M. *C. Tryph.* n. 100. — DAMASC. *De fide orth.* IV, c. 15 aliter rem proponit.

sine corruptione intellectus editur, ita Verbum aeternum sine corruptione carnis de virgine natus est [40]; δ) sicut Verbum ab aeterno sine matre a Patre generatur, ita in terris sine patre de matre ortus est [41]; ε) sicut divina « virtus per clausa ostia membra juvenis introduxit »; ita « per inviolatae matris virginea viscera, membra infantis eduxit » [42]: *θ)* sicut « petra fontem profluum scaturivit, ferrum super aquas natavit, ambulavit homo super aquas »; ita « fidem non excedit quod homo exivit de virgine » [43]. **Rationis** congruentias cum S. THOMA alias proposuimus [44].

247. **Secunda pars.** *B. V. M. post partum virgo intemerata permansit.* Hoc si **Scriptura** aperte non dicit, certe innuit *a)* indicans B. V. virginitatis votum, *b)* referens commendationem qua Christus moriens eam custodiendam tradidit Joanni, et *c)* B. V. exhibens symbolo portae omnibus clausae et Deo soli patentis [45]. — **Patres** *a) docent* cum CHRYS. quod « Sancta Maria... virgo fuit ante partum, virgo post partum » [46], *b)* contrariam vero sententiam damnant tamquam *insaniam* [47] *irreligiositatem* [48], *furorem, temeritatem* et *improbitatem* [49], *impietatem* [50], *perfidiam* [51], *sacrilegium* [52], *haeresim* [53]. — **Ex Ratione.** Nam virginitatis jactura « *primo* derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris;... ita decuit ut esset unigenitus matris... *Secundo* injuriam facit Spiritui S., cujus sacrarium fuit uterus virginalis... *Tertio* derogat dignitati et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet... *Quarto* etiam ipso Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo de Spiritu S. Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret » [54].

---

[40] THEOD. Ancyr. *in Nat. Dom.* serm. 1. n. 1-2.

[41] LACT. *De div. instr.* IV, c. 13; GREG. Nyss. *De sanc. virg.* c. 2; MAX. Taur. *De nat. Dom.* serm. 4, n. 2.

[42] AUG. ep. 137 ad *Volusian.* n. 8; GAND. Brix. *De Evang.* tr. 9, lec. 2.

[43] CONC. MEDIOL. apud *Ambr.* ep. 42, n. 7.

[44] Supra n. 16.

[45] Luc. **1.** 34; Joan. **19.** 26-7; Ezech. **44.** 2-3.

[46] CHRYS. hom. *De J. B.;* DAMASC. *De fide orth.* IV, 15.

[47] ORIG. in *Luc.* hom. 7; GERMAN., *De dogm. eccl.* c. 69.

[48] HIL. in *Matth.* c. 1, n. 3.

[49] EPIPH. *Haer.* 78, n. 1, 6, 23.

[50] PHILOSTORG. VI, s. 2.

[51] BEDA, *Hom.* 5 et 22; P. SYRIC. *ep.* 9, n. 3.

[52] AMBR. *De inst. virg.* c. 5, n. 35.

[53] AUG. *De Haer.* 59.

[54] S. THOM. 3 p. q. 28 a. 3.

248. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** S. Matth. docet B. M. fuisse virginem *donec* peperit filium suum *primogenitum* [55]: atqui part. *donec* signat terminum rei propositae, et *primogenitus* supponit fratres: ergo. **Resp.** Part. *donec* sensum negativum non semper praesefert [56]; primogenitus autem « non est tantum *post quem* et alii, sed *ante quem* nullus » [57], unde in Lege dicitur primogenitus *qui aperit vulvam,* quique ante fratrum nativitatem erat redimendus [58].

249. **Objic. 2.** Patres loquuntur de *aperitione vulvae,* quam innuit etiam Luc. **2.** 23: ergo B. V. non fuit virgo in partu. **Resp.** Patres « significare tantum volunt, ut patet ex doctrinae harmonia, veram Christi nativitatem, qua vere, non specie tenus, prodiit ex M. V., et quae concipi nequit citra aliquam adaperitionem, non utique *materialem* per scissionem laesionemque, sed (moralem) talem, qua Deo nihil est clausum... non solum corpora, sed ipsi spiritus » [59].

250. **Objic. 3.** In Scripturis commemorantur *fratres Domini* [60]: ergo saltem *post partum* B. V. non fuit virgo. **Resp.** In Scriptura dicuntur *fratres* fere omnes consanguinei [61], imo et uxor *soror* vocatur [62], sicut sponsus *frater* [63]. Porro in Evangeliis quatuor *fratres Domini* commemorantur, scil. Jacobus, Joseph, Simon et Judas [64], quorum tres (excepto nempe Joseph) fuerunt Apostoli; at hi erant filii Mariae [65] uxoris Cleophae seu Alphaei [66] sororis matris Domini [67]; ac proinde *consobrini* D. N. J. C. [68].

---

[55] Objiciunt etiam verba *antequam convenirent;* at haec non respiciunt matrimonii usum, sed *cohabitationem.* KNAB. in *Matth.* I, p. 49.

[56] Cf. Gen. **49.** 10 col. n. 24; Ps. **109.** 1; **122.** 2.

[57] HIER. *C. Helvid.*

[58] Exod. **34.** 19-20; Num. **18.** 15.

[59] HURTER, n. 657 in nota.

[60] Matth. **12.** 46-7; **13.** 55.

[61] Gen. **13.** 8; **29.** 15; Exod. **2.** 11; Deut. **15.** 12; 2 Reg. **19.** 12; Rom. **9.** 3-4.

[62] Cant. **4.** 9.

[63] Esther, **15.** 12.

[64] Matth. **13.** 35 coll. Marc. **6.** 3.

[65] Matth. **27.** 56; Marc. **15.** 40.

[66] Prima fronte *Cleopha* et *Alphaeus* nimis differunt ut possint identificari, sed, ut notat CORNELY (*Com. Intr. in S. Script.* Diss. VIII, § 19, n. 1), sponsus Mariae a Joanne dicitur *Clopas,* quae « est durior pronuntiatio nominis חַלְפַּי *(Alphai)* quod ab aliis evangelistis (scil. a Matth. **10.** 3, Marc. **3.** 18, Luc. **6.** 15) Alphaeus transcribitur ».

[67] Joan. **19.** 25.

[68] Sensus improprius qui adest, cum consobrini Christi dicuntur ejus fratres, probabiliter locum habet etiam cum Maria uxor Alphaei vocatur *soror matris Domini;* unde HESIGIPPUS apud *Euseb.* H. E. III, c. 11 et EPIPH. *Haer.* 79, n. 7 dicunt S. Joseph fratrem Alphaei, ex quo sequitur B. V. fuisse ejus fratriam.

ART. 4 - DE GLORIOSA B. V. ASSUMPTIONE.

251. **Quaestionis sensus.** Assumptio intelligitur de *anima* et de *corpore*. B. V. animâ esse in coelo est de fide, et ab omnibus conceditur : quaestio movetur de assumptione corporis; quaeritur scil. an B. V. per anticipationem habuerit donum quod sanctis reservatur in die judicii, cum resurgent et corpore glorioso Christum ascendentem in coelum comitabuntur. Hujusmodi transitus B. V. de morte ad vitam et de terra ad coelum dicitur *assumptio,* ut innuatur ipsam non ascendisse virtute propria, sed Christi : ceterum non est cogitandum de externa quadam translatione, qua angelorum vehiculo sit delata in coelum; *agilitas* enim est dos propria corporis gloriosi, quod sub imperio voluntatis citissime transire valet de uno in alium locum : in assumptione B. V. commemorantur Angeli, quia propriam reginam triumphantium more ad aeterna gaudia duxerunt.

252. **De morte B. V. M.** Etsi EPIPH. de morte B. V. dubitaverit [1], et ex recentioribus DOM. ARNALDI [2] pluribus argumentis eam impugnaverit, certum est B. V. esse mortuam; *pro conditione enim carnis migrasse,* docent cum Ecclesia [3] « antiqui et gravissimi Patres » [4], et suadet ratio. Profecto mors B. V. non repugnat suae conceptioni immaculatae, quia mors est naturalis conditio naturae, non spectat ad defectus detrectabiles [5], et continetur in ordine dolorum et passionum quibus B. V. fuit subjecta. Hoc congruit etiam divinae providentiae *a)* ut dignitas B. V. occultaretur [6], *b)* ut ipsa melius conformaretur Christo, qui passus et mortuus est, *c)* et ut magis constaret de veritate carnis Christi, quae de matre passibili et mortali est assumpta [7].

253. **De natura et circumstantiis mortis B. V.** Quoad *tempus* sat communiter dicitur B. V. esse mortuam an. 72 aetatis suae [8]. — Quoad *locum* probabiliter tenetur fuisse Jerusalem, etsi aliis praeplaceat Ephesum [9]; Apostolos vero divina inspiratione convenisse ad transitum

---

[1] EPIPH. *Haer.* 78, n. 11.

[2] Apud G. BALLERINI, *Della morte, risur. ed ass. di M. SS.* p. 6-13.

[3] MISSA *Assump.* secret.

[4] SUAREZ *De myst. vitae Chr.* Disp. 21 sect. 1; DAMASC. *De Virg. dorm.* or. 1, n. 12.

[5] Supra n. 73.

[6] Si fuisset immortalis, extitisset et impassibilis; impassibilitas vero quid novum et mirandum in infantia B. V. apparuisset.

[7] Cf. LÉPICIER, p. 251 sqq.

[8] PESCH, n. 613; BERGAM. *Vita di Maria,* III, p. 535 mortuam dicit a. 60.

[9] BERGAM. *l. c.* p. 501 sqq.

B. V. non probatur. — Quoad *causam* tenendum est B. V. non esse mortuam ob peccatum Adae; mors enim quae in mundum per Adam intravit, est *poena* peccati originalis, a qua non minus quam a culpa est praeservata B. V. : « mortalitas (itaque) in ea non fuit nisi ut Filio conformaretur, sicut apparet ex sensu Ecclesiae in die Assumptionis » [10]. Inde tamen non sequitur *potuisse B. V. non mori* [11], nam B. V. Christo assimilari debuit; Christus autem naturaliter fuit mortalis et solum virtute theandrica poterat non mori. — Quoad *modum* dicendum quod B. V. non est mortua infirmitate; hae enim procedunt ex imperfectione membrorum vel ex abusu creaturarum, quod in B. V. non contigit : quia ergo « nec littera nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis *necis passione* migrasse » [12], et PATRES loquuntur de *placidissima dormitione* ac veluti *tranquillo somno* [13], Theologi tenent objisse ex *puro amore* [14]; quod non est intelligendum quasi vehementia affectus et aestu caritatis fuerit consumpta, sicut sancti qui ex amore moriuntur; hoc enim induceret mortem violentam; sed prout anima B. V. excellentissima extasi rapta ad beatificam visionem, quae homini mortali non datur [15], suavissime reliquit corpus, quod mox glorificatum reassumpsit [16].

254. **Errores — Veritas.** Si excipiantur RATIONALISTAE qui totum ordinem supernaturalem respuunt, nemo forte est qui in particulari impugnaverit assumptionem B. V.; MODERNISTAE tamen negant vim argumentorum, quibus solet probari [17]. — **Veritas.** Assumptio B. V., etsi dogma fidei non sit, est tamen sententia certissima cujus contraria ad minus temeraria est habenda [18]; quia vero certitudo hujus facti sola revelatione innotescere potuit, dicendum est assumptionem B. V. pertinere ad depositum fidei et posse definiri [19]. In CONC. VATIC. plusquam ducenti Patres definitionem expostularunt [20].

---

[10] BILLOT, *th.* 40 corol. p. 356; LÉPICIER, p. 251.

[11] JANSSENS, V, p. 864.

[12] AMBR. *in Luc.* I, n. 61; GERSON, *De Conc. Virg.;* CAJET. *De spasmo B. V. M.;* LÉPICIER, p. 225-6.

[13] G. BALLERINI, *l. c.* p. 20.

[14] SUAREZ, *De myst. vit. Chr.* Disp. 21 sect. 1; JANSSENS, p. 886; H. MAZZ. n. 334; CROSTA, n. 387.

[15] Exod. **33.** 20. Ne afferas exemplum Christi; ipse enim erat simul *viator* et *comprehensor.*

[16] LÉPICIER, p. 255-6, 516-23; G. BALLER. *l. c.* p. 20; BERGAM. *l. c.* p. 498 sqq.

[17] *Studi Relig.,* luglio-agosto 1902.

[18] SUAREZ, *De myst. vit. Chr.* Disp. 21 sect. 2, n. 9; HURTER, n. 665; PESCH, n. 614; JANSSENS, p. 916.

[19] JANSSENS, p. 915; CROSTA, n. 389.

[20] HURTER, n. 667. *NB.* Nostris temporibus B. LONGO suffragium plurimorum aliorum episcoporum collegit.

THES. 32. *B. V. corporaliter assumptam esse in coelum, — 1 innuunt Scripturae, — 2 testantur Patres et — 3 suadet ratio.*

255. **Prima pars.** *B. V. corpore assumptam esse in coelum innuunt Scripturae.* Nam in saepe citato testimonio Gen.[21] B. V. adsociatur Christo in perfecto triumpho de serpente, qui una cum peccato induxerat dolores, mortem et corruptionem corporis: si ergo B. V. aliquam e poenalitatibus peccati originalis contraxit, non fuit ex debito naturae vel culpae, sed ut conformaretur Christo: atqui assimilatio cum Christo exigebat mortem, sed non corruptionem corporis, imo ei congruebat immediata resurrectio: ergo. CONFIRMATUR *ex Luc.* **1.** 28; nam B. V. « migravit sine corruptione... ut *plena* non *semiplena* gratiae esse probaretur »[22].

256. **Secunda pars.** *B. V. corpore assumptam esse in coelum testantur Patres.* A saec. 5 traditio Assumptionis B. V. manifesta est in operibus Patrum e quibus citari solent JUVEN. († 458)[23], PS. DIONYS.[24], GREG. M. († 584), GREG. Turon. († 595), MODEST., *Ps.* AUG., *Ps.* HIER.[25], SOPHR. († 629), ILDEPH. Tol. († 667), AUTBER. († c. 670), ANDR. Cret. († 680), GERM. Cp. († 740), J. DAMASC. († 760), PASCH. I († 817), *Syn. Mogunt.* (813), THEOD. Stud. († 826), LEO IV († 847), FULTB. († 1028), ODILO († 1049), P. DAM. († 1072), HILDELB. Cenom. († 1097), HUGO Vict. († 1140), BERNARD. († 1153), P. BLESENS. († 1200), NICEPH. († 1250), S. THOM. († 1274), BONAV. († 1274), LEO Sapiens, METAPHRASTES, MANUEL Paleol. († 1415), etc.[26]. Ante saec. 5 non sunt clara testimonia, sed affirmatio JUVENALIS et DAMASCENI provocantium ad *antiquam traditionem*[27] corroboratur non spernendis indiciis. Nam si saec. 4 EPIPH. († 403) dubitat de morte B. V.[28], profecto supponit eam corporaliter vivere; si

---

[21] Gen. **3.** 15. *Inimicitias ponam,* etc.

[22] ALEX. III, *apud Janssens* p. 945. Plures adducunt etiam Exod. **25.** 10. sqq.: Ps. **15.** 15; **131.** 8; Apoc. **12.** 1; sed sensus typicus arcae V. T., quae aedificata est de ligno incorruptibili, non est evidens: in Ps. **15** agitur de incorruptione corporis Christi: Ps. **131** est de ingressu arcae Dei (throni Dei) in templo salomonico: Apoc. **12** loquitur de Ecclesia, et solum accomodatione vel per excellentiam intelligitur de B. V.

[23] JUVEN. apud *Damasc.* De Dorm. B. V. hom. 2.

[24] Apud *Tanquerey,* n. 291.

[25] HIER. *De Ass. B. V.* hom. 2, n. 18. Cf. JANSSENS, p. 950.

[26] Apud *Pesch,* n. 617; *Janssens,* p. 953; *Lépicier,* De B. V. M. p. 211-2.

[27] DAMASC. *De Dorm. B. V.* hom. 2.

[28] Supra n. 252.

GREG. NYSS. († 403) per B. V. eversum dicit regnum mortis [29], innuit surrexisse; et si CYRIL. Alex. eam adstare considerat coram rege « circumamictam secundum suam sacratissimam carnem, incorruptione et immortalitate » [30], in coelo etiam cum corpore esse testatur. Sub initio ejusdem saec. METHOD. B. V. appellat « mortis destructicem », et saec. 3 TERTUL. († 245) ac IREN. († 202) dicunt « matrem vitae » [31], quae si possunt exponi de officio corredemptricis, attento tamen usu posterorum Patrum, pleniorem sensum habent si de absoluto triumpho supra serpentem, et de consequenti resurrectione intelliguntur. Ex **monumentis archaeologiae** adducitur sarcophagus quidam Caesaraug. repraesentans Christum manu Mariam sublevantem [32], Validissimum tandem Traditionis argumentum praebent **Liturgiae** graecae et latinae [33], siquidem « lex credendi ipsa supplicandi lege statuitur » [34]; si ergo « Ecclesia non modo assumptam in coelum Virginem celebrat..., sed etiam homilias sanctorum DAMASC. et BERNARD. legendas fidelibus tradit..., de ejus auctoritate et suffragio neutiquam dubitandum esse videtur » [35]. **Confirmatur** *haereticorum consensu* qui a *saec. 5* ab Ecclesia separati [36], hanc doctrinam unanimiter testantes [37], pro-

---

[29] « Tamquam Dei Matris Mariae tempore ab Adamo usque ad eam regnum mors obtinuerit ». GREG. Nyss. Serm. *De Virg.*

[30] Inter spuria *S. Athan.* Cf. JANSSENS, p. 950.

[31] Cf. CROSTA, III, p. 226.

[32] DE ROSSI et D. LECLERCQ in *Revue August.*, maï 1908; P. SISTO, *Manuale d'Arch. crist.*, c. 6 p. 448 sqq.

[33] Revera ex NICEPH. *H. E.*, XVII, c. 28 et ex nominibus *depositionis, dormitionis, pausationis, transitus, natalis* vel etiam *festivitatis* B. V., quibus ejus assumptio designabatur, constat festum Assumptionis saec. 6 fuisse diffusum in ECCL. GRAECA; imo *P. Thurston* (Scuola Catt., lugl. 1908) affirmat a saec. 4 celebratum in ECCL. SYRIACA, et *Holweck* cum *Mariani* (apud Lépicier, p. 211) institutionem tribuit *Damaso* († 384). In ECC. LATINA habet testimonium a missali *Mozarabico* (saec. 6) pro eccl. Hispanica; a missali et Sacramen. *Gothico* (ante saec. 6) pro Germania et Gallia; a missale *Ambrosiano* pro Eccl. Mediol. et Lugd.; a sacram. *Gelasi* et *Gregorii* et dein a missale et breviario *Romano* pro Eccl. Romana.

[34] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis.*

[35] BENED. XIV, *De Can. SS.*, I, c. 42, n. 15.

[36] Festum Assumptionis celebrant etiam *Nestoriani* et *Eutychiani.* Cf. JANSSENS, p. 949.

[37] Festum Assumptionis *a)* commemorat kal. *Arabicum,* quod testatur etiam de *Syris, Francis* et *Romanis, b)* profitentur syn. episc. *Armenum* a. 1342, *c)* tuentur *Graeci Schismatici* in syn. Hier. a. 1672 contra Protestantes, et *d)* e *Protestantium* agmine agnoscunt quidam cum *Bullinger.* Cf. HURTER, n. 665; JANSSENS, p. 955.

bant notitiam Assumptionis B. V. etiam ante Conc. Ephes. et Chalced. communem fuisse.

257. **Tertia pars.** *B. V. corpore assumptam esse in coelum suadet ratio.* Rationes desumuntur ex postulato Patrum Conc. Vatic. ad Pium IX, qui arguunt « *a)* ex dignitate Matris Dei, *b)* ex excellenti virginitate, *c)* ex insigni supra omnes homines et angelos sanctitate, *d)* ex intima cum Christo Filio conjunctione et consensione, *e)* ex Filii in matrem dignissimam affectu »[38]. — *a) Ex dignitate matris Dei* arguit GERM. sic alloquens B. V.: « Neque enim fieri poterat, ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus corrumpente diffluere pulvere »[39]; si enim arca V. T., ad tabulas legis continendas ordinata, de lignis setim incorruptibilibus est aedificata, multo magis arca N. L., quae legislatorem in suo sinu concepit, corruptioni subjacere non debuit. — *b) Ex virginitate,* nam « ut minime corruptus est parientis uterus, ita nec interiit defunctae caro »[40]. — *c) Ex insigni sanctitate,* nam B. V. non defuit quod aliis concessum est: atqui in resurrectione Christi ad vitam redierunt multi sancti[41], qui triumphali ascensione eum secuti sunt in coelum[42]: ergo. Nonne decuit ut quae sine dilatione in primo conceptionis momento singulari privilegio est sanctificata, in termino sine dilatione gratiae fructum reciperet? — *d) Ex perfecta unione ad Christum,* sicut enim B. V. in terris semper adsociata est Christo in laboribus et meritis, ita in coelis adsociari decuit plenitudine gloriae, quae resurrectione et corporali ascensione completur. — *e) Ex Christi affectu;* Primogenitae enim redemptionis totum contulit Christus quidquid erat possibile[43]: atqui immediata resurrectio et assumptio erat possibilis: ergo. CONFIRMATUR *ex defectu reliquiarum corporis B. V.,* siquidem Deus, qui ossa Sanctorum summo fidelium cultu honorari voluit, corpus suae matris, si in terris extaret, oblivioni non daret: atqui nulla est reliquia corporis B. V., imo de dormitionis loco et sepulcro ipso dubitatur: ergo.

---

[38] POSTUL. PATRUM. Conc. Vat. *apud Martin,* p. 1, sect. 3, n. 12.

[39] GERM. in *S. Deig. dorm.* hom. 1.

[40] ANDR. Cretens. *De dorm. Virg.* or. 2.

[41] Matth. **27.** 52-3.

[42] Cf. HURTER, n. 668; A-LAPIDE, in *h. l.*; KNAB., II, p. 538 qui citat *Ambr., Hieron., Epiph., Cyril.* Alex., *Rab., Ansel., Thom., Cajet, Jans, Mald.* aliosque. Quid vero sentiendum sit de contraria revelatione S. BIRGITTAE, videbis apud A-LAPIDE in *h. l.*

[43] Supra n. 229.

258. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Usque ad *saec.* 5 nullum extat documentum assumptionis B. V.: ergo ignorabatur: atqui est impossibile quod ignoraretur veritas fidei: ergo [44]. **Resp.** Veritas fidei ante definitionem non pertinet ad necessariam confessionem, sed potest implicite tantum credi; nulla ergo repugnantia quod antiqui Patres de hac veritate siluerint; multo magis quod silentium suadebatur ne daretur *Docetis* occasio impugnandi veritatem carnis Christi, *Valentinianis* affirmandi coeleste corpus ejus, et *Ethnicis* confundendi B. V. cum Deo.

259. **Objic. 2.** Testimonia de assumptione B. V. apparent cum apocryphis legendis de circumstantiis mortis et resurrectionis: ergo nullius sunt roboris [45]. **Resp.** Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, non supra falsa documenta, sed supra firmam petram aedificat suam doctrinam. Ex historia haeresum constat Patres semper viriliter obstitisse novitatibus in rebus fidei, et apocryphas Scripturas reprobasse [46]. Damus unum vel alium Patrem ex apocryphis aliquas circumstantias assumptionis derivasse, sed negamus omnes Patres pendere ab apocryphis; quae ceteroquin non proponebant nova dogmata, sed veris superstruebant speciosas circumstantias [47].

CONCLUSIO.

260. *Salomon sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum ejus... Venit ergo Bethsabee..., positusque est thronus matris regis, quae sedit ad dexteram ejus... et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas et ut avertam faciem tuam* [48]. Salomon typus est Christi qui sedens in regno suo, ad se Matrem vocavit, et constituit reginam hominum et angelorum, gratiarumque omnium dispensatricem. Adeamus ergo fidenter ad thronum gratiae, ut misericordiam inveniamus in tempore opportuno: veneremur gloriosam Deigenitricem amictam sole, cui luna

---

[44] *Studi Relig.*, Firen., lug.-agos. 1902.

[45] *Studi Relig.*, l. c.

[46] In ipsa quaestione de assumptione B. V. GELAS. in *Conc. Rom.* (a. 494) damnavit apocryphum de *transitu B. V.*

[47] Hinc non est critici prudentis omnia, quae sunt in apocryphis indiscriminantim respuere, sed fundamentum a circumstantiis debet secernere ut has seponat, illud amplectatur. CORNELY, *Comp. Int. in Sacr. Script.* Diss. 1 § 8 n. 2; Diss. 2 § 8 n. 2; VIGOUR. *Man. Bibl.*, I, n. 65.

[48] 3 Reg. 2. 12-20.

scabellum pedum ejus et in capite ejus corona stellarum duodecim [49]: diligamus dulcissimam matrem et exoremus supplicem omnipotentiam, ut misericordes suos oculos ad nos convertens, doloribus soletur, infirmitatibus medeatur, a periculis liberet, a peccatis praeservet, et in hora mortis diabolum conterat sub pedibus nostris: ipsa, quae janua est coeli, Jesum benedictum nobis ostendat, ubi *mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor* [50], sed gaudium et vita sempiterna. Fiat, fiat! *Salve Maria!*

APPENDIX.

DE S. JOSEPH.

261. **Quaestionis ratio.** Sicut tractatus *de B. V. M.* complet tractatum *de Verbo incarnato;* ita consideratio officiorum, sanctitatis et gloriae *S. Joseph* coronam imponit tractatui *de B. V.;* ipse enim est « fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suae matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum » [1], quo integratur oeconomia hypostaticae unionis, et populo christiano necessariae societatis perfectum exemplar exhibetur. Quinque de S. Josepho considerabimus: summam *dignitatem,* eximiam *sanctitatem, privilegia, gloriam,* eorumque fundamentum *relationem* scil. *ad B. V.* et *ad Chr. D.*

262. **S. Joseph sponsus B. V. et pater Christi.** De veritate matrimonii S. Joseph cum B. V. M. jam diximus [2]: quod attinet ad paternitatem Christi, nomine assumpto a Luca **3.** 23, dicitur *pater putativus* seu aestimatus, ut *negative* distinguatur a naturali et excludatur materialis ejus cooperatio in generatione Christi; *positive* vero affirmetur habuisse *nomen patris,* quo non tantum a populo [3], sed ab evangelista [4], a B. V. [5] et ab ipso Jesu vocatus est. Porro nomen, a Deo datum, vacuum esse nequit; quare S. Joseph sicut *officia patris* exercuit, nomen Jesu imponendo [6], et provi-

[49] Apoc. **12.** 1.
[50] Apoc. **21.** 4.
[1] BERN. in *Missus est* hom. 2.
[2] Supra n. 244.
[3] Matth. **13.** 53; Joan. **7.** 27.
[4] Luc. **2.** 33; 41.
[5] Luc. **2.** 48.
[6] Matth. **1.** 21.

dendo necessitatibus ejus [7], qui subditus factus est ipsi [8]; ita *patris dignitatem* mutuatus est, secundum illud Aug.: « Tanto firmius pater, quo castius pater [9] ». Radix huius paternitatis, quae in immensum excedit paternitatem adoptivam, est matrimonium cum B. V.; *primo* quidem quia sua castitate firmavit illibatam virginitatem, qua B. V. effici meruit mater Domini [10]: *secundo* quia « vir et mulier fiunt per conjugium quasi una persona (moralis seu juridica); quare habent omnia communia etiam prolem *legitime natam:* ergo Christus, Deiparae filius, (verus et *non spurius*, siquidem de Spiritu S. conceptus), fuit quoque filius Joseph, qui erat conjux, ideoque bonorum omnium consors et particeps. Joseph ergo fuit... *pater matrimonialis Christi* » [11]. Hinc Aug.: « Numquid et illa (B. V.) opere carnis suae peperit? Quod Spiritus S. operatus est, *utrique* operatus est...: *ambobus* filium dedit, sed in eo sexu, quem parere decebat, operatus est hoc quod *etiam marito* nasceretur » [12].

263. **Quae S. Joseph dignitas.** Asseveranter dico *primam post B. V. M.;* ad illam enim « praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, *ut nemo magis* » [13]. Ratio est *a)* quia S. Joseph, uti sponsus B. V. et pater Christi, oeconomiam hypostaticae unionis ingreditur, et sic prae omnibus conjungitur Deo. Revera « est conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Josephum dedit, dedit... etiam excelsae dignitatis ejus ipso conjugali foedere participem » [14]. *b)* Si Apostolus ex nomine *Filii Dei* dignitatem Christi deduxit [15]; profecto quia post nomen Deiparae aliud non est supra nomen *patris Christi Domini,* dicendum quod S. Joseph supra omnes sanctos excellit. *c)* Quid vero de obedientia ipsi praestita a Christo? « Mirare, inquit S. Bern., utrumlibet, et elige quid amplius mireris sive Filii

---

[7] Luc. 2. 4 sqq.; 22 sqq.; Matth. 2. 14 sqq.; 21 sqq.

[8] Luc. 2. 52.

[9] Aug. *serm.* 51 c. 20 n. 30. Cf. Chrys. in *Matth.* hom. 4, n. 6.

[10] Assertum probatione non eget, siquidem *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir* (1 Corinth. 7. 14), et B. V. quando concepit de Spiritu S. erat uxor S. Josephi.

[11] C. M. *De cultu S. Joseph. amplificando,* 1887 p. 38 ex A. Lapide et Suarez. Cf. Janssens, V, p. 334 sqq.; Lépicier, p. 302 sqq.; M. Mineo Janni, *La paternità di S. Giuseppe.*

[12] Aug. *serm.* 51 c. 20, n. 30.

[13] Leo XIII, Enc. *Quamquam plur.*

[14] Leo XIII, *l. c.*

[15] Hebr. 1. 5.

benignissimam dignationem, sive parentum *excellentissimam dignitatem*. Utrimque stupor, utrimque miraculum, et quod Deus homini obtemperet, humilitas absque exemplo : et quod Deo homo principetur, *sublimitas sine socio* » [16]. — Nec obstat Christum dixisse J. Baptistam *majorem inter natos mulierum* [17] ; ex Luca [18] enim et ex Patribus [19] constat excellentiam J. B. praedicari *respective* ad officium *prophetae*, prout ipse praesentem agnovit et manifestavit quem ceteri futurum annuntiarant [20].

264. **De eximia sanctitate S. Joseph.** Sicut *dignitate* S. Joseph ceteris praecellit, ita *sanctitate* omnes facile superat. Hoc sequitur ex officio ad quod est assumptus considerato in *praeparatione*, in *facto* et in *corollariis*. Revera *a)* « illos quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei » [21] : atqui S. Joseph non se ipsum elegit, ut esset sponsus B. V. et pater matrimonialis Christi, sed ipsum elegit Deus, qui supernaturali interventu sacravit ejus conjugium cum B. V. [22], atque, angelo de coelo misso, exercitium putativae paternitatis praecepit et firmavit [23] : ergo si B. V. ad dignitatem matris Dei gratiarum plenitudine est disposita ut de congruo illam mereretur, etiam Joseph a Deo est praeparatus ut fieri mereretur sponsus B. V. et pater Christi. Quis autem dubitabit hoc coelestium donorum copia esse factum ? Profecto matrimonium importat unionem animorum ac proinde consonantiam affectuum ; « quomodo (ergo) Spiritus S. uniret menti tantae Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam ? » [24]. Itaque Joseph « clarus meritis junctus est inclitae casto foedere Virgini » [25]. Nec aliter concluditur si S. Joseph consideratur pater Christi ; qui enim divitias contempsit [26], earumque fastum damnavit [27], qui infirma,

---

[16] BERN. in *Missus est* hom. 1.

[17] Matth. **11**. 11.

[18] Luc. **7**. 28.

[19] HIL., AMBR., S. THOM. apud KNAB. in *Matth.*, I, p. 429.

[20] KNAB. *l. c.* Cum Christus directe locutus sit *de officio praecursoris*, potest quidem colligi summa dignitas et sanctitas J. B. (Cf. Luc. **1**. 15), sed inde non probatur ejus excellentia supra S. Josephum, siquidem officium *patris* in immensum excedit officium *praecursoris*.

[21] S. THOM. 3 p. q. 27 a. 4.

[22] Aridam virgam Joseph floruisse, cum de eligendo sponso B. V. agebatur, pia traditio refert quae vel factum edocet (ARCH. BIBBL. ; P SERAPHIM ; P. CERESETO *apud Ballerini* Scuola, Nov. 1893 ; JANSSENS, V, p. 340), vel certe specialem dispositionem divinae providentiae exhibet.

[23] Matth. **1**. 20 ; **2**. 13 ; 20, etc.

[24] BERN. Sen. Ser. *De S. Joseph.*

[25] LITURG. *hym. S. Joseph.*

[26] Matth. **8**. 20.

[27] Luc. **6**. 24 ; **8**. 14.

ignobilia et contemptibilia mundi eligit [28], non divitem, sapientem vel potentem, sed sanctum sibi elegit patrem, omnino dignum laude qua a Spiritu S. dictus est *vir justus* [29]. — *b)* Quod si eximia apparet sanctitas S. Joseph ex electione, maior agnoscitur *ex officio*. Revera B. V. titulo conjugii sanctitatem sui sponsi promovere debuit, ut esset *bonorum communio;* ut ex amore sponsi, cui placere oportebat [30], a dilectione et cultu Dei *non avocaretur;* ut sponso *rependeret* pro innumeris laboribus, sollicitudinibus et poenis quas ejus causa libenter sustinebat. Quis vero ponderabit sanctitatis radios quibus illuminatus est a sole justitiae J. C.? Sane « quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii » [31] : atqui post B. V. nemo proximitate physica vel morali magis accessit ad Christum, quam Joseph qui vera affinitate (utpote matris ejus sponsus) ei conjungebatur, et « Deum... portare, deosculari, vestire et custodire » [32] meruit : ergo. Adde beatum Joseph, aliquo vero sensu debitorem habuisse creatorem mundi : si ergo Christus mensuram bonam confertam, et coagitatam, et supereffluentem subvenientibus indigenti repromisit [33], inaestimabilibus profecto gratiae donis ditavit Joseph, qui sibi et matri honorem tuitus est, vitamque servavit et aluit. — *c)* Adde nunc *exercitium heroicum omnium virtutum* ad quod non solum exemplis et exhortationibus B. V. et Christi Domini promotus est, sed veluti compulsus (utpote magni consilii Dei coadjutor) in miraculosa conceptione suae sponsae, in humili nativitate Christi, in fuga in Aegyptum et in aliis plurimis, non tam solicite revocandis, quam pie meditandis.

265. **De privilegiis S. Joseph.** *a)* S. Joseph originale peccatum contraxit, quia immaculata conceptio fuit gratia singularis B. V.; non diu tamen in peccato moratus est, sed *in utero matris est sanctificatus* [34]. — *b)* Non fuit impeccabilis nec immunis a fomite

---

[28] 1 Corinth. **1**, 27-8.

[29] Matth. **1**. 19. Attendas quomodo Scriptura cum *prima vice* nominat Mariam exhibet *plenam gratiae*, et cum *primo* loquitur de S. Joseph vocat *virum justum*.

[30] 1 Corinth. **7**. 34.

[31] S. Thom. 3 p. q. 27 a. 5.

[32] Orat. *Praep. missae*. Cf. Decret. quo Pius IX declaravit S. Joseph *Patronum universalis Ecclesiae*.

[33] Luc. **6**. 38.

[34] Damasc. in *Off. Hierosolymitano* S. Joseph; Gerson. Hom. *De navit. B. V.;* Bern. Senen. ser. *De S. Joseph.;* A Lapide in *Matth.* **1**. 16; Janssens, V, p. 185; Lépicier, p. 343; Ballerini, *Scuola*, nov. 1893, p. 433.

concupiscentiae; tamen a vitae exordio, *confirmatus in gratia,* peccata mortalia numquam commisit [35], et post matrimonium cum B. V. habens *fomitem ligatum* [36], saltem in materia castitatis ne venialiter quidem defecit [37]. — *c)* Licet aliqui Patres negent [38] S. Joseph fuisse *virginem,* id cum aliis plurimis [39] tenendum est; illi enim non innituntur Traditioni, sed apocryphis, quae etiam nominant, et ut salva virginitate B. M. explicent existentiam *fratrum Domini* [40]; hi e contra virginitatem S. Joseph dicunt « fidem Ecclesiae [41] », et deducunt ex Evangelio in quo « aliam eum uxorem habuisse non scribitur » [42], contrariam sententiam damnantes utpote «ex deliramentis apocryphorum depromptam » [43]. Profecto, ut notant BOLLANDISTAE, α) « ratio refugit ne (Joseph) non omnino puras manus virgineo Christi corpori tractando attulerit » [44]: β) Christus moriens matrem virgini commendavit; ergo a fortiori cum esset *alma,* h. e. virgo juvenis, virgini sponso, intimiori vinculo conjunxit [45]: γ) virginitas viduitati praestat [46]; non ergo defuit S. Joseph qui post B. V. sanctior est omnibus. δ) Nonne tandem Deus voluit ut

---

[35] GERSON Serm. *De nat. B. V.;* JANSSENS, *l. c.*

[36] GERSON, *l. c.;* B. CANIS. *De M. V. incorrup.,* etc.

[37] SUAREZ, *De myst. vitae Chr.* Disp. 2 sect. 2 n. 4; C. MAZZELLA, *De Gratia,* n. 352 in nota.

[38] Citari solent CLEM. Alex. *Adumb. in ep. Judae;* ORIG. in *Matth.* **14**; EUSEB. *H. E.,* II, c. I; HIL. in *Matth.* **1**; GREG. Nyss. *De ress. Chr.* or. 2; EPIPH. *Haer.* 78 n. 8; AMBR. *De inst. virg.* c. 6; CHRYS. (?) *De assumpt. B. V.;* CYRIL. Alex. in *Joan.* **7**. 5; THEOPH. in *Matth.* **27**; EUTYM. in *Matth.* **12**; GREG. Tur. *Hist. Franc.* I, 21.

[39] HIER. *C. Helv.* c. fin.; AUG. *in nat. Dom.* serm. 14; THEOD. in *Gal.* **1**. 19; ISID. Hisp. *De ortu et habitu Patrum,* c. 77; CHRYSOL. *serm.* 50; P. DAM. *epist.* 11. c. 4; BEDA, ALB. Flac., BERNAR., ANSELM., RUPER., GERSON., etc. *apud Baron.*

[40] NAT. ALEX. *H. E.* saec. 4 Disp. 48 n. 1 ad 4; G. BALLERINI, *Scuola,* nov. 1893, p. 429 sqq. *NB.* Apocrypha in secundariis auctoritatem non facere, manifestum est; *fratres* autem *Domini* non fuisse filios S. Joseph sed Alphaei, supra ostendimus.

[41] « *Ecclesiae fides est,* ut virgo fuerit et is qui simulatus est pater Filii Dei ». P. DAM. *Epist.* 11, c. 4; S. THOM. in *Matth.* **12**. 46.

[42] HIER. *C. Helvid.*

[43] HIER. in *Matth.* **12**. 46; ZACH. Chrysop. apud *Ballerini,* l. c., p. 434.

[44] ACT. BULL. *19 Mart.* Attendas praedilectionem Christi pro virginitate. An qui virginem elegit matrem, praecursorem et discipulum quem diligebat, patrem putativum viduum sortitus erit? Appellabisne ad necessitatem praebendi B. V. sponsum de sua tribu? Ergo nec Deus sibi providere potuit patrem virginem!

[45] S. THOM. in *Matth.* **12**. 46.

[46] 1 Corinth. **7**. 8 sqq.

matrimonium B. V. et Joseph esset in exemplum christianorum?[47] atqui secundae nuptiae sunt imperfectae : ergo « beatissimus Joseph fuit super omnes purus, similis virgini gloriosae »[48]. — *d)* Fuit tandem *juvenis et pulcher;* siquidem hac sola ratione poterat mysterium Dei ita occultare, ut Jesus, speciosus inter filios hominum, putaretur fabri filius[49].

266. **De S. Joseph gloria et cultu.** Certe « iste proximior Christo videtur collocandus in coelis, qui in ministerio obsequentior post Mariam inventus est in terris »[50]. Quis enim sibi persuadebit Christum a se in coelis removere, quem comitem et proximum habuit in terris? Nonne ipse ceteris sanctis dignitate et sanctitate antecellit? Ergo et praemio post Mariam fulgidiori gloria omnes praecedit; unde aestimamus resuscitatum corpore ascendisse in coelum[51] cum sanctis qui in resurrectione Christi exierunt de sepulcris[52]. — Gloriae respondet potentia intercessoris; ceteris quippe « sanctis datum est in quibusdam *specialibus causis* praecipue opitulari »[53], at S. Joseph *universitas causarum et personarum* est commendata[54]; sponsus enim omnipotentiae supplicis, in coelis « non impetrat, sed imperat »[55], et qui exorientem Ecclesiam Nazareth gubernavit, in universo mundo jam diffusam e coelis custodire non desinit[56]. — Inde excellentia et universalitas cultus S. Joseph. Verum equidem est primis temporibus Patres, ut virgineum partum B. V. contra haereticos tuerentur, S. Joseph veluti oblivioni dedisse[57], sed « jam a **saec. 9.** Martyrologio insertum, hymnisque variis celebratum, festum S. Joseph in occidente **saec. 14** et **15** inductum est. Augendo ejus cultui inter scriptores ab

---

[47] Leo XIII, Enc. *Quamquam plur.*

[48] S. Thom. serm. *De Nat. Virg.;* Ballerini, *Scuola,* 1893, p. 441 sqq.

[49] Hinc priores imagines S. Joseph exhibent *juvenem;* saec. **4.** tantum ex quibusdam apocryphis senex pingitur. Cf. Janssens, V, p. 340-2; Lépicier, p. 344; Bergam. *Vita di Maria Ss.* I med. 42, et De Rossi, Allard, Liell, De Waal ab his citatos.

[50] Gerson, *Sem. de nat. Virg.*

[51] Bernard. Sen. *Serm. de S. Joseph;* Suarez, *De myst. vitae Chr.* disp. 8 sect. 2; Franc. Sales. *Tratenim.* 19, n. 22; Gerson, Serm. *De Nativ. B. V.;* A Lapide in *Matth.* **1.** 16; Isidor. Isol. Serm. *De donis S. Joseph,* p. 4, c. 3; Lépicier, p. 348-9; Bergam. *Vita di M. Ss.* IV, med. 59.

[52] Supra n. 257.

[53] S. Thom. *IV Dist.* 45, q. 3 a. 2 ad 2.

[54] Bern. Senen. *Serm.* 12 p. 2; S. Ther. *Vita,* c. 6; Franc. Sales. *Tratt.* 19.

[55] Gerson. Serm. *De nat. B. V.*

[56] Leo XIII, Enc. *Quamquam plur.*

[57] Non desunt tamen testimonia perantiqua cultus S. Joseph in imaginibus, quae extant in catacumbis, et in laudibus Aug. et Hier. supra citatis.

hoc tempore celebres contulerunt maxime GERSON,... S. THER., S. FRANC. Sales. et BOSSUET. An. 1729 die 19 decem. BENED. XIII nomen S. Josephi Litaniis inserendum praescripsit. An. 1621 GREG. XV festum ejus ubique celebrandum jussit. An. 1870 PIUS IX (8 dec.) titulum Patroni Ecclesiae universalis. S. Joseph decrevit » [58] : nunc autem in votis est *a)* ut cultus summae duliae prae omnibus sanctis authentice ei tribuatur, *b)* ejus memoria in Missa recolatur *c)* ejusque nomen in litaniis Joan. Baptistae praeponatur [59]. — Ecclesiae filii observantissimi, hunc omnium potentissimum Patronum fidenter invocabimus. « Memento igitur nostri, beate Joseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede ; sed et beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus qui cum Patre et Spiritu S. vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen » [60].

---

[58] JANSSENS, V, p. 351.

[59] C. M. *De cultu S. Joseph amplificando,* Paris, 1887. In editione a. 1908 expostulatur ut etiam in Missa *(Confiteor, Suscipe, Communicantes* ac *Libera nos)* post B. V. statim S. Joseph invocetur.

[60] BERN. Sen. *De S. Joseph,* ser. 1.

TRACTATUS X.

DE GRATIA ACTUALI.

267. **Prologus.** « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum : et plagis impositis abierunt semivivo relicto... Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est, appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum ; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe » [1]. Parabola, ut notum est, describit opus redemptionis, quo Deus mederi volens infirmitatibus nostris, incarnatione nobis appropinquans, gratia et sacramentis a peccatorum vulneribus sanat et ad aeternam vitam perducit. Merito ergo tractatum de *Verbo incarnato* alter excipit de *maximis et pretiosis nobis promissis,* quae Pater *per Christum donavit; ut per haec efficiamur divinae consortes naturae* [2]. Verum ex his donis, alia sunt actualia, et consistunt in auxiliis quibus revocamur a malo et promovemur in bonum ; alia sunt habitualia, hisque justi efficimur ; de primis nunc agentes, tractatum de *Gratia actuali* in tria capita dispescimus, scil. : — 1 *de natura gratiae actualis,* — 2 *de ejus efficacia,* — 3 *deque ejusmet necessitate ac distributione.*

CAPUT I.

De natura gratia actualis.

268. **Capitis divisio.** Sicut in ordine naturali Deus non est tantum causa entium, quae ab ipso pendent in esse et conservari [3], sed etiam operationum, quae sine divino influxu elici nequeunt ; ita in superna-

[1] Luc. **10.** 30-5.
[2] 2 Petr. **1.** 4.
[3] Vol. 2, n. 415.

turali efficit et conservat gratiam habitualem, qua filii Dei nominamur et sumus [4], et suo auxilio *operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* [5]. Influxus hic actualis considerari potest in sua *objectiva* realitate prout est motus receptus in intellectu et voluntate, et in sua *gratuitate* prout sine meritis praecedentibus donatur; hinc — 1 *praemissis quibusdam notionibus,* et — 2 revocata ex philosophia doctrina *de primo motore,* dicemus — 3 *de physica entitate gratiae actualis* et — 4 *de ejus supernaturalitate.*

ART. 1 - NOTIONES PRAEVIAE.

269. **Quid gratia secundum nomen et secundum rem.** *Gratia,* juxta etymologiam (χαρίζομαι = *donare*) et receptum usum, dicit *donum* gratuitum seu *indebitum,* quod scil. non habet causam nisi benevolentiam seu amorem donantis [1]. « Quid (enim), inquit AUG. est gratia? *Gratis data.* Quid est gratis data? Donata non reddita » [2], seu « gratuita bonitate donata » [3]. Porro « tripliciter *gratia* accipi consuevit: uno modo *(active)* pro *dilectione alicujus,* sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam regis, i. e. rex habet eum gratum: secundo sumitur *(passive)* pro *aliquo dono gratis dato,* sicut consuevimus dicere: hanc gratiam facio tibi: tertio modo sumitur *(affective)* pro *recompensatione beneficii,* secundum quod dicimur gratias agere beneficiorum » [4]. In praesenti non consideramus amorem quo Deus, cum inimici essemus, dilexit nos, mittens Filium suum pro nostra salute [5]; neque gratias quas in omnibus agere debemus Deo [6]; sed gratiam *objectivam* seu « uti plerumque (in Scripturis sonat) gratuitum Dei beneficium ad aeternam salutem conducens » [7].

---

[4] 1 Joan. **3**. 1.

[5] Phil. **2**. 13.

[1] C. MAZZELLA, *De Grat.* n. 5.

[2] AUG. in *Joan.* tr. 3, n. 9.

[3] AUG. *epist.* 105, n. 4.

[4] S. THOM. 1-2, q. 110, a. 1. Aliquando gratia sumitur *dispositive,* de excellentia seu pulchritudine objecti moventis amantem ad amorem; sed cum de Deo agitur, haec *gratia* non *datur,* quia si « voluntas hominis movetur ex bono praeexistente in rebus », dilectio Dei non movetur a bonitate praeexistente, sed potius « ex dilectione Dei, quâ vult creaturae bonum, profluit aliquod bonum in creatura » S. THOM. *l. c.*

[5] Rom. **5**. 5 sqq.

[6] 1 Thess. **5**. 18; Philip. **4**. 6; Colos. **4**. 2; 1 Tim. **2**. 1, etc.

[7] CORNELY in 1 *Corinth.,* p. 18.

270. **Gratiae definitio.** Gratia potest definiri: *Donum supernaturale (i. e. indebitum) a Deo concessum creaturae rationali, aliquo modo pertinens ad vitam aeternam* [8]. Est *donum* quia non redditur praecedentibus naturae meritis: *supernaturale* quia, improportionatum perfectioni creaturae, nulla de causa ei competi [9]: *concessum creaturae rationali* quia finis gratiae est conjunctio cum Deo quae, cum intellectu et voluntate perficiatur, solis creaturis rationalibus convenire potest [10]: *pertinens ad vitam aeternam* quia « licet posset Deus de potentia absoluta... beneficia indebita hominibus impertiri, quae neque ex se, neque ex ipsius voluntate ad aeternam gloriam conducant, Scriptura tamen, Patres et ecclesiasticus mos nomine gratiae non aliud beneficium significant, quam aeternam gloriam et quod dicit ordinem ad illam » [11]: *aliquo modo* pertinens ad vitam aeternam quia imperfectum ad perfectum ordinatur, ac proinde *reductive* ad illud spectat; unde auxilia actualia, quibus peccata vitantur et bona opera eliciuntur, pertinere intelliguntur ad vitam aeternam, quam gratia sanctificante consequimur.

271. **Gratiarum divisiones.** Gratia alia est naturalis seu *impropria,* alia supernaturalis seu propria; *propria* dividitur in increatam et creatam; *creata* in gratiam Dei et Christi; gratia *Christi* in gratiam patriae et viae; gratia *viae* in internam et externam, praeternaturalem et supernaturalem; *interna* in gratis datam et gratum facientem, habitualem et actualem; *habitualis* in gratiam sanctificantem, virtutes et dona Spiritus S.; *actualis* ratione *subjecti* in gratiam illuminationis et inspirationis, ratione *finis* in sanantem et elevantem, ratione *fructus* in sufficientem et efficacem, ratione *successionis* in excitantem et adjuvantem, operantem et cooperantem, praevenientem et subsequentem, antecedentem et concomitantem.

---

[8] C. MAZZELLA, n. 10.

[9] Creaturae debentur *constitutive* partes essentiales et integrantes, ut anima rationalis homini: *consecutive* quae ex principiis naturae oriuntur, ut intellectus vel voluntas animae rationali: *exigitive* quae in specie vel in genere ei conveniunt ut, juxta suam naturam, bene sit. Cf. Vol. 2, n. 503-4.

[10] Creaturae irrationales respectu gratiae non carent tantum potentia *naturali,* sed etiam *obedientiali,* quae est aptitudo creaturae ut sub influxu causae primae ultra propriam virtutem aliquid recipiat vel agat. S. THOM. 3 p. q. 11 a. 1.

[11] C. MAZZELLA, n. 10. « Hanc, inquiunt episc. Africani in causa Pelagianorum, apostolica doctrina gratiam non immerito appellat, qua *salvamur* et justificamur ex fide Christi ». AUG. *epist.* 117 (alias 105) n. 8.

272. **Gratia naturalis et supernaturalis.** Omnia bona naturae *lato sensu* dici possunt *gratiae*. Et sic « quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid ut cadaver quod non vivit, aut arbor quae non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed homines qui et essemus, et viveremus, et sentiremus et intelligeremus... quia non praecedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est » [12]. *Gratia proprie dicta* non solum meritorum debitum, sed omnem naturae exigentias excludit.

273. **Gratia increata et creata.** *Gratia increata* est Deus prout se ipsum communicat creaturae; quod substantialiter factum est in Christo [13] et accidentaliter habetur in nostra justificatione [14] et beatifica visione [15]: *creata* est effectus divinae virtutis de quo aliae distinctiones intelliguntur.

274. **Gratia Dei et gratia Christi.** Haec distinctio non respicit entitatem gratiae, sed ejus causam; dicitur autem *gratia Dei* quae confertur independenter a meritis Christi, qualis fuit gratia Angelorum et Adami ante peccatum [16]; *gratia Christi* quae nobis datur per merita crucis, quaeque complectitur omnia dona supernaturalia post peccatum Adae hominibus collata [17].

275. **Gratia patriae et viae.** Quamvis gratia sanctificans maneat in coelis et sit radix omnium bonorum quibus cumulantur beati; tamen gratia *viae* nonnihil differt a gratia *patriae*: haec enim inamissibilis est, et completur visione beatifica; illa potest amitti et augeri, comprehenditque fidem, spem, et auxilia ad merendum.

276. **Gratia externa et interna.** *Gratiae externae* sunt bona visibilia, quibus homo juvatur in prosecutione ultimi finis, v. g. doctrina, leges, incarnatio, sacramenta, institutio Ecclesiae, etc. [18]: *gratiae internae* sunt dona spiritualia sive ad modum habitus, sive

---

[12] AUG. *epist.* 177, n. 7; HIER. *Dial. c. Pelag.* II, n. 7; CYRIL. Alex. in *Joan.* I, c. 10; SOPHR. *Epist. syn.* Oecum. VI; DAMASC. *De fide orth.* II, c. 3.

[13] Supra n. 151.

[14] Joan. **14**. 23; 1 Corinth. **6**. 19; ATHAN. ep. 1 *ad Serap.* n. 24; BASIL. *De Spir. S.* c. 9, n. 23; AUG. *De Verb. Dom.* serm. 61, c. 1.

[15] 1 Corinth. **13**. 12; 1 Joan. **3**. 2; IREN. *Adv. haer.* IV, c. 20, n. 5; BASIL. *epist.* 8, n. 7.

[16] Cf. Supra n. 10.

[17] Joan. **1**. 17; Act. **4**. 12; 1 Tim. **2**. 5.

[18] « Ad gratiam externam... revocantur *beneficia per se naturalia*, quibus Deus utitur ad nos supernaturaliter movendos, ut remotio occasionum peccandi, societas bonorum hominum, felices rerum eventus, etiam morbi, infortunia, etc., ipsa mors ». PESCH, n. 25; AUG. in *Ps.* **102**. n. 16.

ad modum actus, quibus Deus elevat intellectum et voluntatem, ut *esse* et *agere* possit in ordine supernaturali [19].

277. **Gratia supernaturalis et praeternaturalis.** *Gratia supernaturalis* seu *supernaturalis quoad substantiam* est illa quae in sua entitate omnes naturae vires superat [20]; *praeternaturalis* seu *supernaturalis quoad modum* quae per se haberi posset viribus naturae, sed de facto, ratione *subjecti* in quo invenitur, vel *modi* quo efficitur, debetur omnipotentiae Dei [21].

278. **Gratia gratis data et gratum faciens.** Licet omnis gratia sit *gratis data*, quia saltem initialiter meritis non retribuitur, et *gratum faciens* quia ordinatur in vitam aeternam; datur tamen gratia in qua ratio *gratuitatis* speciali modo extat, et gratia in qua ordinatio ad sanctificationem magis elucet: prima antonomastice dicitur *gratis data*, et esse potest habitualiter in peccatore, quia ordinata in bonum aliorum; alia dicitur *gratum faciens*, confertur in bonum suscipientis, et complementum habet in justificatione impii. De gratia gratum faciente valent distinctiones mox explicandae, de gratia gratis data extat divisio Apostoli qui ait: « Alii per Spiritum datur *sermo sapientiae*, alii autem *sermo scientiae* secundum eumdem Spiritum, alii *fides* in eodem Spiritu, alii *gratia sanitatum*, alii *operatio virtutum*, alii *prophetia*, alii *discretio spirituum*, alii *genera linguarum*, alii *interpretatio sermonum* » [22].

279. **Gratia habitualis et actualis.** *Gratia habitualis* est donum permanens analogice conveniens cum potentiis animae nostrae, scil. « forma seu qualitas supernaturalis secundum quam suaviter et prompte ab ipso (Deo) movetur (homo) ad bonum aeternum consequendum » : *actualis* est donum transiens generice conveniens cum naturali motione causae primae, scil. « effectus gratuitae Dei voluntatis, quo anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum » [23].

---

[19] Ad gratias internas revocari possunt *pii affectus sensibiles* et bona *phantasmata* divinitus excitata, quibus ad virtutem movemur.

[20] V. g. actus meritorius vitae aeternae.

[21] V. g. sanitas miraculose accepta.

[22] 1 Corinth. **12.** 8-10. *NB.* S. THOM. 1-2 q. 111 a. 4 hanc divisionem habet adaequatam, sed CORNELY in 1 *Corinth.* p. 367 notat hic non numerari omnia charismata, siquidem « ex Rom. **12.** 6 sqq. forte addantur necesse est *exhortatio, distributio, misericordia* ».

[23] S. THOM. 1-2 q. 110 a. 2.

280. **Gratia sanctificans, virtutes et dona Spiritus S.** *Gratia sanctificante* elevatur substantia animae ad consortium divinae naturae, *virtutibus* intellectus et voluntas perficiuntur in ordine ad supernaturales operationes, *donis Spiritus S.* potentiae disponuntur ad specialia auxilia, quibus majores difficultates vitae supernaturalis superantur.

281. **Gratia illuminationis et inspirationis.** Sunt gratiae actuales quibus *intellectus* et *voluntas* moventur ad bene agendum: an vero in omni opere bono requiratur illuminatio et inspiratio, et in his formaliter reponenda sit natura gratiae actualis, suo loco explicabitur.

282. **Gratia sanans et elevans.** Non sunt duae gratiae entitative distinctae, sed duo effectus unius gratiae; si enim in supernaturali auxilio attenditur corroboratio voluntatis contra pravas inclinationes concupiscentiae, gratia dicitur *sanans;* si consideratur augmentum virtutis, quo voluntas fit apta ad actum supernaturalem, dicitur *elevans:* illa removet impotentiam moralem, haec physicam. « Virtute gratuita superaddita virtuti naturae, inquit S. THOM., indiget homo... in statu naturae corruptae quantum ad duo, scil. ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium » [24].

283. **Gratia sufficiens et efficax.** *Sufficiens* dicitur *gratia* qua homo *potest* opera salutaria elicere, *efficax* qua de facto eadem *operatur:* haec distinctio nominalis est; undenam vero sit quod gratia aliquando effectum suum consequatur, aliquando illo frustretur suo loco explicabimus.

284. **Gratia excitans et adjuvans.** Tanta est nostra improportio ad opera salutaria, ut comparemur dormienti, qui ante operationem debet expergefieri [25]. Gratia qua a spirituali somno evigilamus dicitur *excitans,* seu etiam *vocatio;* illa vero qua opera salutis agimus *adjuvans,* secundum illud Psalmi: *Adjuva nos Deus salutaris noster* [26]: *prima* respicit actus indeliberatos, altera, etsi inadaequate et in actu primo considerata confundi possit cum excitante et respicere actus indeliberatos [27], proprie pertinet ad actus deliberatos [28].

---

[24] S. THOM. 1-2 q. 109 a. 2.

[25] *Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Eph. **5**. 14.

[26] Ps. **78**. 9; Ps. **118**. 117; Rom. **3**. 26. « Conatus nostri ad bonum et cassi sunt, si a gratia non *adjuventur,* et nulli, si non *excitentur* ». BERNARD. *De gratia et lib. arb.* c. 13, n. 42; AUG. *De remis. et mer.* II, n. 18; *83 Quaest.* q. 68, n. 5; FULG. *De praed. et grat.* I, c. 22, n. 45.

[27] SCHIFFINI, *De Gratia,* n. 150.

[28] BILLOT, *De Grat.* I, p. 145 gratiam adjuvantem *ratione* tantum distinguit ab excitante, prout scil. excitanti

285. **Gratia operans et cooperans.** Haec distinctio respicit in tium et progressum salutis [29], seu melius actus a voluntate elicitos et imperatos [30]: *cooperatio* enim importat pluralitatem moventium: atqui in actu elicito est unum movens tantum, scil. Deus pro actu indeliberato et voluntas (saltem secundum aliquos) pro deliberato: ergo gratia cooperans proprie pertinet ad actus imperatos seu externos in quibus voluntas, gratia adjuta, movet potentias inferiores, secundum illud AUG.: « Ipse... ut *velimus,* operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut *faciamus,* nobiscum cooperatur » [31].

286. **Gratia praeveniens et subsequens.** Renovatur praecedens distinctio sub alio respectu: illa scil. multitudinem gratiarum distinguit ratione *effectus* ad quem datur, haec discernit per ordinem ad *subjectum* in quo recipitur; unde gratia operans dicitur *praeveniens* vel etiam *antecedens* quia prius confertur voluntati, cooperans vero dicitur *subsequens* quia datur post alteram, secundum illud AUG.: Deus « nolentem praevenit ut velit; volentem subsequitur ne frustra velit » [32].

287. **Historia dogmatis.** Licet doctrina de gratia, utpote fundamentalis in tota oeconomia redemptionis, in Ecclesiae praxi semper integra extiterit, expresse tamen declarari non coepit nisi **saec. 5** cum Pelagius eam negare ausus est [33]. Praecursore THEODORO Mopsuesteno [34], ut libertatem arbitrii contra *Manichaeos* et *Fatalistas* defenderet, PELAGIUS circa an. 410 salutis opus in potestate liberi arbitrii constituit, et coelestis auxilii necessitatem ipsumque gratiae nomen adversatus est [35]. Adam reputans in statu purae naturae conditum, et negans originale peccatum, conclusit hominem etiam nunc *propriis viribus* esse aptum ad consecutionem finis qui fuit possibilis in statu

---

addit consensum liberi arbitrii; sed quia actus deliberatus efficitur novo influxu supernaturali, praeferenda videtur sententia SCHIFFINI, *l. c.* et PESCH, n. 41 qui inadaequate sed realiter distinguunt, prout scil. gratia adjuvans excitanti superaddit influxum quo elicitur actus deliberatus.

[29] S. THOM. 1-2 q. 113 prooem.; 3 p. q. 86 a 4 ad 2; a. 5 ad 1; AUG. *De Grat. et lib. arb.* apud MOLINA, *Concor.* q. 14 a. 13 disp. 42.

[30] S. THOM. 1-2 q. 111 a. 2. Hanc distinctionem S. Doctor *l. c.* explicat etiam de duabus formalitatibus gratiae habitualis, quae prout est justificans dicitur *operans,* prout est principium operum salutarium *cooperans.*

[31] AUG. *De grat. et lib. arb.* c. 17, n. 33.

[32] AUG. *Ench.* c. 22; BILLOT, p. 138-43. — *NB.* Non omnes theologi conveniunt in sensu praedictarum distinctionum gratiae, alii enim gratiam *operantem* et *praevenientem* exponunt de excitante, *cooperantem* et *subsequentem* de adjuvante. PESCH, n. 44.

[33] Cf. Vol. 2, n. 544.

[34] HERGENR. II, p. 212-5.

[35] « Ipsi fecimus nos, sic AUG. (*serm. 26.* De Verb. Apost.) inducit Pelagium loquentem, i. e. ut justi esse-

innocentiae, ac proinde sine indebito auxilio Dei posse universam legem observare, mortalia et venialia omnia vitare, atque aeternam consequi felicitatem [36]. Cum vero catholici innumeris Scripturae testimoniis existentiam gratiae evincerent, versipellis haereticus prius gratiae nomen agnovit [37], dein admisit gratiam externam [38], imo et internam illustrationem mentis [39], sed gratiam habitualem et necessariam [40] motionem voluntatis pertinaciter impugnavit. Erroris comitem habuit COELESTIUM et sectatores JULIANUM, ANIANUM et SENECAM, impugnatus vero ab *Aurelio, Paulino, Hier., Cyril.* Alex. et maxime ab *Aug.* [41], ac pluries proscriptus a *RR. PP.* et *Conc.* [42], penitus est profligatus in *Conc. Milevitano* (416) [43]; in quo, statuta differentia inter statum originalis justitiae et nostrum, atque existentia originalis peccati decreta, definita est necessitas gratiae, qua remittuntur peccata, et adjuvatur homo internis auxiliis mentem aperientibus ad intellectionem mandatorum, et voluntatem moventibus in bonum non solum ut *facilius,* sed ut *simpliciter* possit coelestia appetere et peccata vitare, quin tamen sine speciali privilegio queat omnia venialia diu vitare [44]. Profligatis pelagianis, quaestio de gratuitate gratiae revixit per SEMIPELAGIANOS [45] qui, concessa necessitate gratiae pro implemento mandatorum [46], initium bonorum operum repetebant a natura [47], inde concludentes gratiam retribui praecedentibus

---

mus, justos nos libera voluntate fecimus ». *NB.* Inter praecursores Pelagii numerari possunt ipsi Manichaei, quos impugnare volebat, « docebant enim animam humanam esse membrum Dei et ideo *merito bonae naturae* omnia ei deberi quae ad summam perfectionem et beatitudinem requirantur » PESCH, n. 194.

[36] HERGENR., II, p. 275 sqq.; HIER. *C. Pelag.* dial. 2; CASSIAN. *Collat.* 13 c. 14.

[37] Scil. *gratiam* vocabat liberum arbitrium, quia a Deo datum. C. MAZZELLA, n. 240 « Adjuvat, sic ille, nos Deus per *doctrinam* et *revelationem* suam dum cordis oculos aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, *futura demonstrat,* dum diaboli *pandit insidias, etc.* » Apud AUG., *De grat. Chr.* c. 7.

[39] Apud MAZZELLA, *l. c.* n. 242.

[40] Dicebat praecedentibus meritis dari gratiam qua *facilius* implentur divina praecepta. AUG. Serm. 156 *De Verb. Ap.* c. 12.

[41] HERGENR., II, p. 266-74.

[42] Damnatus est ab *Inn. 1, Zosim., Coel. 1, Leone M.* necnon a *Conc. Carthag.* (411, 416, 418), *Milev.* (416), *Rom.* (417), *Ephes.* (431).

[43] CONC. MILEV. non fuit oecum. convocatione neque celebratione, sed auctoritatem infallibilem mutuatus est a sanctione *Inn. I.* et *Zosimi.* HERGENR., II, p. 270 sqq.

[44] DEZINGER, n. 64-72.

[45] *Semipelagianorum* coryphaei fuerunt VITALIS, CASSIANUS et FAUSTUS: non fuerunt tamen haeretici, quia Vitalis conversus est ab Aug., Cassianus vero et Faustus ante erroris condemnationem mortui sunt. HERGEN., II, p. 294.

[46] Cf. C. MAZZELLA, n. 277.

[47] Doctrinam illustrabant exemplo infirmi qui sanatur quidem medicina praestita a medico, sed postquam ipse

meritis saltem conditionaliter praevisis [48], et negantes donum perseverantiae, quam in potestate liberi arbitrii ponebant [49]. Semipelagiani refutati ab *Aug.* [50], *Prospero,* Auct. libri *De voc. gent.* [51], *Fulgent.* et *Caesario* Arel. [52], proscripti sunt in *Conc. Araus.* II (a. 529) [53], quod totum opus salutis tribuit gratiae Dei, a qua non solum est progressus in virtute et finalis perseverantia, sed etiam pius credulitatis affectus, quo credere incipimus [54]. Haeresis Pelagiana renovata est *saec. 16* per SOCINIANOS redemptionem Christi coarctantes ad perfectam legislationem et promissionem vitae futurae [55], et deducta ad ultima consectaria *saec. 18-20* per RATIONALISTAS ordinem supernaturalem negantes, et per MODERNISTAS cognitionem omnem ex naturae exigentiis non erutam respuentes [56]. Sicut Pelagiani ex defectu, ita contra gratiam per excessum peccaverunt REFORMATORES. Innixa pantheisticis speculationibus **saec. 13** [57], obscuratione jurium primatus R. P. **saec. 14** [58], humanesimo [59] et corruptione [60] **saec. 15,** praecursoribus HUSS et

---

medicum vocavit; et confirmabant evangelicis narrationibus Zachaei, Centurionis et Latronis qui salvi facti sunt postquam Christum quaesierunt.

[48] Ad merita conditionate praevisa recurrebant ut explicarent salutem infantium qui, suscepto baptismo, ante usum rationis moriuntur.

[49] Tribuebant scil. viribus naturae potestatem vincendi omnes tentationes, imo vitandi omnia venialia. Apud HIER. Dial. 2 *c. Pelag.;* CASSIAN. *Coll.* XIII, c 14; HIL. ep. 226 *ad Aug.* n. 4; HERGENR., II, p. 286-8; C. MAZZEL. n. 243 sqq., 276 sqq., 314 sqq.

[50] Ante episcopatum in semipelagianorum sententiam etiam *Aug.* inclinaverat. HERGENR., II, p. 283.

[51] Volumen adjudicatur *Ambr., Prosp., Leoni,* sed nil certi statui potest. HERGENR., II, p. 291.

[52] HERGENR., II, p. 288 sqq.

[53] CONC. ARAUS. non est oecum., sed quia approbatum a *Bonif. II* (a. 530) auctoritatem dogmaticam habet.

[54] DENZINGER, n. 144-171. De dono perseverantiae explicite loquitur CONC. TRID. sess. 6 p. 13 cn. 16 et 22.

[55] HERGENR., VI, p. 410.

[56] Vol. 1, n. 27, 56. *Civiltà Catt.,* 18 magg. 1907 adnotavit Modernistas distinctionem ordinis naturalis a supernaturali tribuisse Scholasticis.

[57] *Pantheismum* docuerunt ALMARICUS de Bennes, DAVID de Dinant, ARNALDUS Brix., etc. apud *Hergenr.,* IV, p. 421 sqq.

[58] PETRUS d'Ailly et GERSON tenebant concilium oecum. auctoritate praecellere R. P., quod docuit etiam CONC. CONSTANT. in hac tamen parte non approbatum a *Mart. V.* HERGENR., V, p. 131 sqq.

[59] Studium formae litterariae ad contemptum Scholasticae duxit; et ex lectione et approbatione auctorum paganorum paullatim est inducta *humanitas* seu oblivio ordinis supernaturalis. HERGENR., V, p. 290 sqq.

[60] Non defuerunt tamen sancti, siquidem haec aetate Deus excitavit *J. Napomoc.* († 1383), *Vinc. Ferreri* († 1419), *Liduinam* († 1433), *Bernard. Senen.* († 1426), *Franc. Rom.* († 1440), *J. a Capistrano* († 1440), *Laur. Justin.* († 1455), *Anton. Florent.* († 1459), *Cather. Bonon.* († 1463), *Didacus* († 1463), *J. Cantium* (†

VICLEFFO [61], **saec. 16** apparuit magna haeresis occidentalis, cujus coryphaeus fuit LUTHERUS. Ex difficultate superandi concupiscentiam [62], naturam ipsam aestimavit originali peccato corruptam, indeque conclusit quod liberum arbitrium est amissum [63], et homo non potest quidquam boni agere, sed omnia opera ejus sunt peccata [64], quae ipsi non imputantur, si fide promissionum apprehendit merita Christi [65]. Haeresis Lutheri [66] systematis formam accepit per ZWINGLIUM [67] et CALVINUM [68]

1473), *Cather. Janu.* († 1474), *Casimir.* († 1483), *Bernard. a Feltria* († 1494), *Francisc. a Paula* († 1507).

[61] VICLEF. negavit visibilitatem Ecclesiae, realem Christi praesentiam in Eucharistia, necessitatem confessionis, etc., docuit autem pantheismum, fatalismum et praedestinationismum. HUSS negavit visibilitatem Ecclesiae, quam societatem praedestinatorum dicebat, divinam Traditionem (solam Scripturam habens pro fonte revelationis), et auctoritatem R. P. — VICLEF. impugnatus ab ep. *Courtney* et *G. Worford,* damnatus est a *Joan. XXII* et *Conc. Const.* (a. 1415); HUSS contradictores nactus est *Steph.* a Palecz, *Andream* Ratisb., *Stanis.* a Znaim, *Steph.* de Dolein, et est proscriptus in *Conc. Const.* (1415) confirmato a. 1418 a *Mart. V.* HERGENR., V, 190 sqq.; 205 sqq.

[62] Apud E. DENIFLE, *Lutero* (1905), p. 112 sqq.; 121 sqq.

[63] Dicebat in spiritualibus hominem non plus valere « quam lapis, truncus aut limus ». LUTH. *Sol decl.,* II de lib. arb. § 7.

[64] « Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo : et dum facit quod in se est, peccat mortaliter ». *Prop. 36* e damn. a *Leone X.* Et CALVINUS (*Inst.* III, c. 14, n. 9) : « Habemus nec unum a sanctis exire opus, quod, si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem ». Similiter MELANCHTHON (*Loc. Theol.* p. 158) : « Nos docemus, justificari sola fide... opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse ».

[65] Omnes REFORMATORES negant justificationem per donum animae inhaerens, sed alii eam dicunt « aliquid quod est in solo Deo, ut favor seu benevolentia ejus *(Calv.);* alii justitiam qua ipse Christus justus est, per quandam fictionem juris imputatam *(Luth.);* alii ipsa justitiae opera quae quis exercet conformiter ad praecepta legis *(Baj.).* BILLOT, *De Grat.* p. 107. — Hunc errorem *saec. 19* renovarunt catholici athomistae, qui negando realem distinctionem substantiae ab accidentibus notionem interioris justificationis per donum animae inhaerens, corrumpere coacti sunt. — ROSMINI docuit peccata non libera (sic) detegi. Decr. *Post. obit.* pr. 35.

[66] LUTHERUS asseclas nactus est MART. BUTZER, J. BRENZ, CAROLOSTADIUM, MELANCHTHONEM, U. HUTTER, OSIANDRUM. *Hergenr.,* VI, p. 22, 30, 37, 102.

[67] ZWINGLIUS procedit a fatalismo, corollarium *pantheismi,* cui totum suum systema innititur : asseclas habuit LEONEM Judae, ENGELHARDT, OECOLAMPADIUM et VADIANUM. *Hergenr.,* VI, 72 sqq.

[68] CALVINUS liberum arbitrium contrarium aestimavit omnipotentiae Dei, et necessitatem agendi desumpsit ab immutabilitate divinae praedestinationis (*Hergenr.,* VI, p. 177-9) : socios autem invenit G. FAREL et T. BEZA.

qui, non exclusa quadam nominali libertate [69], hominem fecerunt instrumentum necessarium in manu Dei ad bonum et malum [70], ita ut gratiae resistere non possit [71], nec meritum habeat bonorum operum [72]. Catholicam doctrinam, jam propositam a *S. Thoma*, contra Novatores tuiti sunt Card. *Cajetanus, J. Eck, H. Emser, T. Murner, Bellarminus, Salesius, Petav., Suarez*, etc. [73]; Lutherus vero, damnatus est a *Leone X* [74], et iterum proscriptus in *Conc. Trid.* (1545-64) quod, traductione originalis peccati explicata, et declarata ejus distinctione a concupiscentia, quae metonimice tantum dicitur peccatum, prout scil. a peccato est et ad peccatum inclinat, genesim justificationis enarrans, docet hominem sub influxu gratiae actualis libere per fidem, spem et caritatem disponi ad justificationem quae efficitur dono animae inhaerenti, collato a Deo per sacramenta, hominem vero, intrinsecus justificatum, auxilio gratiae posse in accepta justitia perseverare, et bonis operibus vitam aeternam mereri [75]. — Protestantium errores renovarunt BAJUS († 1589) et JANSENIUS († 1638) [76]: ille quidem cum Calvino necessitatem mere *extrinsecam* (coactionis) removens a nostra voluntate [77], hic tribuens *passivam*

---

[69] CALVINUS affirmabat libertati non obstare necessitatem internam sed solam externam *coactionem*.

[70] ZWINGLIUS et CALVINUS *(l. c.)* expresse dicunt Deum *auctorem peccati*, a malitia autem peccati eum excusant, quia Deus nulli legi subjicitur *(Zwingl.)* et quia agit intuitu boni *(Calv.)*.

[71] Cooperationem aliquam voluntatis agnoverunt ARMINIANI dicti *syncretistae*, KEMNITIUS vero fassus est etiam potestatem resistendi Spiritui S. HERGENR. VI, p. 436, 440-2.

[72] In hoc omnes REFORMATORES conveniunt.

[73] HERGENR., VI, per totum. Reformatorum haeresis non sola propositione verae doctrinae est impugnata, sed exemplis et laboribus sanctorum; *saec.* enim *16* floruerunt *Hier. Æmil.* (1537), *Ant. M. Zaccharia* († 1539), *Angela Mericia* († 1540), *Cajet. Thiaen.* († 1547), *Joan. de Deo* († 1550), *Franc. Xaver.* († 1552), *Thom. a Villanova* († 1555), *Ignat. Loyola* († 1556), *Petr. de Alcant.* († 1562), *Stanis. Kostka* († 1568), *Joan. Abulensis* († 1569), *Franc. Borgia* († 1572), *Pius V* († 1572), *Martyres Gorgomienses* († 1572), *Ludov. Bertrand* († 1581), *Theresia* († 1582), *Carol. Borr.* († 1584), *P. Canisius* († 1587), *Felix a Cantal.* († 1587), *Catharina de Riccis* († 1590), *Aloys. Gonz.* († 1591), *J. a Cruce* († 1591), *Paschalis Baylon* († 1592), *Philip. Neri* († 1595), *Martyres Japonenses* († 1597), *Franc. Caracciolo* († 1608), *Cam. de Lellis* († 1614), *Franc. Salesius* († 1622), etc.

[74] DENZINGER, n. 625-65.

[75] CONC. TRID. sess. 5 et 6.

[76] Adde QUESNELLUM damnatum a *Clem. XI* a. 1713. Cf. DENZING. n. 1216-1316.

[77] « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit ». *Prop. 39.* BAJUS cum Protestantibus negabat supernaturalitatem originalis justitiae, culpam habebat quasi corruptionem naturae et consequenter docebat quod omnia opera puris naturae viribus elicita erant peccata (DENZING, n. 881-

tantum, et arbitrium concipiens quasi libram quae validiori delectatione gratiae vel concupiscentiae inclinatur [78]. Quare « nullum datur hominibus lapsis adjutorium *sufficiens,* quin sit simul *efficax* » [79]; cum enim homo nunc agitetur concupiscentia, « nisi ista (suavitas Dei) *tanta* fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum cesserint, vel peccabitur vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur » [80]. Porro negata sufficientia gratiae inefficacis, pronum fuit universalitatem distributionis ejus impugnare, quod et fecit negando Christum pro omnibus esse mortuum, et dicendo justis quoque nonnulla praecepta esse impossibilia [81]. Bajus proscriptus ab *Univ. Paris.* (1560), damnatus est a *Pio V* (1567) [82]; Jansenius sectatores habuit abbatem ST-CYRAN, ANT. ARNAULD, AL. ST-AMOUR, NICOLE, PASCAL, DE LA LANE, GIRARD, GERBERON, N. LETOURNEUR, QUESNELLUM, etc. [83], qui impugnati sunt ab *Jsaac Halbert, Bossuet, Fénelon* et maxime a *patribus Soc. Jesu* et pluribus universitatibus, ac damnati a *C. S. U. I.* (1641), *Innoc. X* (1653), *Alex. VII* (1656, 1664), *Alex. VIII* (1690), *Innoc. XII* (1694), *Clem. XI* (1705) [84]. — Ex Novatorum et Jansenistarum haeresi orti sunt **saec. 17** QUIETISTAE et RIGORISTAE. Profecto si liberum arbitrium est corruptum, opus nostrum eo erit perfectius quo minus dependens a nostra cooperatione : hinc QUIETISTAE dixerunt hominem debere suas potentias annihilare, non resistere concupiscentiae, nec conari ad virtutem, sed passive se habere, Deo committendo ut juxta suum beneplacitum in diversa nos moveat [85]. Et similiter si gratia est delectatio bona seu

---

959). Comitem habuit HESSELS et damnatus est a *Pio V* (1567), *Greg. XIII* (1579) et *Urb. VIII* (1641).

[78] Gradum delectationis metiebatur ex circumstantiis et opposita delectatione, quare gratia efficax pro Jansenio est *coelestis delectatio relative victrix,* sufficiens *delectatio parva.* Sectatores habuit ARNAULD, A. A ST. AMORE, JOAN. abb. S. CYRANI, SINGLIN. *Hergen.* VI, p. 468-9, *C. Mazzella,* n. 506-8.

[79] JANSEN. *De Gratia Chr.* III, c. 1.

[80] JANSEN. *l. c.* IV, c. 10. Hinc gratiam sufficientem dicebat « monstrum quoddam singulare gratiae, solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersendae serviens » (*l. c.* III, c. 3), ejusque discipulus GERBERON affirmabat quod « si dabolus posset gratiam dare, non aliam daret quam sufficientem » (apud *Mazz.* n. 509).

[81] HERGENR. VI, p. 469. Gratias sufficientes, quas Jansen. negaverat omnibus *justis,* ARNALDUS et QUESNELLUS ejus discipuli substraxerunt *infidelibus,* ut patet ex dam. *Alex. VIII* pr. 4, 5 et *Clem. XI,* pr. 26-9.

[82] DENZINGER, n. 881-959.

[83] Addi possunt quatuor episc. *Mirepoix, Montpellier, Boulogne, Senez,* et *Card. de Noilles* Paris., qui contra bullam *Unigenitus* appellarunt ad Concilium, et *Scipio Ricci* qui Synod. Pistor. est auctor.

[84] HERGENR. VI, p. 470, VII, p. 41-73; 237-8.

[85] *Quietismum* plusminusve docuerant saec. 12 ABELARDUS, 13 ORTLIEBENSES, saec. 14 ECKHART et PALA-

caritas, « caritas necessaria est ad omnem actionem humanam, ut moraliter sit bona » [86]; quia ergo caritas perfecta difficulter concipitur, RIGORISTAE viam sanctitatis asperrimam fecerunt: gravitate satisfactionum, quas sacramenti susceptionem praecedere volebant, a *poenitentia* peccatores arcuerunt, nimio judiciorum Dei terrore ab *Eucharistia* fideles removerunt, et *cultum B. V. et sanctorum,* quasi honori Dei derogantem, improbarunt [87]. Quietistae et Rigoristae maxime a *S. Alphonso* sunt impugnati, ac damnati ab *Inn. XI* (1687), *Alex. VIII* (1690), *Inn. XII* (1699), *Pio V* (1794), et *Pio X* (1905, 1910) [88]. — Hucusque historiam dogmatis ab Ecclesia definiti reteximus, manet ut verbum de **catholicorum disputationibus** addamus. Hi fatentur hominem solis naturae viribus non posse salutem aeternam consequi, sed egere gratia quae liberum arbitrium non aufert, sed firmat; verum cum de intima natura gratiae et de distinctione gratiae efficacis a sufficiente agitur, valde dissentiunt. Quaestio de natura *gratiae efficacis* exarsit **saec. 16**, cum THOMISTAE et AUGUSTINENSES constituebant in *intrinseca* ejus natura [89], et PATRES SOCIETATIS JESU in *extrinseca* habitudine ad voluntatis consensum, a Deo praevisum et provisum [90]. Causa delata est ad tribunal R. P., et post innumeras disputationes privatas ac publicas, nonnumquam coram ipso SS. Pontifice habitas [91], « vetitum est in quaestione hac pertractanda, ne quis partem suae oppositam aut qualificaret, aut censura quapiam notaret » [92]. De natura *gratiae in genere* disputari coepit **saec. 17**, et THOMISTAE quidem posuerunt in *qualitate viali,*

MITAE (*Hergenr.* IV, p. 202, p. 424-5; V, p. 74; p. 92-3) sed ad perfectum systema pervenit saec. 17 per MICH. DE MOLINOS quem imitati sunt BECCARELLI, MALAVALE, LA COMBE, JOAN. GUYON, FÉNELON reprobati ab *Inn. XII* 12 mart. 1699 (*Hergenr.* VI, p. 117-20).

[86] LUTH., JANS., QUESN. apud *De Aug.* De re sacr. II, p. 1 a. 8; *Hergenr.* VII, p. 53.

[87] Rigoristarum agmen aperuerunt A. ARNAULD et SINGLIN (*Herg.* VI, p 473) quos secuti sunt PAVILLON ep. Alet, GERBERON, DETOURNEUR, QUESNELLUS, NOILLES, RICCI, J. PATUZZI, etc. (*Hergenr.* VII, 45-6, 249, 253, etc.).

[88] INN. XI, ALEX. VIII, INN. XII, PIUS VI, apud DENZINGER, n. 1088 sqq., 1180, 1193 sqq., 1386-8, 1402, PIUS X decr. *20 Dec.* 1905, *8 Aug.* 1910, etc.

[89] *Thomistae* cum BANNEZ, ALVAREZ, T. DE LESMOS efficaciam gratiae repetebant a praemotione physica praedeterminante, *Augustinenses* cum BERTI a delectatione victrici. *Hergenr.* 475-76.

[90] Hanc sententiam primus proposuit MOLINA, a quo illius patroni nomen Molinistarum mutuarunt, secuti vero sunt LA BASTIDA, TOLETUS, ARRUBAL., GREG. DE VALENTIA, BELLARM., VASQUEZ, etc., apud *Hergenr.* 476 sqq.

[91] Ex *Hergen.* 477 sqq. constat esse habitas supra 150 sessiones.

[92] INN. X, 23 april. 1654, apud *Denzinger,* n. 964.

distincta ab actu et recepta in potentia quam applicat ad agendum [93]; MOLINISTAE in *actu vitali* intellectionis et volitionis, qui sicut est ab homine tamquam a causa secunda ita est a Deo tamquam a causa prima supernaturaliter concurrente [94]. In quaestione ab Ecclesia definita dogma vindicabimus ab haereticorum argumentis; in quaestione Scholastica libertate omnibus concessa fruemur, nostram sententiam sine aliorum injuria exponentes.

ART. 2 - DE DEO PRIMO MOTORE.

288. **Multipliciter Deus est causa operationum creaturarum.** « Actionis alicujus rei, inquit S. THOM., res alia potest dici causa multipliciter. *Uno modo* quia tribuit ei virtutem operandi... et hoc modo Deus agit omnes actiones naturae, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt... *(Alio modo)* inquantum... conservat virtutem naturalem in esse; nam etiam... conservans virtutem dicitur facere actionem, sicut dicitur quod medicinae conservantes visum faciunt videre... *Tertio modo* dicitur una res esse causa actionis alterius in quantum movet eam ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota... sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum... *Quarto modo* unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti: et hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto efficacior tanto profundius ingreditur effectum, et de remotiori potentia ipsum deducit in actum... Ipsum (autem) *esse* est communissimus effectus primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus... Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis (ad efficiendum *esse* rerum)... Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet *a)* inquantum *dat virtutem* agendi, et *b)* inquantum *conservat* eam, et *c)* inquantum *applicat* actioni, et *d)* inquantum *ejus virtute* omnis alia virtus agit » [1].

---

[93] BILLUART, GOTTI, etc. (apud *C. Mazzella*, n. 144-6) quibus assentitur BILLOT, *De Grat.*, p. 125 sqq..

[94] MOLINA, BELLARM., VASQUEZ, LESSIUS (apud *Ripalda* Disp. 110, n. 2; 104, n. 5); SUAREZ, *De Grat.* IV, c. 4, n. 2; C. MAZZELLA, 148-70; PESCH, n. 50-65; SCHIFF. n. 136.

[1] S. THOM. *De Pot.* q. 3 a. 7.

289. **De tertio divinae causalitatis modo, seu de divina motione.** Nomen *motionis* derivatur a motu locali [2], sed proprie significat *eductionem de potentia in actum,* quae sicut in motu alterationis, corruptionis et generationis est sine externa violentia, ita in applicatione virtutis ad agendum fit influxu proportionato potentiae motae. Deus, inquit S. THOM., « omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est *activum* principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur » [3]. Et bene dicitur *nisi in his ad quae naturaliter* (h. e. indeliberate, necessario) *movetur,* nam non omnis voluntatis motus est liber. Profecto voluntas « movet seipsam in quantum per hoc quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea quae sunt ad finem [4]. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante... Non est autem procedere in infinitum. Unde necesse est quod in primum motum voluntas prodeat ex instinctu exterioris moventis » [5]. Itaque ante actum deliberatum, cujusmodi est consilium in intellectu et electio in voluntate, datur actus instinctivus, necessarius, indeliberatus: unde in actu libero duplex est motio divina, una qua intellectus et voluntas applicantur ad actus indeliberatos, alia qua applicantur ad deliberatos. Haec altera esse nequit determinata ad unum, ne libertas suâ indifferentiâ privetur; prima semper est determinata, sed determinatio aliquando, ut in naturalibus, est a dispositionibus naturae, aliquando, ut in supernaturalibus, est a sola voluntate Dei [6], qui citra, contra vel supra dispositiones naturae specialiter mentem illustrat et voluntatem inspirat [7].

---

[2] S. THOM. 1-2 q. 7 a. 1.

[3] S. THOM. 1-2 q. 10 a. 4.

[4] Distinctio inter appetitum *finis* et *mediorum,* ut notat BILLOT, *De Grat.* p. 21 « non consideratur ex parte objecti, praecise secundum quod unum realiter refertur ad aliud ut medium, et debet semper ab eo realiter distingui; sed consideratur ex parte subjecti agentis, secundum quod appetitio unius est voluntati principium sese active movendi ad volitionem alterius; ad quod sufficit distinctio rationis ».

[5] S. THOM. 1-2 q. 9 a. 4.

[6] *Motio naturalis,* quae est a Deo tamquam a motore universali, omnino differt a *supernaturali,* quae est a Deo tamquam a motori particulari: actus enim instinctivus qui primâ efficitur respondet dispositionibus subjecti, ac proinde ex tentatione daemonis et concupiscentia esse potest materialiter malus, eoque homo potest *abuti* suo consensu; sed motus gratiae, quo elicitur actus instinctivus supernaturalis, utpote a solo Deo proveniens, essentialiter est bonus eoque homo potest *non uti,* libere resistendo, sed non potest *abuti* seu uti in malum.

[7] « Deus movet voluntatem sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum, et sine hac

290. **De divina motione sententiae plurimae.** Ut taceamus de iis qui necessitatem divinae motionis non agnoverunt [8], Scholastici, qui eam fatentur, in tres abeunt sententias. MOLINISTAE [9] agnoscunt *physicum concursum* Dei in omni actione [10], sed applicationem potentiae ad agendum dicunt dumtaxat *moralem,* et ponunt in constitutione actus primi, qui proxime constituitur operatione causarum secundarum [11], sed tribuitur Deo in quantum ab ipso est motus initialis, et quia ipse ab aeterno sua providentia actiones creaturarum praevidit et disposuit [12]. THOMISTAE [13] divinam motionem dicunt ens quoddam viale, fluens, intentionale, receptum in potentia et distinctum ab actu cujus est causa, eamque vocant *praemotionem physicam* seu *praedeterminationem.* « Vocant *motionem,* quia omnes creaturae illâ ad agendum moventur; *praeviam* vero, quia omnes actiones naturaliter praecedit; *physicam* demum, quia non consistit in illis excitationibus, quibus etiam homo hominem movere potest, et boni angeli suos clientes ad virtutem interius excitant, sed in subministratione interioris virtutis et activa applicatione... : solet etiam vocari *praedeterminatio physica,* quod per illam virtus activa creaturae ex indifferenti et otiosa reducatur ad actum determinatum » [14]. NEO-THOMISTAE [15] mediam viam sequentes, dicunt motionem Dei esse *physicam* et *praeviam,* sed *non praedeterminantem,* siquidem specificatio actus liberi non debetur praemotioni, sed libero arbitrio. Hanc sententiam eligentes, statuimus thesim sequentem.

---

motione homo non potest aliquid velle... Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, sicut in his quos movet per gratiam ». S. THOM. 1-2 q. 9 a. 6 ad 3.

[8] Inter scholasticos saec. 13 lis est agitata, negantibus vero adhaesit saec. 14 *Durandus.* HERGENR., IV, p. 413, V, p. 69.

[9] MOLINAE adhaeserunt fere omnes Patres soc. Jesu, ut SUAREZ, VASQUEZ, DE VALENTIA, etc., et ex recensioribus LIBERATORE, *Metaph. Spec.,* III, n. 66 sqq.; C. MAZZELLA, *De Gratia,* n. 658; PALMIERI, *De Gratia,* p. 439 sqq.; PESCH, V, n. 229 sqq.; TIL. PESCH, *Psych.* n. 971 sqq.; SCHIFFINI, *Metaph. Spec.,* II, n. 581 sqq.; HONTHEIM, *Inst. Theod.* n. 967 sqq.

[10] Hujusmodi concursus *re* non distinguitur ab *actione* creaturae, quae simul est a Deo tamquam a principaliter influente et a creatura tamquam a causa secundaria. S. THOM. *De Pot.* q. 3 a. 7 ad 3. SCHIFFINI, *Metaph. l. c.* n. 571-2.

[11] « Deus creaturam ad agendum applicat, in quantum causae secundae in virtute Dei eam applicant ». HONTHEIM, *Inst. Theod.,* n. 969.

[12] SCHIFFINI, *l. c.* n. 585.

[13] BANNEZ, in I p. q. 14 a. 13; ALVAREZ, *De Auxil.,* III Disp. 18; GOUDIN, *Philos.* 4 p. *De Deo* Prooem. q. 4 a. 1 sqq.; GONET, *Clyp. Thom.* Disp. 9 a. 5 § I. Cf. C. MAZZELLA, n. 608 sqq.; SCHIF., *l. c.* n. 575.

[14] GOUDIN, *l. c.* proëm. q. 4 a. 1.

[15] Hanc sententiam, ut notat SCHNEEMANN, *Contr. de Div. grat. liber arb. conc.* § 1 p. 15, tuentur etiam plures e Soc. Jesu. Revera ita sentiunt PALLAVIC. in 1-2 Disp. 6 q. 2 a. 12; TO-

THES. 33. — 1 *Omnis creatura, cum agit, a Deo movetur,* — 2 *humana vero voluntas applicatur ad agendum motione physica,* — 3 *non praedeterminante.*

291. **Prima pars.** *Deus movet omnes creaturas ad agendum.* Nam in **Scripturis** legimus : *Cor regis in manu Domini, et quocumque voluerit inclinabit illud* [16], et iterum : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* [17] : atqui *inclinare cor* et *operari velle* nequeunt confundi cum creatione et conservatione voluntatis, quam praesupponunt : ergo Dei influxus attingit ipsam operationem [18]. **Ex Patribus** THEOPH. ait : « Dei est operari et nutrire et providere et gubernare et vivificare omnia » [19]. ORIG. docet quod « nullum sabbatum est in quo Deus non operetur, in quo non producat solem suum super justos et malos..., in quo non occidat et vivere faciat » [20]. CHRYS. per singula Dei operationem enarrans, ait : « Cum vides solem orientem, lunae cursum, stagna, fontes, fluvios, pluvias et naturae cursum, sive in seminibus sive in nostris et brutorum corporibus... disce perennem Patris operationem » [21]. HIER. affirmat non posse nos « ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere et cetera hujusmodi, nisi Deus juverit » [22]. AUG. vero notat Deum vestire foenum agri « non praeterita ordinatione, sed praesenti operatione » [23]. **Ratio** apparet sive consideres *actionem* ipsam creaturae, sive terminum ejus seu *rem*

LET. in *II Phys.* q. 8; BELLARM. *De Gratia,* IV, c. 16; *De Sacr. in gen.,* II, c. 11; BECANUS, *De Deo,* c. 18 n. 18 sqq.; ALAMANNI, *Sum. Philos,* 1-2 q. 9 a. 4; PEREYRA, *De com. rerum princ.* VIII, c. 8; SYL. MAUR., *De Deo,* II, q. 87; H. HENRIQUEZ, *De fine hom.* c. 6; MARTINEZ DE RIPALDA, *De usu et abusu doct. S. Thom.* p. 2 q. 2 lect. 1; RUITZ, *De scientia Dei,* Disp. 38 sect. 2 n. 18-19; AZOR, *Inst. mor.,* I, c. 21 q. 8; RASSLER, *Concil. praed. cum lib.;* LAMBERT, *Praem. ad ment. S. Thom.;* MAURI, *Animad. de infl. phys. in caus. creat.* (litogr.); SCHEEBEN, *Dogmatik,* II, 3 Buch n. 61 sqq. (apud *Hontheim*); CORNOLDI, *Filos. scol.* lez. 82; in *Scienza ital.,* marzo 1890; V. REMER, *Summa prael. phil.* II, q. 17, n. 204 sqq.; DE MARIA, *Phil. perepatecio-schol.,* III, p. 379 sqq.; MATTIUSSI lit. *De volunt.;* PIGNATARO, *De Deo Cr.* p. 516 sqq.; BILLOT, *De Grat.* p. 15 sqq. Ex aliis addi possunt CROSTA, *Theol.,* III, n. 419 sqq.; SATOLLI, *De div. op.* disp. 5 lect. 6; LÉPICIER, *De Grat.* p. 190-8; CARD. PECCI, *S. Tom. circa l'influsso divino etc.;* J. VAN DER MEERSCH, *De Div. grat.,* n. 237, 322, sqq.

[16] Prov. **21**. 1.

[17] Philipp. **2**. 13.

[18] S. THOM. *Cg.* III, c. 89.

[19] THEOPH. ad *Autolyc.* I, n. 4.

[20] ORIG. *in Num.* hom. 23. n. 4.

[21] CHRYS. hom. 58 *in Joan.* **5**. 17.

[22] HIER. *Dialog. c. Pelag.* 1. n. 2.

[23] AUG. ep. 205 *ad Cons.* n. 17.

productam. Profecto *a) actio* creaturae non est *ens a se* sed *ab alio:* atqui omne ens participatum est ab ente per essentiam [24]: ergo operatio creaturae est a Deo: atqui in causis subordinatis principalis secundariam applicat ad agendum [25]: ergo. *b)* Accedit quod ens in actu perfectius est ente in potentia: causa ergo creata, cum agit, acquirit perfectionem quam prius non habebat: atqui nemo dat quod non habet: ergo creatura suum actum per alterius motionem accipit; et quia in ordine moventium motorum non est procedere in infinitum, dicere oportet quod omnis creatura movetur a Deo [26]. *c)* Si ad *effectum* nunc animum convertis, facile tibi erit distinguere inter rationem universalem entis et specificationem ejus: atqui ratio entis a creata virtute effici nequit [27]: ergo operationem creaturae semper comitatur influxus Dei, qui proinde tamquam causa principalis creaturam debet movere ad suum effectum producendum [28].

292. **Secunda pars.** *Divina motio, operatione nostra est praevia, physica et immediata.* Est *praevia,* quia concursus simultaneus non explicat coordinationem causarum quae in eundem terminum unica operatione tendunt [29], et quia causa creata indiget motione, non tantum ut ejus virtus intensificetur, sed ut transeat de potentia in actum, quod profecto fieri debet motu applicativo virtutis, ideoque praevio. — Est *physica,* quia impotentia redu-

---

[24] Vol. 2 n. 50.

[25] Duae causae non possunt concurrere in unitatem actionis, si sunt ejusdem rationis; sed possunt cum sunt subordinatae. S. THOM. 1 p. q. 105 a. 5 ad 2; *Cg.* III, c. 70; *De Pot.* q. 3 a. 7 ad 3.

[26] Vol. 2 n. 49.

[27] Causa creata solum instrumentaliter potest producere *ens,* quia virtus causae non coarctatur ad unum individuum, sed se extendit ad omnia ejusdem perfectionis, ut patet de figulo, qui indifferenter se habet ad omnia vasa ejusdem formae; si ergo creatura sua virtute attingeret rationem entis, posset producere omnia entia, quod repugnat. — Item, *quod est maxime tale in aliquo genere est causa ceterorum illius generis* (Cf. Vol. 2 n. 52; SCHIFF. *l. c.* n. 686): si ergo creatura esset causa rationis *entis,* esset causa omnium entium creatorum, ac proinde suipsius quod repugnat. S. THOM. I p q. 104; *Cg.* II, c. 21; III, c. 65; *De Pot.* q. 3 a. 7.

[28] Sic in Petro alia est ratio *entis,* qua convenit cum ceteris omnibus, et alia ratio humanitatis, qua ab aliis distinguitur: quod sit *homo* habet a parentibus, quod sit *ens* a Deo. Quia tamen eadem realitate est *ens* et *homo,* necesse est quod causae utriusque rationis sint subordinatae, ac proinde quod Deus moveat parentes ad actum, quo Petrus fit *ens* et *homo.*

[29] Vide not. 27.

cendi se in actum est physica, utpote fundata in improportione causae ad effectum; impotentiae autem physicae respondet influxus physicus. — Est *immediata,* quia applicatio virtutis ad agendum supponit contactum potentiae motae cum movente: atqui nulla creatura potest immediate tangere animam ejusque potentias: ergo motio Dei, qui solus animae illabitur [30], esse debet immediata. CONFIRMATUR *auctoritate S. Thomae.* S. THOM. loqui de influxu *physico* inde patet quod *a)* illum comparat motui quo voluntas se ipsam movet, et *b)* deducit ex ratione potentiae quae debet « ex instinctu alicujus exterioris moventis » in actum deduci [31]: loqui de influxu *praevio* patet *a)* ex voce *applicationis* quae etymologice praefert notionem virtutis receptae in subjecto [32]; *b)* ex comparatione cum motionibus causarum secundarum [33], quae praevio influxu moventur; et *c)* ex similitudine agentis instrumentalis [34] quod a principali praevio motu applicatur [35]: loqui de influxu *immediato,* inde constat quod tribuit Deo, prout animae illabitur [36].

293. **Tertia pars.** *Divina praemotio non est praedeterminans liberum arbitrium.* Nam *a)* praedeterminatio repugnat libertati, quae dicit activam indifferentiam ad utrumlibet, nec amplius intelligi posset indifferentia voluntatis si independenter a suipsius determinatione haberet indefectibiliter determinatum suum actum. *b)* Accedit quod motio, prout est applicativa virtutis inertis [37], non est necessaria quando voluntas sub influxu praecedentis applicationis

---

[30] Vol. 2 n. 440.

[31] S. THOM. 1-2 q. 9 a. 4.

[32] Hinc *De Pot.* 3 a. 7 ad 3 ait quod « in operatione, qua Deus operatur *movendo naturam,* non operatur natura ».

[33] S. THOM. 1 p. q. 2 a. 3; 105 a. 5; *Cg.* III, c. 89.

[34] S. THOM. l. c.; *Cg.* II c. 21 n. 4;

[35] S. THOM. 3 p. q. 19 a. 1 ad 2; *De Verit.* q. 27 a. 4.

[36] Cf. S. THOM. I p. q. 57 a. 4; q. 106 a. 2; 1-2 q. 6 a. 4 ad 1; q. 9 a. 6 c.; ad 3; q. 81 a. 1; a. 3 ad 1; *Cg.* III c. 88-91. — *NB.* Non obstat quod *De Pot.* q. 7 a. 3 rem illustret exemplo *influxus coelorum,* siquidem juxta opinionem sui temporis, S. THOM. putavit coelum *immediate* influere in omnem operationem terrae. Ceterum Deus etiam *mediate* (Cf. I p. q. 2 a. 3. *Cg.* III c. 8 n. 6; etc.) movet causas secundas; nam primus motus, a quo ceteri pendent, est a Deo, qui insuper sua providentia causarum secundarum influxum dirigit.

[37] Dico *prout est applicativa virtutis inertis,* nam motio altera, qua virtus jam in actu constituta ad consequentem actum movetur, potest specificari ab influxu ipsius virtutis actuatae, unde pertinet ad *quartum* motionis genus, quod S. THOM. tribuit Deo ut causae universalissimae entis.

seipsam movet; quare motio determinativa virtutis respicit tantum actum instinctivum seu indeliberatum: quia ergo determinatio instinctivae inclinationis non potest secum ferre necessitatem electionis, quin libertas pessumdetur, negandum est praemotionem, utut physicam, determinare actum liberum. CONFIRMATUR *auctoritate S. Thomae,* qui determinationem actus liberi constanter tribuit voluntati. « Applicatio, inquit, causati ad causam suam potest esse dupliciter: vel ita quod *sit in potestate causati* a causa sua *recedere* quantum ad aliquid vel *non recedere,* vel ita quod *non sit in potestate ejus:* et primum pertinet ad liberum arbitrium; quia hoc est essentiale libero arbitrio ut possit *facere* vel *non facere* » [38]. « Dominium quod habet voluntas supra suos actus... *excludit determinationem* virtutis *ad unum* et violentiam causae exterius agentis » [39]. Voluntas « *ipsa determinat sibi* suum velle » [40], et « quod determinate exeat in hunc actum vel in illum *non est ab alio* determinante sed *ab ipsa* voluntate » [41]. Neque haec indeterminatio competit voluntati tantum quoad causas secundas; Deus enim, « cum omnia moveat secundum rationem mobilium, ut levia sursum et gravia deorsum, etiam voluntatem movet secundum ejus conditionem, *non ut ex necessitate* sed *ut indeterminate* se habentem ad multa » [42]; scil. « causa prima non agit in voluntate ut eam *de necessitate ad unum determinet,* sicut determinat naturam, et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis » [43].

294. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(Contra 1 part.).* In natura non sunt tantum potentiae passivae, sed *activae* quae, positis aptis conditionibus (h. e. actu primo), ex sese habent ut operentur, ut patet de vapore constipato qui, remoto obstaculo, ex sese movet embolum: ergo divina motio non est necessaria ut creaturae agant. **Resp.** Potentia *activa* non differt a *passiva* quia ex sese habet omnia necessaria ad agendum, secus causa instrumentalis vocanda esset potentia passiva; sed quia ordinatur ad eliciendum actum et non tantum ad recipiendam formam; unde cum talis potentia, utut activa, non sit actus, eget externa motione ut suam activitatem exerat. Porro exem-

---

[38] S. THOM. *II Dist.* 23 q. 1 a. 1.

[39] S. THOM. *Cg.* I, c. 68.

[40] S. THOM. *De Verit.* q. 22 a. 6 ad 1.

[41] S. THOM. *II Dist.* 39 q. 1 a. 1.

[42] S. THOM. *De Malo* q. 6 a. unic.; ad 3; *Quodl.* I a. 7 ad 2.

[43] S. THOM. *De Pot.* q. 3 a. 7 ad 13. Cf. 1 p. q. 41 a. 2; 1-2 q. 9 a. 3; q. 80 a. 1 ad 3; *De Malo* q. 3 a. 3 ad 5; q. 6 a. unic. ad 20; *IV Dist.* 49 q. 1 a. 3 ad 5.

plum adductum non est ad rem, quia vapor constipatus jam est in actu, et, remoto obstaculo, non incipit suam operationem, sed, mutata superficie, in embolum applicat vim, quam prius in immobiles parietes exercebat.

295. **Objic. 2.** Applicatio virtutis ad agendum inutilem reddit actionem causarum secundarum, ac proinde inducit occasionalismum improbatum a S. Thoma [44] : ergo. **Resp.** Necessitas divinae motionis non obstat activitati rerum, sed solum earum independentiae a causa prima, ut patet de serra quae moveri debet ab artifice, ut suam vim scindendi exerat.

296. **Objic. 3.** *(Contra 2 part.)* Praemotio physica obstat libertati, siquidem repugnat quod voluntas sub tali motione non agat. **Resp.** Si praemotio physica immediate attingeret actum liberum ut determinata ad unum *conc.;* si respicit tantum actum instinctivum, vel non est determinata ad unum, *neg.* Qui attente considerat actus liberi arbitrii, noscit voluntatem, cum abstinet ab actu, non negative se habere, sed elicere actum *nolitionis* [45] : ut itaque sub praemotione voluntas servet libertatem, non est necesse quod possit abstinere ab actu, sed sufficit quod ad unum non determinetur; ut patet de nauta qui, orto vento, necessario movetur, sed elective tendit in determinatum locum, quem libera inclinatione gubernaculi assequitur.

297. **Objic. 4.** *(Contra 3 part.)* Si recepta motione Dei, voluntas se determinaret ad unum, daretur actio (scil. ipsa determinatio) independens a Deo : atqui hoc repugnat : ergo. **Resp.** Determinatio voluntatis dependet a Deo quia sequitur actum indeliberatum elicitum divina motione, et fit per virtutem ejusdem motionis, sicut fit per virtutem universalis appetitus boni; communis enim appetitus et motio divina *virtualiter* continent electiones quae priorem actum instinctivum consequi possunt [46].

298. **Objic. 5.** Humanae libertati non obstat praedestinatio : ergo neque praedeterminatio. **Resp.** *Nego paritatem.* Nam « praedestinatio

---

[44] S. Thom. 1 p. q. 105 a. 5; 115 a. 1; *Cg.* III c. 69; *De Pot.* q. 3 a. 7.

[45] S. Thom. *De Malo* q. 2 a. 1 ad 2.

[46] « In divina praemotione ponenda est causa et ratio actus volitivi indeliberati, quo vel bonum in communi appetimus, vel consiliari incipimus, vel aliquod singulare bonum, impellente determinata motione, inclinamur. Quod autem libere in virtute illius inclinationis, vel universalis appetitus felicitatis, ad hoc potius quam ad illud flectamur, non est determinatum a praemotione, licet in virtute ipsius praemotionis fieri possit et fiat. Nempe Deus etiam in actum liberum influit, prout in facultate ponit id *quo* actualiter agit et eligit; sed ita influit ut praemotio actum producat, quin sit ratio determinans cur hoc eligatur prae alio ». Mattiussi in *epist.*

non est forma existens in praedestinato sed in praedestinante »[47], unde exercitium liberi arbitrii non impedit quantumcumque in se sit determinata; at praemotio recipitur in voluntate quam movet; unde, si est determinata ad unum, voluntas ad utrumlibet moveri nequit.

299. **Objic. 6.** Praedeterminatio non obstat libertati, *a)* quia omnipotentia Dei attingit etiam *modum actus,* unde actum liberum ita praedeterminat ut maneat contingens: *b)* quia sub praedeterminatione intellectus non proponit voluntati *objectum* uti necessarium: *c)* quia necessitas respicit *actum secundum,* ac proinde est consequens non antecedens: *d)* quia sub praedestinatione manet libertas *in sensu diviso,* quod sufficit ad libertatem[48]. **Resp.** *a)* Omnipotentia Dei non salvat libertatem *praedeterminando libere,* quod contradictionem involvit, sed virtutem applicando motione non praedeterminante; hoc enim est movere potentiam liberam secundum ejus naturam. *b)* Libertas non est proprietas *intellectus* sed *voluntatis;* unde si praedeterminatione voluntas movetur ad unum, etiam manente indifferentia judicii, illa frustraretur. *c)* Necessitas *consequens* intelligitur in *actu secundo,* quando actus in sui existentia vel specificatione determinatur ab ipsa voluntate, sed si determinatio est ab extrinseco principio, necessitas dici nequit *consequens* exercitium libertatis, sed est *antecedens. d)* Sensus *compositus* et *divisus*[49] salvat libertatem si *determinatio* actus est a voluntate, siquidem ad libertatem non requiritur quod voluntas in sensu composito cum suo actu maneat indifferens[50], sed sufficit quod in sensu diviso ab illo, habeat potestatem ad utrumlibet[51]: at in sententia Thomistarum inepte adducitur, quia si libertatem dividis ab *actu,* dividis etiam a praedeterminatione, sine qua *non potest agere;* si componis cum praedeterminatione, voluntas, *tenetur agere illo modo determinato,* et sic non habet *activam* indifferentiam exercitii vel specificationis.

ART. 3 - DE PHYSICA ENTITATE GRATIAE ACTUALIS.

300. **Quaestionis ratio.** Sicut operationes, quae sunt in naturali potentia naturae, efficiuntur divina motione eidem *exigitive debita,* ideoque naturali; ita operationes supernaturales, ad quas natura retinet tantum potentiam obedientialem, efficiuntur divina motione supernaturali quae est gratia actualis, a S. THOMA definita: « Effectus gratuitae Dei volun-

[47] S. THOM. *De Verit* q. 6 a. 3 ad 8.

[48] THOMISTAE apud *C. Mazzella,* n. 612-4.

[49] S. THOM. *De Verit.* q. 6 a. 3 ad 8; a. 4 ad 8.

[50] V. g. sedens, *dum sedit,* non potest *stare.*

[51] Scil. sedens, praecisione facta ab *actu sedendi,* potest *stare.*

tatis, quo anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum » [1]. Porro in naturali motione duplicem divinum influxum consideravimus ratione saltem distinctum : *applicationem* scil. virtutis ad agendum, quae natura *praecedit* operationem creaturae, et *effectionem* operationis ejusque termini, quae est *simul* cum exercitio virtutis creatae : etiam in quaestione de gratia investigare oportet, quid gratia actualis sit *terminative* seu adaequate inspecta et quid *principiative* seu inadaequate considerata.

301. **Quid gratia terminative inspecta.** Gratia terminative inspecta identificatur cum actu, qui ipsa perficitur; unde resolvitur in actus intellectus et voluntatis [2], qui dicuntur *illustrationes* seu *vocationes* et *inspirationes* seu *pii affectus* [3]. Gratiae quae conferuntur intellectui dicuntur *illustrationes,* quia ostendunt bonum appetendum, ac proinde sunt quasi lux mentis, qua in hoc caliginoso loco illuminamur [4]; dicuntur *vocationes* [5] quia sunt interiores quaedam locutiones, quibus ad bene agendum vocamur : gratiae quibus movetur voluntas dicuntur *inspirationes* quia sunt quasi ventus quo a Spiritu S. in bonum agimur [6]; et dicuntur *pii affectus* potiusquam *delectationes,* ut mallent AUGUSTINENSES [7], quia si ordinarie consistunt in actibus delectationis [8], aliquando tamen perficiuntur aliis piis operationibus voluntatis, puta actibus *timoris, pudoris, doloris* et *desiderii* [9].

---

[1] S. THOM. 1-2 q. 110 a. 2.

[2] S. THOM. *l. c. cognitionibus* et *volitionibus* addit *actiones* seu opera externa; sed quia gratia in sola potentia spirituali subjectatur, *actiones* reducuntur ad volitiones quibus imperantur.

[3] Tum actus *indeliberati,* tum *deliberati* dici possunt gratiae actuales; sed primi *simpliciter,* quia quoad existentiam et specificationem sunt a *solo Deo;* secundi *secundum quid,* quippe sunt *dona* simul *et merita* (CONC. TRID., sess. 6 cp. 16; GREG. M. *in Ezech.* hom. 8 n. 2) : *dona* quia, gratiis praecedentibus praeparati, eliciuntur influxu entitative improportionato naturae; *merita* quia elective sunt a consensu voluntatis. PESCH, n. 32 sqq.; SCHIFFINI, n. 139.

[4] 1 Petr. **2**. 9. In Scripturis *lux* est symbolum ordinis supernaturalis. KNAB. *in Joan.* p. 71.

[5] Rom. **8**. 30; **9**. 24; 1 Corinth. **7**. 15; Gal. **1**. 6; **5**. 8; 2 Tim. **7**. 9. etc.

[6] « *Inspiratio* significat quamdam motionem ab exteriori; est enim considerandum quod in homine est duplex principium movens : unum quidem interius quod est ratio; aliud exterius quod est Deus ». S. THOM. 1-2 q. 68 a. 1.

[7] C. MAZZELLA, n. 629.

[8] AUG. *De Spir. et Litt.* c. 3 et 4; *ad Simpl.* I, q. 1; *C. Fortun.; ad Bonif.* II, c. 9; *De grat. Chr.* c. 24; *De pecc. merit.* II, c. 18 sqq.; *Enar. in Ps.* **84**. 85; *De imp. et concup.; in Joan.* tr. 26 sqq.

[9] AUG. *De corr. et grat.* c. 5; serm. 248 (alias 214) *De Temp.;* enar. *in Ps.* **79**. c. 13. « Trahit, inquit PROSP. *C. Collat.* c. 7, alter ex discipulis S. AUG., *timor;* principium enim sapientiae timor Domini. Trahit *laetitia;* quoniam laetatus sum in his, quae dicta

302. **Quid gratia initialiter seu principiative inspecta.** Etsi cordati auctores unanimiter doceant divinum influxum immediate attingere actum intellectus et voluntatis [10], siquidem « natura humana magis est corrupta per peccatum quantum ad *appetitum* boni, quam quantum ad cognitionem veri..., ex quo fit ut... motus voluntatis, qui ex illustratione (mentis) per se consequitur, plerumque... non sufficiat, nisi speciali alia Spiritus S. inspiratione inclinetur voluntas » [11]; tamen dissentiunt quoad naturam hujus influxus. MOLINISTAE, considerantes quod « Deus non agit aliqua actione quae sit extra ipsum, quasi ab ipso exiens et in creaturam terminata, sicut calefactio exit ab igne et terminatur in ligna, sed ejus *velle* est ejus agere » [12]; dixerunt divinum influxum *re* non distingui ab actu creaturae, sed esse ipsam vitalem intellectionem et volitionem, prout specialem perfectionem mutuatur a Deo supernaturaliter agente [13]. THOMISTAE, notantes gratiam esse supernaturalem motionem, motionem vero influxum praevium exercitio virtutis motae, dixerunt gratiam esse « entitatem quamdam physicam non vitalem, nec intentionalem, fluentem non permanentem, principium actus salutaris cujuscumque » [14]. NEO-THOMISTAE conveniunt cum Thomistis circa naturam supernaturalis influxus gratiae; sed hanc motionem *determinatam* ad unum intelligunt de actu instinctivo et indeliberato, sub cujus influxu voluntas applicatur ad agendum motione *universali,* per se indifferenti ad actum consensus vel dissensus, qui a libero arbitrio determinatur. — Quaelibet ex praedictis sententiis *tuto* defenditur; ultimam tamen eligimus, quia motionem determinatam non ponendo in actu libero, indifferentiam voluntatis salvat [15], influxum vero divinum, dicendo praevium, notionem *applicationis* virtutis servat, et de transitu potentiae in actum rationem reddit [16]; dum Molinistarum concursus simultaneus ordinem tantum habens ad effectum, non explicat quomodo causa creata de potentia in actum exeat [17].

303. **Errores — Veritas.** Omnem supernaturalem influxum in operibus salutaribus denegarunt ex antiquis PELAGIANI et ex

---

sunt mihi. Trahit *desiderium;* quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt *delectationes;* quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo. Et quis perspicere et enarrare posset, per quos *affectus* visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat sequatur; quae oderat diligat; quae fastidiebat, esuriat? ».

[10] Quidam, recensiti a *Petav.* et *Vasquez* apud *Mazzella,* n. 113, necessitatem immediati influxus divinae gratiae coarctarunt ad intellectum, sed eorum sententia est obsoleta.

[11] SCHIFFINI, n. 140.

[12] S. THOM. *Cg.* II, c. 31 n. 4.

[13] Auctores indicavimus n. 290.

[14] Apud *C. Mazzella,* n. 145. Auctores vide n. 290.

[15] Supra n. 293.

[16] Supra n. 292.

[17] Auctores dedimus n. 290.

modernis RATIONALISTAE autumantes naturam sufficere ad omnia quae in ejus perfectionem ordinantur : gratiam constitui *illuminationibus* et *inspirationibus,* prout sunt actus intellectus et voluntatis, negatur a pluribus THOMISTIS [18] : illuminationes vero et inspirationes esse *internas* seu immediate a Deo excitatas impugnarunt PELAGIANI [19]. — **Veritas.** *Existentia divini auxilii* definita est in CONC. MILEV. II : « Quisquis dixerit gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos *adjuvare* ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus et valeamus, a. s. » : *gratiae subjectum* implicite docuit CONC. ARAUS. II : « S. q. per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, *cogitare,* ut expedit, aut *eligere*... posse confirmat, absque illuminatione et ispiratione Spiritus S... haeretico fallitur spiritu » : *internum gratiae influxum* testantur CONC. MILEV. modo relatum et COELEST. 1 : « Ita Deus in *cordibus* hominum atque in *ipso libero* operatur *arbitrio,* ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit » [20].

THES. 34. *Gratia — 1 vires physicas et efficacissimas addit · 2 intellectui et voluntati, — 3 hasque potentias immediate excitat.*

304. **Prima pars.** *Gratia vires physicas et efficacissimas addit naturae.* Nam, ut videbimus agentes de gratuitate et de necessitate gratiae, **Scripturae** praedicant absolutam nostram impotentiam in opere salutis : atqui gratiâ opera salutis agere possumus : ergo gratia vires efficaces addit nostris potentiis. Hinc legimus quod Deus suâ gratiâ *nobiscum agit* [21], *dirigit pedes nostros* in viam pacis [22], *inclinat* cor nostrum in testimonia sua [23], *convertit nos* [24] et *excitat a somno* spirituali [25], *vocat* vocatione sua sancta [26], *trahit* ad se [27], etc. ; haec autem notionem exhibent auxilii, quo vires naturae

---

[18] ALVAREZ, GOTTI et BILLUART apud *Mazzella,* n. 135 ; PESCH, n. 50.

[19] Supra n. 287.

[20] CONC. MIL., II cn. 4 ; ARAUS., II, cn. 7 ; COELEST., I ep. 21 cn. 9 ; TRID. sess. 6 cp. 5.

[21] *Non ego, sed gratia Dei mecum.* 1 Corinth. **15.** 10.

[22] Luc. **1.** 79.

[23] Ps. **118.** 36.

[24] Thren. **5.** 21.

[25] Eph. **5.** 14.

[26] 2 Tim. **1.** 9.

[27] Joan. **6.** 44.

perficiuntur. — **Patres** dicunt cum AUG. *a)* divinâ gratiâ « dari *vires* pugnandi adversus concupiscentias, inspirari *virtutem* » [28], « praeberi *vires efficacissimas* voluntati » [29]; gratia enim, ut loquitur BERN., « liberum *excitat* arbitrium cum seminat cogitatum, *sanat* cum immutat affectum, *roborat* ut perducat ad actum » [30]. *b)* Porro juxta Patres *tanta* est *virtus* gratiae, ut illa Deus valeat quemcumque convertere [31], et « qui gratia agitur, agere ipse vix intelligatur » [32] : *tanta* vero est *necessitas*, ut sine illa homo sit simpliciter impotens ad bene agendum. « Sicut homo, inquit AUG., debilis et infirmus *non potest* recte *ambulare*, nisi ab aliquo adjuvetur, ita neque liberum arbitrium, nisi adjuvetur a Deo » [33]; unde Christus non dixit « sine me *parum* potestis facere; sed *nihil* potestis facere. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest *sine quo nihil fieri potest* » [34]. **Ratio** sumitur ex praedictis de divina motione; sicut enim opus naturale eget divina praemotione, qua potentia in actum ducatur; ita opus salutare ex potentia obedientiali creaturae procedere nequit, nisi proportionato ideoque supernaturali influxu a Deo moveatur : atqui supernaturalis influxus est gratia actualis : ergo.

305. **Secunda pars.** *Influxus gratiae respicit intellectum et voluntatem.* Nam in **Scripturis** gratia dicitur *illuminatio* et *inspiratio :* atqui illuminatio pertinet ad intellectum, inspiratio ad voluntatem : ergo. Quoad ILLUMINATIONEM INTELLECTUS legimus : *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte* [35], et iterum : Deus... *illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei* [36], etc.; quibus testimoniis et illa possunt addi quae exprimunt divinam *vocationem* [37] et nostram *auditionem* [38] seu *cognitionem* [39]; vocatio enim est interior locutio quae fit ad intel-

---

[28] AUG. *De verb. Isai.* ser. 42, n. 3.

[29] AUG. *De grat. et lib. arb.* c. 16.

[30] BERN. apud *Ripalda* disp. 110 sect. 4.

[31] « Quis tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates, *quas* voluerit, *quando* voluerit, *ubi* voluerit in bonum non posse convertere? » AUG. *Ench.* c. 98.

[32] AUG. *De gest. Pelag.* c. 3.

[33] AUG. *De Grat.* III, c. 14, n. 2.

[34] AUG. in *Joan.* tr. 81, n. 3; COEL. I, CONC. MILEV. et ARAUS, n. 298.

[35] Ps. **12**. 4; **17**. 29.

[36] 2 Corinth. **4**. 6; Eph. **1**. 16-7.

[37] *Vocavit vocatione sua sancta.* 2 Tim. **1**. 9; 1 Corinth. **7**. 10; 2 Thess. **1**. 11.

[38] *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Joan. **6**. 45.

[39] *Nemo... Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare.* Matth. **11**. 27. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* 2 Corinth. **3**. 5.

lectum, cujus similiter est audire et cognoscere spiritualia. De INSPIRATIONE VOLUNTATIS sunt testimonia quae loquuntur de *dulcedine* benedictionis et de *dilatatione* cordis [40]; dulcedo quippe animae est *amor*, et dilatatio cordis *desiderium;* unde Deus infundit dulcedinem et dilatationem cordis prout movet voluntatem ad amandum et ad desiderandum ea, quae sunt ordinis spiritualis. Hinc Paulus tribuit Deo nostrum *velle* [41] et Christus ait : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [42]; manifestum est autem quod nostrum *velle* a Deo esse nequit, nisi efficienter, prout Deus movet voluntatem; quod exprimitur etiam a *tractione*, profecto non corporis, sed appetitivae potentiae, quae est voluntas. — De ILLUMINATIONE MENTIS **Patres** cum AUG. *a)* docent quod « homo per gratiam... divinitus *illustratur* » [43] atque « secretis per *visa mentis*... admonitionibus *vocatur* [44] »; hae autem *bonae* et *piae cogitationes* [45] apprime distinguuntur ab externa praedicatione [46], siquidem eas « non sono aut voce Pater nobis immittit, sed illuminatione mentis » [47]. Sicut autem bonis cogitationibus Deus illuminat mentem, ita PIIS AFFECTIBUS INSPIRAT VOLUNTATEM. Revera ECCLESIA orat ut Deus sua *inspiratione* attollat mentes nostras, duritiam *cordis* avertat, *cordibus* nostris rectitudinem semitarum suarum tribuat, etc. [48] : COELEST. I sanctis cogitationibus addit *pium consilium* omnesque motus *bonae voluntatis* [49] : CONC. CARTHAG. distinguit inter gratiam qua *scimus*, et illam qua facere *diligimus* et valemus [50] : GREG. M. dicit quod Deus « creat in sanctorum cordibus *amorem* », ita ut « quidquid in sanctorum virtutibus agitur, ejus sit gratiae, qui merita largitur » [51] : AUG. observat Pelagio quod « *cognitio* et *dilectio* sunt discernenda » [52], quippe

[40] *Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis tuae.* Ps. **20**. 4. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ps. **118**. 32.

[41] *Qui operatur in vobis velle et proficere pro bona voluntate.* Philip. **2**. 13.

[42] Joan. **6**. 44; **12**. 32; Cant. **1**. 3.

[43] AUG. *De morib. Manich.* II, c 17.

[44] AUG. *ad Simpl.* I, q. 2, n. 2.

[45] AUG. *De grat. et lib. arb.* c. 7; *De dono persev.* c. 8; *in* Ps. **102** n. 16; CYRIL. Alex. in *Joan.* IV, c. 5; GREG. M. *in Ezech.* I, hom. 8, n. 2.

[46] « Frustra, inquit FULG. *ep.* 17, n. 67, exterioribus auribus sonat (praedicatio), nisi Deus spirituali munere auditum hominis interioris aperiat ».

[47] CYRIL. Alex. *in Joan.* IV, c. 5.

[48] LEO M. *Sacram.* in variis collectis apud C. MAZZELLA, n. 127.

[49] COEL. I *C. Semipel.* ep. 21, c. 9.

[50] CONC. CARTH. a. 418, cn. 4.

[51] GREG. M. in *Ezech.* I hom. 8, n. 2.

[52] AUG. *De gratia Chr.* c. 26.

« gratia agitur non solum ut facienda *noverimus*, verum etiam ut cognita *faciamus;* nec solum ut diligenda *credamus*, verum etiam ut credita *diligamus* »[53]; unde gratiam vocat « *voluptatem* cordis cui panis dulcis est ille coelestis »[54]. — **Ratio** est manifesta; *nil enim volitum quin praecognitum:* antequam ergo voluntas appetat bonum spirituale, intellectus debet illud percipere in ordine supernaturali, ac proinde influxu gratiae[55]. At illuminatio intellectus non sufficit : impotentia enim voluntatis ad ordinem supernaturalem non est ex solo *defectu propositionis objecti* appetibilis, sed maxime ex *defectu virtutis*, siquidem manente concupiscentia, bonum spirituale non *sapit* seu non sufficienter inclinat voluntatem, et facta propositione objecti, voluntas adhuc manet *in sola potentia:* ergo ad opus salutare praeter illuminationem intellectus requitur motio supernaturalis[56], seu inspiratio voluntatis.

306. **Tertia pars.** *Gratiae influxus non est tantum externus sed etiam internus.* Nam **Scripturae** *a)* nostram impotentiam extendunt ad totum opus salutis scil. ad initium, progressum et complementum[57]; ita ut sine Christo *nihil* valeamus[58], et ex Deo tantum sit nostra sufficientia ad cognoscendum[59], ad volendum et ad agendum[60] : ergo juxta multitudinem et diversitatem actuum, datur multiplex et diversa gratia actualis : atqui actus interni ab externis distinguuntur; ergo praeter gratiam externam datur interna. *b)* Ceterum Scripturae expresse distinguunt gratiam ex-

---

[53] AUG. *l. c.*, c. 12.

[54] AUG. in *Joan.* tr. 26, n. 4; in *Verb. Isai.*, serm. 42, c. 3.

[55] Qui cum BILLOT fidem specificant *ex solo principio*, inde arguunt, quod cognitio esse debet in eodem ordine finis; ut igitur fidei actus sit in ordine salutis (scil. *sicut oportet*), esse debet supernaturalis, ac proinde elicitus auxilio gratiae.

[56] Haec necessitas gratiae manifesta est in actu supernaturali elicito a peccatore : in justo, in quo sunt habitus virtutum, BILLOT, *De Grat.* p. 89, negat necessitatem gratiae proprie dictae ad singulos actus supernaturales, pro quanto actuatio supernaturalium habituum, spectat ad Deum sub ratione primi motoris, cujus est causas secundas *secundum earum naturas* deducere in actum. At quaestio est de *voce* potius quam de *re;* siquidem BILLOT, p. 89 concedit motionem actuantem justum ad opera virtutis esse ordinis supernaturalis.

[57] *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Phil. **1**. 6.

[58] *Sine me nihil potestis facere.* Joan. **15**. 5.

[59] *Non quod sufficientes simus cogitare,* etc. 2 Corinth. **3**. 5.

[60] *Operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Philip. **2**. 13.

ternam praedicationis, ab *unctione Spiritus S.* quae interius operatur [61], dicentes quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* [62]; unde virtutem gratiae illustrant exemplis *vitis* et *olivae* [63], in quibus vigor plantae ab intrinseco communicatur ramis. — **Patres** *a)* ut inimicos gratiae damnarunt illos quoque Pelagianos qui gratiam externam non negabant [64]; *b)* ministerium hominum, quo conferuntur gratiae externae, opposuerunt sublimiori operationi Dei, qui sua gratia intrinsecus ad ipsum cor loquitur [65], et *c)* diversum gratiae influxum considerarunt in illuminatione mentis et in inspiratione voluntatis [66], sicut in actibus instinctivis [67] et in deliberatis [68], qui profecto in hypothesi unius gratiae externae unico supernaturali impulsu excitarentur: ergo. **Ratio** *sumitur ex praedictis.* Necessitas siquidem gratiae non est tantum ex defectu cognitionum, sed ex *debilitate* potentiarum consequente originale peccatum, ex *improportione* virtutis ad effectum, et ex *potentialitate* facultatum quae ad agendum debent applicari: atqui hi defectus sunt intrinseci intellectui et voluntati; ergo interna est gratia qua intellectus et voluntas adjuvantur [69].

ART. 4 - DE SUPERNATURALITATE SEU GRATUITATE GRATIAE.

307. **Quaestionis sensus.** Gratiam consideravimus in physica entitate, manet ut inspiciamus in morali ratione, qua est *donum indebitum*: convertimus autem *gratuitatem* cum *supernaturalitate*, quia donum

---

[61] *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed unctio ejus docet vos.* 1 Joan. **2.** 27, coll. 20; Hebr. **1.** 9; 2 Corinth. **1.** 21.

[62] 1 Corinth. **3.** 7. Scil. « ipse in bonis arboribus cooperatur fructum, qui et *forinsecus* rigat, atque excolit per quemlibet ministrum, et per se dat *intrinsecus incrementum* ». AUG. *De grat. Chr.* c. 19.

[63] Joan. **15.** 1 sqq.; Rom. **11.** 17.

[64] AUG. *De gratia Chr.* c. 7 et 40.

[65] GREG. M. *in Evang.* hom. 17; AUG. *in Joan.* tr. 80; *De Pecc. merit. et rem.*, I, c. 25; CYRIL. Alex. *in Joan.* IV, c. 1; FULG. ep. 17 n. 67; *De praed. et grat.* I, c. 22, n. 45; GREG. M. *in Ezech.* I, hom. 8; BERN. *De conv. ad cler.* c. 1, etc.

[66] Supra n. 305.

[67] AUG. *ad Simpl.* I, q. 2, n. 21; *De nat. et grat.* c. 31, n. 35; *De spirit. et litt.* c. 34, n. 60; PROSP. *C. Coll.* c. 7, n. 2.

[68] AUG. in *Joan.* tr. 26, n. 4; *De grat. Chr.* c. 18, n. 19; *De gratia et lib. arb.* c. 16, n. 32; c. 17, n. 33.

[69] Supra n. 282 et 291.

indebitum dicitur *gratuitum* respectu Dei qui dare non tenetur, et *supernaturale* respectu creaturae cui ultra naturalem exigentiam confertur. Porro omnia bona ordinata in vitam aeternam sunt supernaturalia; non tamen pari modo indebita. Cum enim supernaturalia invicem proportionentur, posteriora prioribus possunt retribui eorumque gratuitas in causa tantum inveniri: hinc gratiae *gratuitatem* consideramus in principio, quaestionem coarctantes ad gratiam *supernaturalem,* quia de hac locuti sunt Patres contra Pelagianos et Semipelagianos, et quia sola gratia supernaturali proprie incipit ordo salutis [1].

308. **Dispositio, meritum, impetratio.** *Dispositio positiva* [1] est « realis habitudo subjecti, qua ipsum... constituitur plus minusve proxime idoneum ad formam suscipiendam, ut haec sit ipsius naturale vel connaturale complementum » [2]. *Meritum* est valor operis ad praemium; « dicitur autem aliquis mereri *de condigno,* quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum, secundum rectam aestimationem; *ex congruo* autem tantum, quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur quod dantem decet » [3]. *Impetratio* valde assimilatur merito de congruo, proprie vero est « vis moralis oborta ex demissa confessione propriae indigentiae, necnon ex professione pietatis, misericordiae et divitiarum illius, quem rogamus, *movens* ad beneficia conferenda » [4].

309. **Qui sensus effati: Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam?** Antiquissimum hoc effatum, a Patribus praefiguratum [5], duplicem explicationem habuit, de gratia scil. *habituali* et de *actuali.* Primo modo frequenter sumitur a veteribus scholasticis affirmantibus cum S. THOMA quod « cum dicitur homo *facere quod in se est,* dicitur hoc esse in potestate hominis *secundum quod est motus a Deo* » [6]: altero modo cum eodem S. THOMA [7] « interpretatur de eo qui

---

[1] Etiam gratiam *praeternaturalem* esse indebitam, ratione modi quo confertur, certum est; sed quia entitative ordinem naturae non praeterit, opera ipsâ elicita non habent proportionem cum vita aeterna. An vero detur haec gratia tantum praeternaturalis infra dicemus.

[2] HURTER, III, n. 69.

[3] S. THOM. *II Dist.* 27, q. 1, a. 3.

[4] HURTER, III, n. 69. *Impetratio* superaddit simplici *orationi* convenientiam suadentem elargitionem gratiae (JUNGMANN apud *Hurter;* C. MAZZELLA, n. 764); quare simplex oratio non videtur contradicere gratuitati gratiae. RIPALDA apud *Mazzella,* l. c.

[5] Cf. MAZZELLA, n. 848.

[6] S. THOM. 1-2, q. 109, a. 6 ad 2; 112 a. 3; *De Verit.* q. 24 a. 15. Cf. ALB. MAG., MARSIL., GERSON., BONAV., AEGID. ROM., THOM. DE ARGENT.; CAJET. apud PALMIERI th. 35, p. 304 sqq.

[7] S. THOM. 1-2 q. 86, a. 6; *De Verit.* q. 14 a. 11 ad 1. Cf. CAJET., SOTUM, MEDINA, BANNEZ, MOLINA, SUAREZ, SALESIUM apud *Pesch,* n. 211 sqq., qui eisdem adhaeret.

facit quod in se est *ex viribus naturae* »[8]; non profecto eo sensu, quod in operibus naturae sit gratiae exigentia; sed quia consequenter ad voluntatem salvificam, non ponentibus obicem Deus libere concedit gratiam[9]. Claritatis autem causa nota: *a)* Effatum habere sensum tantum *affirmativum,* siquidem Deus etiam indispositis, indignis, peccatoribus obstinatis, non facientibus quod in ipsis est, concedere potest gratias abundantissimas: *b)* non excludere *gratias praeternaturales,* quia praeparatio ad gratiam fidei non expletur uno actu, sed observatione legis naturalis, quae naturali tantum virtute diu non observatur: *c)* non signare *tempus* collationis gratiae, quia, « cum gratia non fundetur in merito, vel dispositione hominis, non potest ex ipsius actione, certa regula sumi circa tempus in quo datur haec gratia... (Deus) alios fortasse... statim ac faciunt quod in se est, illuminat; aliis etiam id facientibus... differt vocationem supernaturalem pro tempore a se disposito »[10].

310. **Errores — Veritas.** Gratuitatem gratiae negarunt MANICHAEI, SEMIPELAGIANI, BAJUS et JANSENIUS[11]. **Veritas** definita est in CONC. ARAUS. II: « S. q. per *invocationem humanam* gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae vel Apostolo ». « Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae *non debetur,* praecedit, ut fiant »[12].

THES. 35. *Gratia est -- 1 donum indebitum exigentiis naturae, cujus viribus — 2 nec mereri, — 3 nec impetrari potest.*

311. **Prima pars.** *Gratia est indebita exigentiis naturae.* Nam in **Scripturis** *a)* legimus quod *gratia et veritas per Christum facta est,* quod *Deus liberavit nos secundum gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu*[13]: atqui *per Christum* non conferuntur dona debita naturae: ergo. *b)* In ordine salutis Scripturae hominem exhibent *sine potentia* agendi[14], lutum[15] et nihilum[16]: atqui nemo habet

---

[8] C. MAZZELLA, n. 853; LÉPICIER, *De grat.* p. 243.

[9] Ut appareat bona opera naturae esse *conditiones* et non *merita* gratiae, pro verbo *dat* ponitur in effatu *non denegat,* quo melius exprimitur libertas donantis.

[10] SUAREZ, *De Grat.,* IV c. 15 n. 42.

[11] Supra n. 287. His aliquatenus accedunt AUGUSTINENSES qui gratiam dicunt necessariam *ex decentia creatoris* (apud *Pesch* n. 195).

[12] CONC. ARAUS. cn. 3 et 8.

[13] Joan. **1.** 17; 2 Tim. **1.** 9. Cf. Rom. **3.** 24; **5.** 14 sqq.; **7.** 25. Ephes. **1.** 6-7; **2.** 10; Philip. **1.** 29.

[14] *Sine me nihil potestis facere,* Joan. **15.** 5.

[15] Rom. **9.** 20; Isai. **45.** 9; Jerem. **18.** 6 coll. Sap. **15.** 7.

[16] Ordo gratiae dicitur *nova crea-*

exigentiam auxilii proportionati potentiae qua caret, ordinis in quo non est, cognitionum respectu quarum est quasi lutum : ergo. *c)* Idem evincitur *ex supernaturalitate effectus;* gratia enim homo fit filius adoptivus Dei [17], particeps divinae naturae [18], haeres divinae gloriae [19] et capax beatificae visionis [20]; quae profecto naturaliter obtineri non possunt [21]. *d)* Hinc Apostolus gratiam indebitam dicit non tantum *operibus nostris* [22], sed etiam *nobis* [23], scil. exigentiis, virtutibus, dispositionibus quibuscumque, quae ex naturali nostra virtute procedunt [24]. — **Patres** non solum *a)* testantur omnimodam gratuitatem status supernaturalis [25], quem, ut modo diximus, consequitur gratuitas gratiae; sed *b)* eam expresse derivant a solo Deo, « creata quippe et serva natura ad res supernaturales vocatur *solo nutu ac voluntate Patris* » [26]; quare sola superbia quisque potest sibi et non Deo tribuere gratiam [27]; « non enim Dei *gratia* erit ullo modo, nisi *gratuita* fuerit *omni modo* » [28], « ipsum (quippe) gratiae nomen et ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam, qui dignus est, accipit » [29]. Hinc *c)* negant gratiam consequi *creationem,* quasi « ita ex Deo esse opinemur, ut, quia ipse naturae nostrae auctor est per *conditionem,* jam haec contulisse videatur » [30]; et docent etiam angelis et

---

tura. 2 Corinth. **5.** 17; Gal. **6.** 15; Eph. **2.** 10.

[17] Matth. **5.** 45; Luc. **6.** 35; Joan. **1.** 12; Rom. **8.** 16; 1 Joan. **3.** 1; etc.

[18] 2 Petr. **1.** 4.

[19] Rom. **8.** 17; Gal. **4.** 7; Eph. **1.** 5 et sqq., etc.

[20] Matth. **5.** 8; 1 Corinth. **13.** 12; Hebr. **12.** 14; 1 Joan. **3.** 2.

[21] Ne dicas haec consequi gratiam *habitualem;* gratia enim *actualis* ad habitualem ordinatur tanquam medium ad finem; medium autem ex fine specificatur.

[22] Rom. **9.** 6; **11.** 35.

[23] *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus ne quis glorietur.* Eph. **2.** 8-9. *NB.* Attendas distinctionem inter *ex vobis* et *ex operibus;* primum respicit exigentias naturae, alterum meritum operum naturalium.

[24] « Ne ipsam fidem sibi saltem arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatum... ait, *Et hoc non ex vobis* ». AUG. *Enchir.* c .31 n. 9; Cf. PADOV. in *h. l.*

[25] IREN., DIONYS., ATHAN., GREG. Naz., CYR. Hier., CYR. Alex., AMBR., HIERON., AUG., PROSP., FULG. *l. c.;* Vol. 2 n. 509.

[26] CYRIL. Alex. in *Joan.,* I, c. 9; AUG. *Ench.* c. 31, n. 9; etc.

[27] « Ille, quem coërcebat Apostolus (1 Corinth. **4.** 7)... aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens, inflabatur ». AUG. *De praed. sanct.* c. n. 10.

[28] AUG. *De pecc. orig.,* I, c. 24 n. 28.

[29] AUG. *De gest. Pelag.;* in *Joan.* tr. 3 n. 9.

[30] PROSP. *ad cap. Gall.* ob. 8.

homini innocenti gratuito esse datam, siquidem Deus in *angelis* fuit «simul condens naturam et largiens gratiam »[31], *Adamo* misericordi voluntate gratiam contulit[32], *nobis* autem contra naturam dedit, ut qui arbores malae eramus bonos fructus edere valeamus[33]. **Ex ratione.** Nam « ubicumque occurrit aliquid, sine quo aliud a Deo volitum esse possit, hoc non procedit ab eo secundum rationem alicujus debiti, sed secundum meram liberalitatem. Perfectio autem gratiae et gloriae sunt hujusmodi bona, quod sine eis natura esse potest, excedunt enim naturalis virtutis limites; unde quod Deus velit alicui dare gratiam et gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit »[34].

312. **Secunda pars.** *Gratia non est debita bonis operibus naturae.* Nam **Scripturae** *a)* testantur quod in ordine salutis homo, suo opere non praecedit Deum[35], qui *secundum propositum suum*[36] ac sua *miserenti* voluntate[37] opus salutis *incipit*[38] et *prior dilexit nos*[39]. *b)* Hinc docent quod opera naturalia, et ipsa custodia legis mosaicae, ex sese non juvant ad salutem; *si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*[40]; quod gratia *Dei donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur*[41]; quod ipsum gratiae nomen hoc exigit, siquidem *si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*[42]. — Gratuitatem gratiae **Patres** *a) profitentur* dicentes cum AUG. quod « gratia praecessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti »[43]: *b) deducunt ex Scripturis,* ex quibus « satis dilucide ostenditur et inchoandi et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius... beneficentissimam voluntatem »[44]: *c) illustrant exemplis,* siquidem

---

[31] AUG. *De Civ. Dei,* XII, c. 9.
[32] AUG. *De corr. et gratia* c. 11 n. 29.
[33] AUG. *C. Jul.,* IV, c. 3 n. 30.
[34] S. THOM. *De Verit.* q. 6 a. 2.
[35] *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Rom. **11**. 35.
[36] 2 Tim. **1**. 9.
[37] Rom. **9**. 16.
[38] *Qui* COEPIT, *in vobis opus bonum, perficiet.* Phil. **1**. 6.
[39] 1 Joan. **4**. 10; 19.
[40] Rom. **4**. 2.
[41] Eph. **2**. 8-9; 2 Tim. **1**. 9.
[42] Rom. **11**. 6.
[43] AUG. *De Verb. Apost.* serm. 15. c. 2; *De praed. sanct.* c. 3; PROSP. (?), *De voc. gent.,* I, c. 2; CHRYS. *De Proph. obsc.* hom. 1 n. 5; in *Matth.* hom. 29; in *Eph.* hom. 4.
[44] AUG. *De dono pers.* c. 13 n. 33.

« sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem praecedit operis divini formatio, sic in spirituali nativitate, qua veterem hominem... deponere incipimus » [45]. **Ex ratione.** « Nam actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos [46]. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi... Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, ut ex supra dictis patet [47], et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae; sed ad hoc exigitur altior virtus, quae est virtus gratiae » [48].

313. **Tertia pars.** *Gratia naturae viribus nequit impetrari.* De hoc plura dicemus agentes de necessitate gratiae ad initium fidei, interim revoca **Scripturam** tribuere Deo etiam initium salutis [49]: atqui impetratio gratiae est initium salutis: ergo. Hinc Apostolus ait: *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [50]. — **Patres** *a)* dicunt cum AUG.: « Intelligimus et hoc ipsum esse donum Dei ut veraci corde et spiritualiter *clamemus ad Deum.* Attendant ergo quomodo falluntur qui putant esse a nobis ut *petamus, quaeramus, pulsemus...*, neque volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut *oremus* » [51]. *b)* Difficultatem vero Semipelagianorum, dicentium desiderium salutis non esse a medico sed ab infirmo, inde solvunt quod « *salus prima* est, ut peccator *sibi incipiat displicere*... sequens vero est, ut et *sanari desideret...*; (haec autem) *curationem* ipsius sic praecedunt, ut ei *ab illo,* qui aegrum sanaturus est, *inserantur* » [52]. **Ex ratione.** Nam impetratio est in ordine operationum quibus vitam aeternam assequimur: atqui operationes hujusmodi fieri nequeunt viribus naturae, ut probavimus in secunda parte: ergo. Insuper « impetratio habet similitudinem cum merito de congruo, quia et ipsa est obsequium, cui alter ex quadam decentia munus rependit » [53]: atqui...: ergo.

---

[45] FULG. *De inc. et grat.* ep. 17, c. 19. Exemplum sumit etiam *ex incarnatione,* qua Christus de Spiritu S. natus est.

[46] S. THOM. loquitur de merito *vitae aeternae,* sed ratio valet etiam de merito *gratiae.*

[47] S. THOM. 1-2, q. 5 a. 5.

[48] S. THOM. 1-2, q. 109 a. 5; 112 a. 2; *Cg.* III, c. 147-150; *Quod.* I, a. 7.

[49] *Qui coepit, in vobis opus bonum, perficiet.* Phil. **1.** 6.

[50] Rom. **8.** 26.

[51] AUG. *De dono pers.* c. 23, n. 64 ex Rom. **8.** 15, 26, 27 et Gal. **4.** 6; AMBR. apud *Aug. l. c.;* CHRYS. in *Joan.* hom. 75; PROSP. *C. Collat.* c. 2; *Epigr.* 27.

[52] PROSPER, *C. Collat.* c. 8.

[53] PESCH, n. 206.

314. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si nullis praecedentibus meritis *pro lubito* uni et non alteri Deus daret gratiam, foret acceptor personarum : atqui *non est personarum acceptor Deus* [54] : ergo. **Resp.** « Acceptio personarum ibi recte dicitur, ubi ille, qui *judicat*, relinquens causae *meritum*, de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur, quia invenit aliquid in persona quod honore vel miseratione est dignum. Si autem quisquiam duos habeat debitores, et alteri velit (gratuito) dimittere debitum, alterum exigere ; cui vult donat, sed neminem fraudat : nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est » [55]. Atqui gratia non rependitur nostris meritis, sed datur indignis, ergo, utcumque concedatur, vitium acceptionis personarum non inducit [56].

315. **Objic. 2.** In parabola evangelica talenta distributa sunt *unicuique secundum propriam virtutem* [57] : atqui talenta praefigurabant gratiam : ergo. **Resp.** Multipliciter verba objecta sunt exposita a Patribus ; omnibus vero perpensis « assentiendum videtur ei quod dicit MALD. verbum hoc *unicuique secundum propriam virtutem* non ad aliquid in parabola significandum, sed ad explendam parabolae narrationem ex hominum consuetudine Christum adhibuisse..., etiamsi nihil ad finem parabolae pertineret » [58].

316. **Objic. 3.** Patres graeci bona opera tribuunt principalius humanae voluntati : ergo non agnoverunt gratuitatem gratiae. **Resp.** Patres graecos agnovisse gratuitatem gratiae constat ex CONC. DIOSPOL., ANTIOCH., CP. et EPHES. quibus Pelagiani sunt damnati, et ex testimonio PP. Latinorum, qui ad graecorum auctoritatem provocarunt : cum libertatis virtutem extollunt, non negant influxum gratiae, quem alias expresse praedicant [59], sed fatalismum impugnant [60].

CAPUT II.

De efficacia gratiae actualis.

317. **Capitis divisio.** Consideravimus gratiam in se ; manet ut consideremus per ordinem ad effectum : et quia effectus aliquando

---

[54] Act. **10**. 34.

[55] AUG. *C. duas epist. Pelag.* II, c. 7, n. 13.

[56] Cf. parabolam vinitoris Matth. **20**. 1-16, et exemplum figuli Rom. **9**. 21.

[57] Matth. **25**. 15.

[58] KNAB. in *Matth.* II, p. 369.

[59] Cf. CHRYS. (quem adversarii invocant) *De proph. obsc.* hom. 1. n. 5 ; in *Matth.* hom. 29 ; in *Ephes.* hom. 4 ; in *Ps.* **126**, n. 1.

[60] Cf. PALMIERI, th. 33, p. 285 sqq. ; HURTER, n. 74.

obtinetur, aliquando non, et cum obtinetur non casu attingitur, dicendum est: 1 *De existentia gratiae sufficientis,* 2 *de existentia gratiae efficacis,* 3 *de gratiae efficacis natura:* prima et altera quaestio contra haereticos vindicatur, tertia inter catholicos disputatur.

ART. 1 - DE GRATIA SUFFICIENTE.

318. **Quae gratia pure sufficiens.** Etymologice sufficiens dicitur gratia quae *agendi tribuit potestatem:* si haec *potestas* consideratur *in se,* prout praescindit ab actu et ab ejus privatione, gratia dicitur sufficiens *praecisive;* si in oppositione ad actum, quem excludit, dicitur sufficiens *negative;* si in unione cum actu, quem infert, sufficiens *positive.* Jamvero de gratia *praecisive* sufficiente diximus cum de natura gratiae [1]; de sufficiente *positive* loquemur infra, siquidem est ipsamet gratia efficax; in praesenti disserimus de sufficiente *negative,* quae vocatur etiam *pure sufficiens,* eo quod tota sua ratio in notione sufficientiae expletur.

319. **Gratia proxime et remote sufficiens.** Haec distinctio non respicit naturam gratiae, sed ejus objectum: si nempe gratia, tribuit potestatem agendi opus quod de praecepto vel de consilio faciendum est, dicitur *proxime sufficiens;* si tribuit potestatem agendi opus praevium, quod sit meritum de congro ad gratiam proxime sufficientem, dicitur *remote sufficiens,* et generatim consistit in gratia *bene orandi,* secundum illud HIER. et AUG. relatum a CONC. TRID.: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et *facere* quod possis, et *petere* quod non possis, et *adjuvat ut possis* » [2].

320. **Gratia absolute et relative sufficiens.** Cum Jansenistae ad eludendas definitiones Ecclesiae induxerint gratiam *parvam,* quae praecisione facta a concupiscentia confert potestatem bene agendi, sed non tribuit si attendatur contrarius motus concupiscentiae, theologi, polemica necessitate compulsi, distinxerunt inter gratiam *absolute* et *relative* sufficientem. *Absolute sufficientem* dixerunt gratiam in se ipsa consideratam, h. e. secundum intrinsecam suam virtutem, praecisione facta a circumstantiis et tentationibus quibus homo ad malum allicitur; *relative sufficientem* illam quae confert expeditam potentiam agendi etiam attento contrario motu concupiscentiae; hanc autem dixerunt *vere sufficientem,* quia simpliciter loquendo sufficientia virtutis consideratur

---

[1] Supra n. 304.

[2] CONC. TRID. sess. 6, cn. 11.

in subjecto, in quo est, unde praescindere nequit a circumstantiis et dispositionibus ejus [3].

321. **Errores — Veritas.** *Existentiam* gratiae sufficientis negarunt REFORMATORES ex fundamentali errore de corruptione liberi arbitrii, *rationem beneficii* ab ea removerunt JANSENISTAE [4]. **Veritas.** *Existentia* gratiae sufficientis saltem *implicite* est proposita in CONC. ARAUS. II, et TRID. definientibus libertatem voluntatis sub influxu gratiae, *explicite* vero a PIO VI in condemnatione prop. Jansenii : « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur », « Semipelagiani... in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam (necessariam ad initium fidei) talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare » [5] : *ratio beneficii* est vindicata ab ALEXANDRO VIII damnante hanc prop. : « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut possimus petere, *a gratia sufficiente libera nos Domine* » [6].

THES. 36. *Constat — 1 ex Scriptura, — 2 ex Patribus, et — 3 theologica ratione, dari gratiam pure et vere sufficientem, quae — 4 est verum Dei beneficium.*

322. **Prima pars.** *Scriptura gratiam vere et pure sufficientem docet.* **Argum. 1.** *ex plurium testimoniorum collatione.* Nam Scripturae pluries loquuntur de gratia Dei quae *a)* frustratur effectu malitia hominis, qui *b)* gratiae Dei resistit, ac *c)* nolens bene agere, reatum *d)* culpae et *e)* poenae incurrit : atqui haec gratia ex *terminis* et ex *corollariis* apparet vere et pure sufficiens [7] : ergo. PROB. MAJOR. *a)* Dari gratiam, quae effectu frustratur *ex sola malitia voluntatis,* patet ex reprehensione incolarum Corozain et Bethsaida [8],

---

[3] Haec abstracte potius quam concrete dicuntur ; nam « minima gratia (utpote ordinis supernaturalis) potest resistere cuilibet concupiscentiae et vitare omne peccatum, quod committitur in transgressione mandatorum legis : minima enim caritas plus (appretiative) diligit Deum quam cupiditas millia auri et argenti ». S. THOM. 3 p. q. 70 a. 4.

[4] Supra n. 287.

[5] *Prop.* 2 et 4 *Jans.* dam. ab INNOC. X ; CONC. ARAUS. II, cn. 25 ; VALENT. cn. 2 ; TRID. sess. 6, cp. 5 et 11, cn. 4 ; BAJ. pr. 39-41 ; QUES. pr. 9-25.

[6] ALEX. VIII, a. 1690, pr. 6.

[7] Ex *terminis,* quia etymologice sufficiens dicitur gratia quae sola malitia hominis, frustratur effectu : ex *corollariis,* quia poena supponit culpam ; haec autem sine possibilitate operandi bonum non est, siquidem « ibi incipit genus morum, ubi primo dominum voluntatis invenitur ». S. THOM. *II Dist.* 24, q. 3 a. 2.

[8] *Vae tibi Corazain, vae tibi Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in*

qui acceperant gratiam tam validam, ut in similibus circumstantiis [9] homines bonae voluntatis non solum potuissent bene agere, sed *de facto* bene egissent : *b)* Posse voluntatem *resistere* gratiae Dei constat ex Stephano sic judicibus synedrii exprobrante : *Vos Spiritui S. semper resistitis* [10]. *c)* Aliquando voluntatem sub influxu gratiae *nolle* bene agere, testatur Christus dicens : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti* [11]. *d)* Tali resistentia hominem contrahere reatum culpae apparet ex improperiis Christi : *Vae tibi Corozain — generatio mala et adultera — excusationem non habent de peccato suo,* [12] etc. *e)* Mereri quoque poenam, diserte docetur verbis : *Dico vobis Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii — Ecce relinquetur domus vestra deserta* [13]. — **Argum. 2.** *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et aedificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea : et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas* [14]. In hoc testimonio Isaias sub specie vineae describit populum Israël qui, acceptis a Deo gratiis ad faciendum opus bonum, non fecit : atqui ex *similitudine* proposita et ex *contextu* apparet gratias illas contulisse potestatem expeditam bene agendi : ergo dantur gratiae quibus homo potest bene agere et non agit, ac proinde gratiae vere et pure sufficientes. PROB. MAJOR. Profecto non est novum in Scripturis populum Israël *assimilari vineae* [15], id autem in nostro testimonio fieri, patet ex absurdis quia sensus proprius contextui repugnat, et ex aperta declaratione prophetae : *Vinea enim Domini exercituum domus Israël est, et vir Juda ger-*

---

vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Matth. **11**. 21.

[9] Hoc non exprimitur in testimonio, subintelligitur tamen ne argumentum sit inane.

[10] Act. **7**. 51.

[11] Matth. **23**. 37.

[12] Matth. **11**. 20 sqq. ; **23**. 14 sqq. ; **12**. 39 ; Joan. **15**. 22.

[13] Matth. **11**. 22 ; **23**. 37. Hoc argumentum facile renovatur ex Prov. **1**. 24 sqq. ; Isai. **28**. 12 ; **65**. 12 ; Jerem. **7**. 13. etc.

[14] Isai. **5**. 1-2. Quamvis testimonium loquatur de populo Israël apte adducitur, quia Israël fuit typus nostri (1 Corinth. **10**. 1-11 ; CORNELY, Diss. 3, c. 1, § 3, n. 4). Hinc HIER. : « Cuncta, quae dicuntur de vinea, possunt et ad animae humanae transferri statum, quae a Deo plantata in bonum, non uvas attulit, sed labruscas et postea sit tradita bestiis conculcanda, nec divinum imbrem susceperit doctrinarum, quia praeterita dona contempserit ». Apud KNAB. in *h. l.*

[15] Cf. Deut. **32**. 32-3 ; Osee **10**. 1 ; Ezech. **15**. 2 ; Jerem. **2**. 21. Vide etiam Matth. **21**. 33 sqq. ubi Christus alludit ad nostrum testimonium.

men ejus delectabile [16]. Porro enuntiari *collationem gratiarum* manifestum est, siquidem agitur de observanda divina lege, seu de faciendo *judicio* et implenda *justitia* [17], quod sine gratia est impossibile, quia vires naturae non sufficiunt ad superandas graves tentationes, et quia justitia praesentis ordinis providentiae est supernaturalis. Gratias tandem illas fuisse *mere sufficientes*, inde elucet quod vinea fecit labruscas [18], et populus Israël *iniquitatem* et *clamorem* [19]. PROB. MINOR. *a) Ex similitudine.* Nam dominus vineae non solum dedit ei vitem bonam *absolute*, plantando *electam* [20]; sed etiam *relative*, siquidem plantavit in loco ubertoso *(in cornu filio olei)*, et removit obstacula tam *externa* circumducendo eam sepe, ne animalia inferrent damnum, et aedificando turrim pro custode, ne a latronibus vastaretur, quam *interna* eligendo ex ea lapides. Si ergo vinea est figura Israël, hic accepit a Deo gratias non solum sufficientes *in se*, sed etiam *respective* ad tentationes externas et ad internas concupiscentias. *b) Ex circumstantiis.* Nam dominus vineae fructus *expectabat* (unde et torcular aedificaverat ad uvas calcandas), et *provocat* adversarios ut dicant quid ultra facere debuerat vineae suae : atqui insipientis est expectare opus possibile tantum absolute et non respective ad circumstantias in quibus agendum est, facile vero respondetur ei qui in necessariis deest : ergo. *c) Ex poena inflicta.* Nam juste non punitur qui ex impotentia non operatur bonum : atqui Deus valde exprobrat Israël peccata [21], et in figura [22] ac veritate [23] comminatur gravissimas poenas : ergo Israël gratias *vere sufficientes* ad bene agendum acceperat.

323. **Secunda pars.** *Etiam Patres existentiam gratiae vere et pure sufficientis testantur. a)* « Nemo, inquit AUG., credit non vocatus *sed non omnis* credit *vocatus* » [24]; divinae enim vocationi « *consentire* vel *dissentire* propriae voluntatis est » [25]. Et HIER. :

---

[16] Isai. 5. 7.

[17] *L. c.* v. 7.

[18] *L. c.* v. 3.

[19] *L. c.* v. 7.

[20] Hebraice *Sorec;* « ajunt (autem) Hebraei *Sorec* genus esse vitis optimae, quod uberes fructus faciat atque perpetuos ». HIER. apud KNAB. in *Isai.* I, p. 103.

[21] *Vae qui consurgitis mane... Vae qui trahitis iniquitatem... Vae qui dicitis malum bonum,* etc. vers. 11 sqq.

[22] *Auferam sepem... diruam maceriem... ponam eam desertam...* v. 5-6.

[23] *Nisi domus multae desertae fuerint grandes, et pulchrae absque habitatore,* etc. v. 9 sqq.

[24] AUG. *ad Simp.* I, q. 2.

[25] AUG. *De spir. et litt.* c. 34, n. 60.

« O infelicissimum humanum genus! qui peccata excusamus dicentes : victus sum a natura : cum *in potestate nostra sit* et *peccare,* et, Domino adjuvante, *non peccare* »[26]. Hinc *b)* IREN. dicebat : « Qui illud (opus bonum) non operantur, *judicium justum excipient* Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud »[27]. Et CHRYS. : « Gratia in omnes diffusa est... Qui ejus munere frui *negligunt,* hanc suam caecitatem *sibi ipsi imputent,* cum enim omnibus detur..., perditi quidam et nequam homines *propria dumtaxat malitia* ingredi recusant »[28]. *c)* Hanc porro gratiam sufficientem Patres *arguunt* ex Isai. **5.** 1 sqq.; Matth. **22.** 3; **23.** 37; Rom. **5.** 5; **11.** 21; 2 Corinth. **6.** 1; 1 Tim. **2.** 4; etc.[29], *probant* ex voluntate salvifica et possibilitate mandatorum Dei[30], et *illustrant* exemplis. « Numquid, ait AMBR., si quis ostia domus suae claudit, solis est culpa, quod non illuminet domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem avertat, ac sibi inferat insipientiae caecitatem, causari poterit, quod sol justitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis coelestis arguere? »[31].

324. **Tertia pars.** *Dari gratiam vere et proprie sufficientem evincunt plures rationes theologicae. a) Ex voluntate salvifica.* Nam Deus vult omnes homines salvos fieri : ergo omnibus praebet media necessaria ad salutem : atqui gratia sufficiens est medium necessarium ad salutem : ergo Deus confert omnibus gratias sufficientes : atqui in pluribus gratiae non sunt efficaces, siquidem privantur effectu : ergo dantur gratiae vere et pure sufficientes. « Vult Deus, inquit AUG., omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel *bene* vel *male* utentes, justissime judicentur »[32]. *b) Ex praeceptis.* Nam

---

[26] HIER. *in Ps.* **140.**

[27] IREN. *Adv. haer.* IV, c. 37, n. 1.

[28] CHRYS. in *Joan.* hom. 8, n. 1; IREN. *Adv. haer.* IV, c. 39, n. 3; AUG. *De pecc. mer. et remis.* II, c. 17.

[29] Cf. de Isai. **5.** 1 sqq. AUG. in *Ps.* **35.** n. 8 : de Matth. **22.** 3 IREN. *Adv. haer.* IV, c. 39, 3; AUG. *83 Quaest.* q. 68 : de Matth. **23.** 37 IREN. *Adv. haer.* IV, c. 37; AUG. *serm.* 105 (*De Verb. Dom.* 29) n. 11; *Ench.* c. 97, n. 24 : de Rom. **5.** 5 CHRYS. in *Joan.* hom. 8, n. 1 : de Rom. **11.** 21 CHRYS. in *Rom.* hom. 18, n. 2; de 2 Corinth. **6.** 1 AUG. *De pecc. merit. et remiss.* I, c. 39, n. 20 : de 1 Tim. **2.** 4; AUG. *Ench.* c. 97, n. 24.

[30] AUG. *De spir. et litt.* c. 33; *De corr. et gratia,* c. 11 et 12; *De nat. et grat.* c. 43, n. 50.

[31] AMBR. serm. 19 *in Ps.* **118.** n. 40.

[32] AUG. *De spir. et litt.* c. 33.

sunt multa praecepta, quae globatim [33] vel etiam singulariter sumpta [34] sine gratia impleri nequeunt : atqui repugnat Deum praecipere quod facere non possumus : ergo. « Deus, inquit AUG., impossibilia non jubet, sed jubendo admonet et facere quod possis et petere quod non possis » [35]. *c) Ex absurdis.* Nam « actus salutaris efficitur a Deo per suam gratiam excitante et adjuvante voluntatem, et a voluntate ipsa cooperante gratiae Dei; defectus ergo actus salutaris, si est, debet refundi vel in humanam voluntatem vel in ipsum Deum : atqui nequit in Deum refundi : ergo unice refundi debet in humanam voluntatem » [36]; ac proinde datur gratia *vere* sufficiens ad agendum, quae humana malitia privatur effectu, seu manet *pure* sufficiens.

325. **Quarta pars.** *Gratia pure sufficiens est verum beneficium. a)* Nam, ut constat ex praedictis, gratia, utut pure sufficiens, est a Deo supernaturaliter agente : atqui Deus *intentator malorum est* [37] : ergo. *b)* In gratia pure sufficiente distingui debet *entitas* gratiae a *defectu consensus:* hic certe est malus, sed est a solo libero arbitrio; illa est a Deo, et est bona *in se* et *in intentione* conferentis. Est bona *in se* quia est realitas ordinis supernaturalis, tribuens activam potentiam bene agendi : est bona *ex intentione* conferentis, quia Deus non dat gratiam, quam praevidit inefficacem, *quia* praevidit inefficacem, sed *quamvis* praeviderit hominis abusum; unde « ex hoc magis elucet divina bonitas, quod praevidens homines fore abusuros gratia sufficiente, et aliis suis muneribus, adhuc tamen ea conferat *vincente praescientiam bonitate,* ut loquitur CHRYS. » [38].

326. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Sola gratia pure sufficiente repugnat actus salutaris : ergo veram potestatem agendi non confert. **Resp.** Repugnantia actus cum gratia pure sufficiente non est ex defectu virtutis, sed ex defectu consensus; unde non est *antecedens* sed *consequens* libertatis exercitium, cui proinde non obstat, quemadmodum impossibilitas motus in Petro sedente, non probat defectum virtutis motivae [39].

327. **Objic. 2.** Gratia actualis est motio seu applicatio ad agendum : atqui repugnat quod potentia applicata ad agendum non operetur : ergo

---

[33] Praecepta ordinis naturalis.
[34] Praecepta ordinis supernaturalis.
[35] AUG. *De nat et grat.* c. 43, n. 50.
[36] C. MAZZELLA, n. 516.
[37] Jac. 1. 13.
[38] C. MAZZELLA, n. 532.
[39] Vol. 2, n. 168.

repugnat gratia, qua homo non operetur. **Resp.** Ut patet ex praedictis de natura gratiae [40], motio seu applicatio gratiae respicit actum indeliberatum, qui etiam gratiâ pure sufficiente habetur : quod autem voluntas excitata per gratiam faciat opus salutare, non est proprie ex nova gratia, sed ex motione generali indifferenter se habente ad actum supernaturalem consensus et ad actum naturalem dissensus, utpote quae respicit rationem entis et non *ejus determinationem*. Hinc patet quod voluntas gratiâ excitata potest non operari opus salutare ; licet enim gratia nequeat abuti, abuti potest influxu generali, quo, consequenter ad motionem gratiae sufficientis, applicatur ad eligendum inter consensum et dissensum.

328. **Objic. 3.** AUG. gratiam status justitiae originalis a nostra, in eo distinguit, quod illa tribuebat *posse* bene agere [41], haec confert *ipsum agere* : ergo post peccatum Adae non datur gratia pure sufficiens. **Resp.** AUG. loco objecto non agit de quocumque bono opere, sed de dono perseverantiae finalis, nec considerat unam vel alteram gratiam, sed complexum omnium, negans Adamo esse datam gratiam *perseverandi*, quam nunc Deus concedit sanctis intuitu meritorum Christi : non ergo negat gratias sufficientes, sed affirmat dari *etiam* efficaces.

329. **Objic. 4.** AUG. docet gratiam interiorem non frustrari effectu [42] : ergo. **Resp.** AUG. locis citatis generatim agit de gratia *efficaci*, cum vero loquitur de gratia *in genere*, docet eam tribuere *veram potestatem* bene agendi, et manifestare *voluntatem salvificam* justissimamque Dei *providentiam*, quod nos ultro fatemur [43].

330. **Objic. 5.** Illud est verum beneficium quod accipienti prodest : atqui gratia sufficiens nocet, siquidem sontem facit, qui ex impotentia excusationem haberet : ergo. **Resp.** Natura doni non sumitur ex *usu* accipientis, sed ex intrinseca sua *entitate* et ex *fine* donantis. Profecto si miles, accepto gladio ad defensionem patriae, in regem vel socios convertit, insaniae et ingrati animi se damnat, sed inutilitatem doni accepti non evincit. Gratia sufficiens in sua physica realitate est res bona, utpote quae addit vires voluntati ; a Deo vero non datur ut accipiens ex abusu fiat reus, sed ut illâ operetur bonum, cujus defectum Deus non vult sed permittit. Quod autem deficiente gratia non imputaretur ejus abusus, non officit bonitati doni, sed ostendit libertatem hominis, quare non est orandum ut a gratia sufficiente liberemur ; sed ut ab ira et odio et omni mala voluntate salvemur, ut Deus auferat cor lapideum donetque cor carneum paratum obedire divinis mandatis.

---

[40] Supra n. 293.

[41] AUG. *De corr. et grat.* c. 12.

[42] AUG. *De praed. sanct.; De nat. et grat.* c. 42, n. 49 ; *ad Simp.* I, q. 2, n. 12-3 .

[43] C. MAZZELLA, n. 517 sqq.

331. **Objic. 6.** Qui occisionem praevidens arma subministrat homicidae, fit reus homicidii : ergo si Deus dat gratiam, quam praevidit inefficacem, fit reus abusus gratiae. **Resp.** Homo malum praevisum impedire tenetur, quia non potest ordinare permissionem ad proportionatum bonum; sed Deus provisor universalis et omnipotens, salutem ex inimicis nostris potest operari, et ideo « melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere » [44].

ART. 2 - DE EXISTENTIA GRATIAE EFFICACIS.

332. **Status quaestionis.** *Efficax* dicitur gratia qua opus salutare elicitur; et quousque quaestio *de facto* proponitur, nullam difficultatem habet; omnes enim, qui ordinem supernaturalem agnoscunt, concedunt dari gratias quibus, cooperante libero arbitrio, agimus bonum. Sed nostra quaestio altius ascendit et considerat efficaciam *gratiae ante consensum voluntatis:* gratia enim efficax non est veluti pendula et anceps, sed Deus, qui gratiam sufficientem confert *permittens* praevisum dissensum, gratiam efficacem tribuit *volens* consensum. In hoc omnis schola catholica convenit, unde P. CLAUD. AQUAVIVA generalis S. J. statuit : « Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum reipsa habet atque *efficax* dicitur, et eam quam *sufficientem* nominant, non tantum discrimen esse in *actu secundo,* quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso *actu primo,* quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, *de industria* ipse ea media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibilem habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia, est in actu primo contineri » [1].

333. **Multiplex efficacia gratiae.** In productione rei considerari potest *virtus,* qua res producitur, productio ipsa seu *effectio* rei, et *nexus* inter virtutem agentis et actionem; hinc efficacia *virtutis, effectionis* et *connexionis.* Efficacia *virtutis* competit gratiae quae addit potentiae vires supernaturales : efficacia *effectionis* competit gratiae quae conjungitur operationi : efficacia *connexionis* competit gratiae quae actum revocat necessaria quadam relatione, ita ut repugnet ipsam carere effectu : prima efficacia habetur etiam in gratia sufficiente, altera gratia

---

[44] AUG. *Ench.* c. 27.

[1] C. AQUAV. *Ratio studiorum* a. 1613.

efficax a sufficienti distinguitur materialiter, tertia efficax in propria specie constituitur. Nobis agendum est *de efficacia connexionis,* quae subdividitur in *affectivam, cognoscitivam* et *objectivam,* prout consideratur divina *voluntas* quae confert gratiam *ut* et *quia* conjuncturam termino, vel divinus *intellectus* qui praevidit gratiam felicem exitum habituram, vel *ipsa entitas* gratiae quae aliquo infallibili nexu revocat actum [2].

334. **Errores — Veritas.** *Defectu* erraverunt SEMIPELAGIANI qui, gratiam repetentes ex meritis saltem praevisis, nullam efficaciam ante voluntatis consensum agnoverunt in gratia. *Excessu* peccaverunt REFORMATORES et JANSENIUS qui, negantes liberum arbitrium, efficaciam cum necessitate confuderunt [3]. — **Veritas.** *Antecedens efficacia* gratiae [4], etsi non expresse definita, continetur in doctrina de gratuitate gratiae et de praedestinatione [5], necnon de magno perseverantiae dono [6] : *libertas voluntatis* sub influxu gratiae efficacis definitur in CONC. TRID. : « S. q. d. liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit; sed veluti inane quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; a. s. » [7].

THES. 37. *Efficacia gratiae — 1 praecedit voluntatis consensum, sed — 2 exercitium liberi arbitrii non impedit.*

335. **Prima pars.** *Gratia est efficax ante voluntatis consensum.* ARGUM. I. Nam **Scriptura** loquitur de vocatione quae est *secundum propositum* [8] : atqui *propositum* etymologice et in contextu testimonii est voluntas Dei absoluta quae humanâ malitiâ frustrari nequit [9] : ergo datur vocatio quae infallibiliter obtinet effectum : atqui *vocatio* antecedit consensum voluntatis : ergo. ARGUM. 2 : *Cor hominis disponit vias suas; sed Domini est dirigere gressus ejus. — Cor regis in manu Domini quocumque voluerit inclinabit*

---

[2] C. MAZZELLA, n. 581 sqq.

[3] Supra n. 287.

[4] Qua ratione efficacia antecedens exercitium liberi arbitrii hunc non perimat, infra videbimus.

[5] Cf. CONC. ARAUS. II cn. 6 et 25; COELEST. I, epist. 21 *ad ep. Gall.* c. 8; ARAUS. II, cn. 23; CONC. CARISIAC. c. 2.

[6] Cf. CONC. TRID. sess. 6 cp. 13; cn. 16.

[7] CONC. TRID. sess. 6, cn. 4. Cf. cp. 5 et 6; cn. 9; JANS. *prop.* 3 et 4.

[8] Rom. **8.** 28; **9.** 11; Eph. **1.** 5; 11; 2 Tim. **1.** 9; Joan. **6.** 37-44.

[9] FRANZ. *De Deo Uno,* th. 66, p. 743.

illud. — Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. — Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? [10]: ergo ultima ratio bonorum operum non est repetenda ab humana libertate, sed a *misericordia* Dei, qui consensum voluntatis non praesupponit, sed infert; ita « ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanae singulis motibus *magis* illius valere non dubitemus auxilium » [11]. — **Ex Patribus.** Deus, inquit AUG., « vocat praedestinatos... non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias... Deus operatur in cordibus hominum vocatione illa *secundum propositum suum...*; ut *non inaniter* audiant Evangelium, sed, eo audito, convertantur et credant » [12]. Et alibi: « Nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat » [13]. — **Ex ratione.** Nam *praedestinatio* sanctorum ab aeterno praecedit exercitium liberi arbitrii: atqui praedestinatio fundatur in bonis operibus: ergo *ante* exercitium liberi arbitrii sunt infallibiliter certa bona opera: atqui certitudo bonorum operum est a gratia efficaci: ergo gratia efficax habet infallibilem certitudinem seu *efficaciam connexionis* ante consensum liberi arbitrii *b)* Saepe nostris *orationibus* petimus a Deo quae pendent a libera voluntate hominum [14]: ergo supponimus in manu Dei media infallibilia ad hominum voluntates in bonum flectendas: atqui media hujusmodi sunt gratiae efficaces: ergo.

336. **Secunda pars.** *Gratiae efficacia liberum arbitrium non perimit.* Nam **Scriptura** illam hominis libertatem testatur [15], qua servamus *mandata,* meremur *vitam* et *vitamus* peccata [16]: atqui divina praecepta observamus gratia efficaci, et similiter gratia efficaci vitamus peccata et meremur vitam aeternam: ergo. Hinc bona opera non dicuntur *dona,* sed *merita* quibus *a justo judice* redditur *praemium, merces* et *corona* [17]: atqui *praemium, merces* et *corona*

---

[10] Prov. **16**. 9; **21**. 1; Rom. **9**. 23; 1 Corinth. **4**. 7.

[11] COEL. I, ep. 21 *ad Gall.* c. 8.

[12] AUG. *De praed. sanct.* c. 16, n. 32.

[13] AUG. *Ad Simpl.* I, q. 2, a. 13.

[14] *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde timeo.* Gen. **32**. 10; **24**. 12 sqq.; Ps. **9**. 14; **58**. 2; **142**. 9; etc.

[15] De humana libertate egimus, vol. 2, n. 464.

[16] *Si volueris mandata servare, conservabunt te... Ante hominem vita et mors; quod placuerit ei dabitur illi. Potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.* Eccli. **15**. 16-8; **31**. 10.

[17] *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi justus judex.* 2

supponunt exercitium libertatis, quae est fundamentum moralitatis et meriti : ergo. — **Ex Patribus** IREN. ait : « Qui operantur illud (opus bonum) gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum *possint non operari* illud » [18]. AUG. vero libertatem deducit *ex fine* collationis gratiae [19] et *ex munere* voluntatis, cujus est « consentire vocationi Dei » [20]. Opus bonum, inquit, est « totum ex Deo; non tamen quasi dormientis, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus... Qui fecit te sine te, non te justificat sine te : fecit nescientem, justificat volentem » [21]. — **Ratio** desumitur *a) ex experientia* quae de exercitio liberi arbitrii in bonis operibus plenum reddit testimonium, *b) ex moralitate* operationum quae fundatur in libertate, *c) ex natura voluntatis* quae non necessario movetur ab objecto quod etiam in ordine gratiae non apparet ut undequaque appetibile [22].

337. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES.** Contra libertatem voluntatis sub influxu gratiae efficacis moventur difficultates ex parte *infallibilis certitudinis* effectus, qui frustrari posset, si homo libertatem electionis sub gratia teneret; ex parte *omnipotentiae Dei* qui media efficacia contra hominis malitiam habere debet; et ex *natura gratiae* quae, cum sit applicatio ad agendum, nullo modo ab actu potest separari. Jamvero *infallibilis certitudo* effectus non obstat libertati, quia, ut alias vidimus [23], etsi tempore praecedat, logice sequitur exercitium libertatis a Deo praevisum : *omnipotentia,* ut iterum vidimus [24], non dicit tantum virtutem obtinendi effectum, sed obtinendi modo debito, ac proinde salva libertate agentium liberorum : *natura gratiae* non obstat libertati quia, ut mox explicabimus, non importat physicam praedeterminationem consensus.

ART. 3 - DE NATURA GRATIAE EFFICACIS.

(CATHOLICORUM DISPUTATIO).

338. **Status quaestionis.** Quae diximus, in confesso sunt apud omnes catholicos; at cum primo quaeritur de radice efficacitatis gratiae,

---

Tim. **4**. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Philip. **2**. 12; Tob. **4**. 10; Eccli. **16**. 15; Matth. **16**. 26; Rom. **2**. 6; Apoc. **22**. 12.

[18] IREN. *Adv. haer.* IV, c. 37, n. 1.

[19] « Voluntatis arbitrium non tollitur quia *juvatur;* sed ideo juvatur quia *non tollitur* ». AUG. *epist.* 157 n. 5.

[20] AUG. *De spirit. et litt.* c. 34.

[21] AUG. *serm.* 15 c. 11.

[22] S. THOM. 1 p. q. 82 a. 3.

[23] Vol. 2 n. 168.

[24] Vol. 2 n. 206.

apparet theologorum dissensus. Porro nota quaestionem esse de gratia efficaci *inadaequate* inspecta, prout nempe identificatur cum gratia *praeveniente* formaliter considerata [1]; si enim gratia efficax consideratur adaequate, seu attenditur totus influxus Dei ab initio ad finem actus salutaris, omnes dicunt gratiam efficacem re differre a sufficiente, cui superaddit novum influxum Dei [2]. Sic determinato quaestionis sensu ad singulas opiniones exponendas procedimus, in unaquaque investigantes efficaciam *objectivam, cognoscitivam* et *affectivam.*

339. **Systema Thomistarum.** THOMISTAE duplicem scientiam ponunt in Deo, scil. *simplicis intelligentiae* et *visionis;* illa fundatur in divino intellectu et respicit *possibilia,* haec innititur divinae voluntati et respicit *praesentia, praeterita, futura* et *futuribilia* quae a Deo cognoscuntur *in decretis* absolutis vel conditionatis, quibus rerum existentiam absolutam vel conditionatam statuit. Porro medium quo Deus praedicta decreta executioni mandat, est *praedeterminatio physica,* qua potentiam necessariam et liberam ad actum determinatum movet, vel melius in illum constituit. Gratia efficax est *supernaturalis praedeterminatio* ad actum salutarem: ejus *infallibilitas affectiva* consistit in amore praedilectionis quo Deus, independenter a libertatis consensu, vult dare physicam praemotionem ad actum supernaturalem; *infallibilitas cognoscitiva* consequitur affectivam et consistit in scientia visionis, qua in suo decreto praedeterminante Deus intuetur consensum voluntatis: *infallibilitas objectiva* est intrinseca gratiae efficaci, quae in actum constituens voluntatem, *insuperabiliter* ac proinde infallibiliter eam movet ad unum [3].

340. **Systema Augustinensium.** AUGUSTINENSES *gratiam* constituunt in *bona delectatione* [4], gratiam vero *efficacem* in delectatione *majori* seu *victrici.* Homo scil. duplici delectatione movetur, altera bona quae est gratia, altera mala quae est concupiscentia et tentatio: si delectatio gratiae superat delectationem concupiscentiae, gratia est efficax et sequitur actus bonus: si delectatio gratiae est minor delectatione concupiscentiae, gratia est inefficax seu pure sufficiens et sequitur peccatum. Porro *majoritas,* qua gratia efficax distinguitur a sufficiente seu minori,

---

[1] Dicimus *formaliter* consideratam, quia BILLOT gratiam praevenientem cum adjuvante *re* identificat, dum alii distinguunt. Cf. n. 284.

[2] An hic influxus dicendum sit *gratia adjuvans,* non conveniunt auctores: generatim affirmant, sed BILLOT concedens esse influxum entitative diversum, ab eo quo opera naturalia eliciuntur, negat esse gratiam, quia est a Deo tamquam a motore universali attingente rationem entis.

[3] Cf. C. MAZZELLA, n. 601 sqq.

[4] Hoc deducere volunt ex AUG. qui gratiam vocavit *delectationem, caritatem, amorem, bonam concupiscentiam, cupidinem boni, bonam voluntatem, delectationem et suavitatem, dulcedinem, condelectationem, jucunditatem, voluptatem,* etc. Apud *Mazzella,* n. 630.

non est ab influxu alterius ordinis (sicut in praemotione Thomistica), sed a *gradu* intensitatis; et hoc non *absolute,* quasi gratia efficax intensior sit omni gratia sufficiente, sed *respective* ad gradum oppositae concupiscentiae; ita ut gratia, quae in aestu passionis est pure sufficiens, cum concupiscentia quiescit, sit efficax [5]. Itaque juxta Augustinenses *efficacia objectiva* est intrinseca gratiae efficaci et consistit in gradu respective majori: *efficacia cognoscitiva* fundatur in scientia simplicis intelligentiae qua Deus intuetur omnes gradus gratiae simul cum gradu cujuscumque concupiscentiae: *efficacia affectiva* consistit in antecedenti et benevola voluntate, qua Deus ante praevisionem consensus voluntatis statuit conferre gratiam, quam praevidit majorem contraria concupiscentia [6].

341. **Systema Molinistarum.** Thomistae et Augustinenses *objectivam efficaciam* gratiae deducunt ex *intrinseca* ejus natura, MOLINISTAE repetunt *ab extrinseco,* h. e. a praevisione consensus voluntatis. Ponunt in Deo triplicem scientiam *objecto* et *medio* distinctam, scil. scientiam *simplicis intelligentiae* qua in sua essentia cognoscit possibilia; *visionis* qua in sua voluntate et operatione cognoscit existentia sive praeterita sive futura; *mediam* qua in se ipsis h. e. in propria objectiva veritate cognoscit futuribilia seu conditionate futura. Porro *efficacia cognoscitiva* fundatur in scientia media, qua Deus praevidens consensum, quem homo in determinatis circumstantiis daturus esset alicui determinatae gratiae, hujus efficaciam cognoscit: *efficacia affectiva* est a gratuita benevolentia, qua Deus independenter a meritis, vult dare gratiam praevisam efficacem, *ut* et *quia* praevisam conjuncturam effectui: *efficacia objectiva* est a libero consensu voluntatis a Deo praeviso, qui necessitate consequenti deesse nequit [7]. Quod si instes quaerendo an *intrinsece* gratia efficax a sufficiente nullatenus differat, diversimode respondent. THOMASSINUS efficaciam ponit in *multiplicitate auxiliorum* quibus singillatim inspectis voluntas potest resistere, simul consideratis semper obtemperat: SUAREZ constituit in *congruitate* qua illuminatio intellectus et inspiratio voluntatis consonat indoli, ingenio, dispositionibus suscipientis: MOLINISTAE puri, etsi non negent gratiam pure sufficientem fore efficacem

---

[5] « Constat omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse *in se* ad opera salutaria *sufficientem,* i. e. non efficere actus salutares (solum) propter obicem carnalis et *robustioris delectationis,* cum tamen tribuat voluntati *posse* superare, si velit. Ut autem *velit* requiritur in hoc statu sancta delectatio *victrix,* quae a nullo corde respuitur: et hanc nos dicimus gratiam esse *efficacem.* Igitur gratia efficax est illa quae semper cum effectu conjuncta est, sive caritas quae dat *posse et velle* et tantum (tam efficaciter) velle, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem *facile vincat,* nec solum dat *posse* agere, sed efficit *ipsam actionem* ». BERTI, *De theol., disc.* XIV, c. 8, n. 5.

[6] C. MAZZELLA, n. 630 sqq.

[7] Cf. Vol. 2 n. 168.

si esset intensior vel diuturnior vel magis contemperata indoli suscipientis, affirmant tamen quod ex his non provenit ejus infallibilitas objectiva, sed ex solo *praeviso consensu* voluntatis [8].

342. **Systema Neo-thomistarum.** Hi distinguunt inter entitatem actus et determinationem ejus. *Entitas* actus ejusque termini est a Deo tamquam a causa prima quae sola valens attingere omnia in ratione entis [9], movet quamlibet creaturam motu universali, quantum est de se indifferenti ad quemcumque determinationem actus liberi vel necessarii, naturalis vel supranaturalis, consensus vel dissensus. Haec motio *determinationem* seu *speciem* accipit a subjecto in quo recipitur, ac proinde, cum agitur de causa necessaria, a natura hujus causae determinatur ad unum; cum agitur de causa libera, determinatur a voluntate quae, indifferenter se habens ad diversa, sub motione generali potest flecti in actum naturalem et supernaturalem [10]. Verum ut flectatur in actum supernaturalem, ad quem non habet naturalem potentiam, debet prius elevari, et hoc fit gratia habituali in justo, gratia actuali in peccatore [11]. At voluntas etiam constituta in potentia proportionata ad actum non potest se determinare sub influxu motus generalis, nisi prius excitetur; et ad hoc ordinatur *gratia excitans* [12] sub cujus influxu voluntas constituitur in actu deliberationis. Si voluntas eligit [13] consensum, ex motione generali, de qua diximus, sequitur actus supernaturalis, et gratia excitans nomen *efficacis* accipit: si eligit dissensum ex eadem motione generali sequitur actus naturalis imperfectus vel peccaminosus, et gratia excitans nomen habet *sufficientis* [14]. Ex his patet influxum gratiae praecedere exercitium liberi arbitrii, ac proinde gratiam efficacem et sufficientem, non distingui re, sed pari ratione constituere intellectum et voluntatem in actum indeliberatum, quem alias diximus proprium terminum gratiae [15]. Itaque *efficacia objectiva* gratiae efficacis non est repetenda cum Thomistis et Augustinensibus a physica ejus entitate, sed cum Molinistis a libero consensu voluntatis a Deo praeviso et proviso: *efficacia cognoscitiva* est a scientia futuribilium, quae reprae-

---

[8] C. MAZZELLA, n. 659 sqq.

[9] Supra n. 291.

[10] BILLOT, p. 17, 22-6.

[11] BILLOT, 72-4, 89.

[12] BILLOT, p. 19-25, 143 sqq.

[13] Cum dico *eligit*, ne cogites actum medium inter instinctivum et salutarem: consensus enim est « applicatio appetitivi motus ad aliquid praeexistens in potestate applicantis ». S. THOM. 1-2 q. 15 a. 3.

[14] Si vis aliquo exemplo illustrare quomodo idem influxus Dei diversimode determinetur, cogita *existentiam* quae juxta perfectiones essentiarum diversimode eas actuat, cogita *sacramentum* quod juxta dispositiones suscipientium diversimode gratiam efficit, cogita *navim* a vento quidem motam sed juxta gubernaculi flexionem diversimode procedentem.

[15] BILLOT, p. 131.

sentantur in divina essentia prout est imago et exemplar entis liberi et omnium determinationum ejus [16]: *efficacia affectiva* est a gratuita benevolentia Dei qui, independenter a meritis creaturarum, vult dare gratiam quam praevidit conjunctum iri cum effectu, *ut* et *quia* sic reipsa effectui jungendam.

THES. 38. — *Efficacia gratiae non est explicanda* — 1 *motione praedeterminante* — 2 *neque bona delectatione majori prava concupiscentia,* — 3 *sed extrinseca habitudine ad consensum voluntatis a Deo praevisum et volitum; unde* — 4 *gratia efficax a sufficiente non differt physica entitate, sed* — 5 *tantum ratione beneficii.*

343. **Prima pars.** *Efficacia gratiae deduci nequit ex motione praedeterminante,* quia haec pervertit notionem gratiae sufficientis et obstat libertati. PERVERTIT NOTIONEM GRATIAE SUFFICIENTIS, quia in sententia Thomistarum praemotio est absolute necessaria ad agendum; unde qui habet tantum gratiam sufficientem, neque *in re,* neque *in causa* tenet *omnia* requisita ad agendum: non *in re,* quia praemotio est tantum in gratia efficaci; non *in causa,* quia voluntas praemotionem gratiae efficacis mereri vel determinare nequit: quare recipiens solam gratiam sufficientem, non habet veram illam potestatem agendi, quam Scriptura et Patres testantur. OBSTAT LIBERTATI, quia libertas importat indifferentiam activam seu potestatem se determinandi; in sententia vero Thomistarum sub influxu gratiae efficacis voluntas non habet potestatem retinendi actum, nec se determinat, sed a praemotione ad unum determinatur [17].

344. **Secunda pars.** *Efficacia gratiae reponi nequit in delectatione concupiscentia majori.* Ut taceamus Augustinensium sententiam *a)* falso inniti fundamento, siquidem gratia cum delectatione non convertitur [18], et *b)* fere ad verbum respondere haeresi Jansenii [19]; notamus *c)* componi non posse cum certitudine scientiae divinae vel cum libertate hominis. Profecto vel majori delectationi voluntas resistere nequit, et actum est de libertate hominis, siquidem delectatio non secus ac praedeterminatio est forma determinata ad unum et recepta in potentia; vel potest resistere, et Deus omnimoda certitudine cognoscere nequit effectum inde secuturum. Respondit BERTI sub delectatione victrici salvari libertatem, quia « circa bona quaelibet particularia voluntas habet illam plenissimam libertatem, quam appellamus indifferentiae, quaeque nullo constringitur vinculo necessitatis » [20], « quamobrem sequitur

---

[16] Vol. 2 n. 182.
[17] Supra n. 293.
[18] Supra n. 301.
[19] Cf. n. 287.
[20] BERTI, *De grat.* Repar. diluc. p. 2. c. 5.

quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat; sed sequitur libere »[21]. Verum si haec fidem salvant, animum in tranquillo non sistunt, unde BERTI subdit quod non « proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur beatis per lumen gloriae, ideoque manet vera indifferentia judicii et vera libertas »[22]. Sed neque haec responsio satisfacit; indifferentia quippe *judicii* non constituit libertatem, sed praesupponitur exercitio ejus. Hinc alii dicunt sub delectatione victrici manere libertatem *physicam* cum necessitate *morali*, quae sufficit ad certitudinem inducendam, ut patet de homine sanae mentis qui jocandi causa *potest*, sed certissime *non eruet* sibi oculum[23]. At Scripturae non loquuntur de *necessitate morali* bene agendi sub influxu gratiae efficacis et de *morali necessitate* peccandi sub influxu gratiae sufficientis, sed de expedita potestate peccandi sub influxu gratiae efficacis[24], et de expedita potestate bene agendi sub influxu gratiae sufficientis[25]; necessitas insuper moralis, utcumque magna, *absolutam certitudinem* non parit, ac proinde non salvat certitudinem divinae scientiae, cui falsitas absolute repugnat.

345. **Tertia pars.** *Efficacia gratiae repetenda est ex extrinseca habitudine ad consensum voluntatis a Deo praevisum et volitum.* Profecto efficacia gratiae ita debet exponi ut salvetur *a)* libertas humanae voluntatis cum *b)* totali dependentia creaturae a causa prima, necnon *c)* absoluta certitudo effectus *(efficacia objectiva) d)* a Deo cogniti *(efficacia cognoscitiva)* et *e)* gratuito voliti *(efficacia affectiva)*: atqui haec salvantur in proposita sententia: ergo. *a) Salvatur libertas,* quia determinatio potentiae est a principio intrinseco afficiente ipsam potentiam: si ergo gratia, quae recipitur in voluntate non praecontinet determinationem actus liberi, sub influxu gratiae voluntas servat suam indifferentiam activam. *b) Salvatur dependentia a Deo,* quia voluntas in actu electionis constituitur actu instinctivo a gratia determinato, ipsa vero electio secundum totam suam entitatem est a Deo tamquam a primo motore[26]. *c) Salvatur infallibilitas objectiva,* quia certitudo effectus non deducitur a natura gratiae, sed ex effectu, cui inest necessitas consequens, profecto absolutissima[27]. *Salvatur infallibilitas cognoscitiva,* quia cognitio efficacitatis gratiae non fundatur in aliqua re contingenti, sed in ipsa realitate effectus qui relucet in divina essentia, prout est exemplar futuribilium[28]. *Salvatur gratuitas affectiva,* quia voluntas tri-

[21] BERTI, *De theol. disc.* XIV c. 8 pr. 4.
[22] BERTI, *l. c.*
[23] Apud *Mazzella,* n. 639.
[24] Eccli. **31.** 10-11.
[25] Isai. **5.** 1 sqq. supra n. 315.
[26] Supra n. 342.
[27] Vol. 2 n. 168.
[28] Vol. 2 n. 182.

buendi gratiam, scientia futuribilium praevisam conjuncturam effectui, non est in Deo ex praeviso consensu voluntatis humanae, sed ex liberrimo consilio suae voluntatis, quo antecedenter ad merita vult illam dare [29].

346. **Quarta pars.** *Gratia efficax a sufficiente non differt physica entitate.* Est corollarium partis praecedentis; si enim efficacia gratiae non est ei intrinseca, entitas gratiae efficacis potest privari effectu et esse pure sufficiens, sicut clare testantur Scriptura et Patres. Profecto in **Scripturis** ea, quae dominus fecit vineae suae, *entitative* et *materialiter* inspecta apprime conveniunt iis quae in aliis vineis fructus edunt: semen, quod cecidit in terram bonam et fructum attulit, ejusdem erat naturae ac illud quod cecidit secus viam et non germinavit: Christus testatus est easdem virtutes, quae inefficaces fuerant Corozain et Bethsaida, efficaces futuras fuisse Tyro et Sidoni [30]. — **Patres** saepe repetunt quod *aequalis* est gratia quae datur justo et peccatori: quod peccatores *non minus* ceteris accipiunt, sed abutuntur donis, quae fructificant in justis: quod *uno opere* Deus juvat bene agentem et eum qui male operatur [31]. « Ex his, inquit ORIG., quos assumpsimus Pauli sermonibus [32] evidenter ostenditur quod *uno eodemque opere Dei,* quo imbrem terrae largitur, alia quidem diligiter exculta fructus ferat bonos, alia vero, quae negligenter exculta est, spinas et tribulos proferat » [33]. Et CYRIL. Alex.: « Proditor *aequaliter* aliis Salvatoris auxilium (habuit)..., *non minus* quam ceteri divina gratia regebatur » [34]. Similiter CHRYS.: « Gratia Dei diffusa est...: omnibus *eadem* est, omnibus se facilem exhibet, omnes *pari honore advocat* » [35]. Et AUG.: « Si *eadem tentatione* ambo tententur, et unus ei cedat, alter perseveret; quid aliud apparet, nisi unum *voluisse,* alterum *noluisse* a castitate deficere? » [36]. Hinc BELLAR.: « Fieri potest, ut *eadem motione interna* duobus adhibita, unus convertatur, alius non convertatur, et unus magis alius minus proficiat » [37].

347. **Quinta pars.** *Gratia efficax a sufficiente differt ratione beneficii.* Nam si *dissensus* voluntatis, qui est in gratia pure sufficiente,

---

[29] Supra n. 312; vol. 2 n. 233.

[30] Isai. **5**. 1-2; Luc. **8**. 5 sqq.; Matth. **11**. 20 sqq.

[31] His verbis Patres non docent aequalem distributionem gratiarum; sed impugnant defectum verae sufficientiae, quasi peccatoribus detur tantum gratia dimidiata.

[32] Hebr. **6**. 7 sqq.

[33] ORIG. *De Princ.,* III n. 10.

[34] CYRIL. Alex. in *Joan,* XI, c. 17 n. 12.

[35] CHRYS. in *Joan.* hom. 8 n. 1.

[36] AUG. *De Civ. Dei,* XII, c. 6; ad *Simpl.,* I, q. 2 n. 13.

[37] BELLARM. *De grat. et lib. arb.,* VI, c. 15. FRANC. Sales. *Teotim.,* II, c. 6 dicit quod Ninivitae gratia *minori* illa, quae data est Corozain, poenitentiam egissent.

utpote res mala, non est objectum divinae voluntatis; *consensus* e contra qui datur gratiae efficaci, est res bona et directe intenta a Deo, qui gratiam efficacem confert *ut* et *quia* conjuncturam effectui: subaudit ergo specialem Dei amorem, et prout respicit ultimum opus salutare vitae, ipsam praedestinationem. Sicut autem gratia efficax praestat sufficienti ex parte divini amoris, ita excellit ratione utilitatis; gratia quippe pure sufficiens non conjungitur termino, efficaci e contra additur gratia adjuvans, eaque obtinetur *effectus*, qui soli *potentiae* manifeste praestat. Ergo ex parte dantis et ex parte accipientis gratia efficax sufficienti praestat, seu est majus beneficium.

348. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Gratia efficaci elicitur actus meritorius seu deliberatus qui gratiâ pure sufficiente repugnat: ergo gratia efficax entitative considerata est quid majus sufficiente. **Resp.** Ut patet ex praedictis, influxus, quo fit actus deliberatus, est a motione generali, quae ex parte sui est indifferens ad actum consensus et dissensus, nec proinde pertinet ad gratiam proprie dictam.

349. **Objic. 2.** Influxus generalis non sufficit ad actum meritorium, quia entitas hujus actus est supernaturalis, et quia, saltem in peccatore, voluntas debet elevari ut fiat potentia apta ad actum supernaturalem. **Resp.** Ratio supernaturalitatis influxus, quo elicitur actus meritorius, non praeterit naturam influxus generalis de quo diximus; hic enim attingit rationem *entis* quae utroque ordini naturali et supernaturali est communis. Quod autem potentia exuta gratiâ habituali debeat elevari actuali, verum est; sed hoc fit gratia praeveniente; « nam cum nihil moveat nisi in quantum est actu, oportet ut voluntas adhuc sit in actu pie affectionis indeliberatae, quando incipit seipsam movere ex libertate sui arbitrii. Et si ad positionem actus deliberati, adhuc est actus instinctivus supernaturalis simul cum motione supplente in potentia habitus defectum, dicendum sane, nullam esse necessitatem novae motionis elevantis, sed unam eamdemque pro utroque actu sufficere, sicut etiam pro utroque sufficit unus et idem numero habitus » [38].

CAPUT III.

De oeconomia gratiae seu De gratiae necessitate et distributione.

350. **Capitis divisio.** Hucusque gratiam actualem consideravimus in se, agendum nunc est *de usu* gratiae, in quo duo consideranda ve-

[38] BILLOT, p. 132.

niunt, *necessitas* scil. ad malum vitandum et bonum prosequendum, et *collatio* seu distributio gratiarum : hinc praemisso artic. 1 *de distinctione actus naturalis a salutari,* agemus — 2 *de necessitate gratiae ad observandam legem naturalem,* — 3 *de necessitate gratiae ad vincendas graves tentationes,* — 4 *de necessitate gratiae ad actus salutares,* — 5 *de dono perseverantiae et privilegio vitandi omnia venialia peccata,* — 6 *de distributione gratiarum.*

ART. 1 - DE BONITATE ETHICA ET SALUTARI ACTUUM LIBERORUM.

351. **Actus ethice seu naturaliter bonus, praeternaturalis, supernaturalis seu salutaris.** *Ethice* seu *naturaliter bonus* est actus qui, divinae legi non repugnans, praesefert intrinsecam moralem excellentiam operis libere eliciti a creatura rationali. *Supernaturalis* est actus proxime vel remote ordinatus ad vitam aeternam : si meretur gratiae collationem [1] vel ejus augmentum [2] et consequentem vitam aeternam, dicitur *salutaris;* si usque ad gratiam sanctificantem non pervenit, sed viam parat ad illam [3], generícum nomen actus *supernaturalis* retinet [4]. Actus tandem elicitus auxilio indebito, sed entitative vires naturae non superans, nomine proprio vocatur *praeternaturalis.*

352. **Undenam supernaturalitas actus salutaris.** Omnibus consentientibus supernaturalitas actus salutaris provenit *ex natura divini influxus* [5] quo elicitur; hic enim complet potentiam naturalem in ratione principii activi actus salutaris : atqui « distinguuntur formae, (seu species rerum) ab invicem secundum diversa *principia activa,* eo quod omne agens facit simile secundum speciem » [6] : ergo ex supernaturali influxu gratiae deducitur supernaturalitas actus salutaris. Sed repetine debet etiam *ex objecto formali?* [7]. Cum agitur de distinctione virtutum ad invicem omnes concedunt, sed actum supernaturalem a naturali ejusdem

---

[1] V. g. actus caritatis perfectae.

[2] V. g. opera justorum.

[3] V. g. actus *fidei, spei, attritionis* a peccatore eliciti.

[4] Stricte loquendo actus *salutaris* distinguuntur a *supernaturali,* licet in vulgato sermone convertantur.

[5] Nomine *divini influxus* non intelligitur tantum influxus gratiae *actualis,* sed etiam *habituum* virtutum infusarum.

[6] S. THOM. 1-2 q. 54 a. 2.

[7] OBJECTUM MATERIALE est *res* quae cognoscitur, diligitur, fugitur; FORMALE est *motivum* seu *ratio* quae in objecto attenditur, et movet potentiam ad actum.

virtutis distingui ex objecto, utut formali, quidam [8] concedunt tantum quando actus est supernaturalis *quoad substantiam* [9]. Ratio est quia specificatio actus provenit ex modo tendendi in objectum : atqui in hac vita intellectus et voluntas pari modo tendunt in objectum actus supernaturalis et naturalis : ergo. Et *prob. min.*, nam in vita praesenti supernaturalia non attinguntur directe, sed mediantibus speciebus acquisitis, ideoque naturalibus quae possunt naturaliter movere intellectum et voluntatem : unde praesupposita notitia revelationis ex praeambulis fidei, dari potest *fides naturalis* qua credimus vera esse quae Deus revelavit, *spes naturalis* qua a Deo expectamus bona promissa, *caritas naturalis* qua Deum auctorem revelationis et objectum beatificae visionis super omnia diligimus : et similiter de virtutibus moralibus [10]. Alii tamen ex noto principo S. THOMAE quod actus specificantur ex objecto formali [11], tenent ordinem naturalem a supernaturali distingui etiam objecto formali [12]. Hanc sententiam probabiliorem habemus, quia objecta supernaturalia percipiuntur quidem speciebus desumptis a sensibus, sed « referuntur ad eam formalitatem, secundum quam actus supernaturalis est; et hoc sensu actus supernaturalis recte dicitur habere *objectum formale supernaturale* » [13]. Profecto, cum CONC. ARAUS. dicit nos non posse « per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae cogitare, ut expedit, aut eligere » [14], non signat solam diffe-

---

[8] SCOTUS in *III Dist.* 23 q. 1 ; SOTUS, *De natura et grat.*, II, c. 14 ; MOLINA, *Concord. lib. arb.* q. 14 a. 13 Disp. 7 ; GABRIEL, *III Dist.* 23 q. 2 concl. 2 ; DURAND. *in III Dist.* 28 q. 1 ; CAPREOL. *in III Dist.* 24 q. 1 ; PALUDAN. *in IV Dist.* 14 q. 2 ; BILLOT, *De virtut.* c. 3 § 1 p. 64-8.

[9] Supernaturalem *quoad substantiam* intelligunt actum quo objectum supernaturale attingitur modo proportionato, seu cognitione propria et consequenti appetitione, ut fit in beatifica visione ; supernaturalem *quoad modum* dicunt actum quo objectum supernaturale attingitur imperfecte, cognitione scil. analogica et consequenti volitione quod fit in vita praesenti. Pro sua opinione BILLOT citat S. THOM. 2-2 q. 171 a. 2 ad 3 ; sed, ni fallimur, S. Doct. distinguit inter actum qui a creatura solum *instrumentaliter* esse potest, ut sanatio infirmi, et actum qui a creatura (habitibus infusis ornata) est tamquam a *causa* aliquomodo *principali*, ut opus meritorium.

[10] Profecto, dicunt, *revelatio* et *auctoritas Dei*, facta revelatione, innotescunt lumine naturali : atqui cognita auctoritate Dei revelantis homo potest ei assentiri viribus naturae, siquidem rationale agnoscit tale mentis obsequium : ergo sine gratia homo potest assentiri formali fidei objecto. BILLOT, *l. c.*

[11] S. THOM. 1 p. q. 77 a. 3 ; 1-2 q. 1 a. 3 ; q. 54 a. 2 ; q. 63 a. 4 c. ; ad 1 ; ad 3 ; *III Dist.* 33 q. 1 a. 2 ; *De Virt.* q. 1 a. 10 ad 7, etc.

[12] SUAREZ, *De gratia*, II c. 11 n. 8 ; LUGO, *De fide* disp. 9 sect. 1 n. 18 ; RIPALDA, *De ente super.* disp. 45 sect. 2 et 8 ; C. MAZZELLA, n. 57 ; PESCH, n. 70 ; SCHIFFINI, *De Grat.* n. 209.

[13] PESCH, n. 71.

[14] CONC. ARAUS. II, cn. 7.

rentiam ex parte principii, sed praecipue ex parte objecti. Nonne insuper negata differentia inter objectum fidei et rationis aperitur via erroribus Pelagianorum et Rationalistarum existimantium ea se posse naturae viribus agere, quae justi operantur gratiâ?

ART. 2 - DE NECESSITATE GRATIAE AD OBSERVANDAM LEGEM NATURALEM.

353. **Status quaestionis.** Lex *naturalis* opponitur *positivae,* et complectitur omnia officia (erga Deum, homines et seipsum) quae innotescunt lumine rationis: observari vero potest *simpliciter* seu quantum sufficit ad vitandum peccatum mortale, et *salutariter* h. e. *prout oportet* ad meritum vitae aeternae. Necessitas gratiae non vindicatur pro implemento cujusvis praecepti, sed pro observatione *totius* legis naturalis, etiamsi fiat *sine ordine ad finem supernaturalem.*

354. **Catholicorum opiniones.** Omnes theologi docent doctrinam de necessitate gratiae ad diuturnam observantiam totius legis naturalis esse certam [1]; sed non conveniunt circa objectum hujus necessitatis, et circa naturam gratiae necessariae. Quod attinet ad *objectum* AUGUSTINENSES [2] gratiam requirunt ut opus sit bonum simpliciter, seu attento etiam fine ultimo, BELLARMINUS et SUAREZ [3] ut homo possit Deum diligere amore benevolentiae, VASQUEZ et RIPALDA [4] ex positiva Dei lege et ex congruitate auxilii quo eliciuntur, quod quidem PALMIERI et PESCH [5] tenent de justis in quibus caritas elevat opera naturaliter bona ad dignitatem operum salutarium, A. MAZZELLA [6] cum communiori sententia affirmat aliqua bona opera, ipsumque benevolentiae amorem posse sine gratia elici. — Quod attinet ad *naturam gratiae* requisitae, generatim docent sufficere praeternaturalem, plures tamen cum BILLOT supernaturalem affirmant [7].

355. **Errores — Veritas.** *Defectu* peccaverunt PELAGIANI et SEMIPELAGIANI penitus negantes gratiae necessitatem ad bona opera, vel gratiam derivantes ex meritis naturae: *excessu* erra-

---

[1] SUAREZ, *De gratia,* I, c. 26, n. 12.

[2] Apud PESCH, n. 143.

[3] BELLARM., SUAREZ, MOLINA, SOTUS, etc. apud *Mazzella,* n. 416.

[4] VASQUEZ in 1-2. Disp. 189, 190, 217; RIPALDA, *De gratia,* 1, c. 11 sqq.

[5] PALMIERI, *De gratia,* p. 268; PESCH, *De Virt.* n. 641-2.

[6] MAZZELLA, n. 478.

[7] BILLOT, *De grat.* p. 66-8; J. VAN DER MEERSCH, *De grat.* n. 88. *NB.* Ut diximus, n. 277, gratia *praeternaturalis* est illa quae tantum ab extrinseco, seu ex modo quo confertur, rationem indebiti induit.

verunt REFORMATORES, BAJUS et JANSENIUS ex falso principio de corruptione naturae existimantes absolute vel saltem sine gratia omnia opera esse mala et peccata [8]. — **Veritas.** *Gratiae necessitas* ad observantiam totius legis naturalis implicite est definita in doctrina de naturali impotentia ad vitanda omnia peccata [9]: ad honeste agendum *non requiri statum sanctitatis* definitum est in CONC. TRID.: « S. q. d. omnia opera quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, esse peccata vel odium Dei mereri... a. s. » [10]: *non requiri fidem* constat ex damnatione prop. BAÎ: « Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes vitia » [11]: posse vero *solis naturae viribus* elici opera ethice honesta, sequitur ex condemnatione prop. QUESNELLI: « Voluntas, quam gratia non praevenit,... est capax omnis mali, incapax ad omne bonum » [12].

THES. 39. — 1 *Non omnia opera peccatorum et infidelium sunt peccata, sed homo etiam sine gratia potest,* — 2 *aliqua opera naturaliter honesta facere,* — 3 *et Deum amore benevolentiae diligere.*

356. **Pars prima.** *Non omnia peccatorum et infidelium opera sunt peccata.* ARGUM. 1. Nam **Scripturae** peccatores et infideles exhortantur ad opera bona facienda [13], laudant de benefactis [14], praemia eis reddita commemorant [15] et poenitentiam, quam de peccatis egerunt [16], in exemplum adducunt [17]: atqui peccata nec ad imitandum proponi, nec laudari, nec praemio retribui, nec praecipi possunt a Deo: ergo. ARGUM. 2: *Gentes... naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt,... testimonium reddente illis conscientia eorum inter se cogitationibus... defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum* [18]. In hoc testimonio, ut ex contextu et ex

---

[8] Supra n. 287.

[9] CONC. MILEV. II, cn. 6-8, INN. I ad *Conc. Carth.*; COEL. I ad *Gall.* c. 6, etc.

[10] CONC. TRID. sess. 6, cn. 7; cn. 25.

[11] *Prop.* 7, BAÎ.

[12] CLEM. XI condem. *Quesn.* pr. 39; 2, 28, 40, 41 etc.; *Baî,* pr. 27, 36; pr. 11 ex dam. ab ALEX. VIII.

[13] Eccli. **21**. 1; Ezech. **18**. 30; Dan. **4**. 24; Zach. **1**. 3, etc.

[14] Jos. **2**. 1; 2 Paral. **36**. 23; Isai. **44**. 28; Hebr. **11**. 31.

[15] Exod. **1**. 15.

[16] Manasses, Magdalena, publicanus, Zachaeus, etc.

[17] 2 Paral. **33**. 11, sqq.; Luc. **7**. 37 sqq.; **18**. 13 sqq.; **19**. 2 sqq.

[18] Rom. **2**. 14-6.

Patribus docent interpretes [19], Paulus loquitur de infidelibus : atqui docet quod actione approbata ab eorum conscientia, confirmanda a Deo in die judicii, faciunt opera decalogi [20] : ergo etiam infideles quaedam opera naturaliter honesta agunt. — **Patres** non solum *a)* testantur factum, dicentes cum HIER. quod « multi absque fide et evangelio Christi vel *sapienter* faciunt aliqua vel *sancte,* ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant » [21] ; sed *b)* possibilitatem bonorum operum arguunt ex bonitate naturae [22] et ex gratia, quae peccatoribus et infidelibus non denegatur [23] ; et inde *c)* explicant divinam providentiam, qua « malus prosperis utitur rebus... ut illorum paucorum bonorum (quae in peccato egit) retributionem accipiat » [24]. — **Ratio** petitur ab experientia, qua constat peccatores et infideles aliquando diligere parentes et amicos, subvenire pauperibus, reddere operantibus mercedem, etc., quae profecto non sunt peccata, sed bona opera.

357. **Secunda pars.** *Homo potest solis naturae viribus opera quaedam ethice honesta agere.* Nam **Scripturae** quaedam bona opera tribuunt ethnicis reduplicative inspectis [25], et deducunt ex naturali cognitione legis [26] : atqui ethnici, qua tales, non habent gratiam, cognitio vero naturalis non ordinatur ad opera gratiae : ergo [27]. — **Patres** *a)* agnoscunt quaedam opera bona contradistincta ab operibus gratiae ; dicunt enim cum FULG. quod « lex factorum... potest quidem naturaliter esse in corde gentium et in

---

[19] CORNELY in *Rom.* p. 135 sqq. ; SUAREZ, *De grat.* I, c. 8, n. 13 sqq.

[20] Apostolus proprie loquitur de lege Mosaica, sed prouti est manifestatio legis naturalis. CORNELY, *l. c.*

[21] HIER. in *Gal.* 1 ; AUG. *serm.* 349, c. 1, n. 1 ; *De Spir. et Litt.* c. 28, n. 48 ; PROSP. *C.Collat.* c. 26 ; FULG. *De inc. et grat. Chr.* c. 26 ; GREG. M. in *Evang.* hom. 27.

[22] Infra n. 357.

[23] ORIG. *in Isai.* hom. 5, n. 2 ; AUG. *epis.* 130, n. 2 ; *C. Jul. IV,* c. 3, n. 14 sqq. ; *De praed. sanct.* c. 7 ; *De bapt.* I, c. 3 ; IV, c. 23 ; in *Joan.* tr. 44, n. 13.

[24] CHRYS. *Ad popul. ant.* hom. 67 ; Opus imp. in *Matth.* (?) hom. 26 ; AUG. *De civ. Dei,* V, c. 15.

[25] *Nonne et ethnici hoc faciunt?* Matth. 5. 47.

[26] *Naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* Rom. 2. 14. Notat tamen CORNELY in *h. l.* naturalem cognitionem legis non excludere auxilium gratiae pro implemento ejus.

[27] SUAREZ, *De grat.* I, c. 8, n. 12, negat thesim efficaciter probari ex Scripturis, quia auxilium gratiae *praeternaturalis* expresse non excludunt.

corde infidelium judaeorum, quae tamen *sine fide Christi* nullatenus justificat sectatores suos » [28]. *b)* Haec autem bona opera cum BASIL. et AUG. tribuunt naturae viribus, et cum PROSP. deducunt ex incorruptione naturae [29]. — **Ratio** est quia, ut loquitur PROSP. « naturae humanae, cujus creator est Deus, etiam post praevaricationem manet substantia, manet forma, manet vita et sensus et ratio ceteraque corporis et animae bona, quae etiam malis vitiosisque non desunt » [30].

358. **Tertia pars.** *Solis naturae viribus homo potest Deum affectivo* [31] *amore benevolentiae diligere.* Nam in statu naturae purae amor Dei non solum possibilis, sed debitus fuisset; vires ergo naturae non excedit : atqui vires naturae originali culpa non sunt corruptae : ergo. Ceterum « recta ratio dictat solum bonum infinitum esse summe diligendum et per consequens voluntas hoc potest ex puris naturalibus : nihil enim potest intellectus recte dictare, in quod dictatum non possit voluntas naturalis naturaliter tendere » [32]. « Si naturaliter, inquit S. ANTON., amat filius patrem, a quo habet partem corporis; quanto magis amare debet Deum, qui et corpus et animam ex nihilo fecit » [33].

THES. 40. *Sine gratiae auxilio — 1 homo non potest diu totam legem naturalem observare, sed — 2 ut semper in bono perseveret, gratia sanctificante debet confirmari, — 3 ut autem diu legem impleat sufficit actualis quae praeternaturalis tantum esse potest.*

359. **Prima pars.** *Solis naturae viribus homo non potest universam legem naturalem diu servare.* **Ex Scripturis.** *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati... Infelix homo quis me liberabit de cor-*

---

[28] FULG. *Epist.* 17, c. 27, n. 52; AUG. *De perf. iust.* c. 19, n. 41; PROSP. *C. Coll.* n. 36.

[29] BASIL. in *Hexaem.* hom. 9; ORIG. in *Rom.* II, n. 7. — AUG. *De Spir. et Litt.* c. 28, n. 48. — PROSP. *C. Collat.* n. 36; AUG. *De spir. et litt.* c. 28, n. 48.

[30] PROSP. *l. c.;* S. THOM. 1-2 q. 109 a. 2.

[31] Amor *effectivus* importat executionem voluntatis Dei, quae sine gratia, ut vidimus, non est.

[32] SCOT. in *III Dist.* 27, q. unic.

[33] ANTON. *Theol.* p. 4, tit. 6, c. 3, § 2. « Inexcusabilis, inquit BERNARD. *De dilig. Deo,* c. 2, n. 6, est omnis, etiam infidelis, si non diligit Dominum suum... Clamat nempe intus ei innata et non ignorata rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat ».

pore mortis hujus ? Gratia Dei per J. C. D. N.[34]. **Argum.** Quae Apostolus directe docet de lege mosaica intelligenda quoque sunt de naturali : atqui de illa testatur moralem impossibilitatem observandi sine gratia : ergo. MAJOR. Directe Apostolum loqui de lege mosaica CORNELY concludit ex contextu, qui est de *judaeo non baptizato,* unde « ipsam mosaicam legem omnino intelligamus oportet, quam modo ad ejus originem respiciens (Apostolus) legem Dei appellavit, nunc vero *legem mentis* appellat, quia secundum interiorem hominem cum ea consentit et condelectatur »[35]. Quod autem Apostolus directe dicit de lege mosaica intelligendum esse et de naturali, multipliciter constat : *a) Ex fine* Apostoli qui non vult judaeos postponere ethnicis, sed ostendere utrosque esse inferiores christianis. *b) Ex modo argumentandi,* siquidem Apostolus docet judaeos non posse observare totam legem mosaicam, quia lex excitat appetitum rei prohibitae[36], et quia concupiscentia dominatur in homine, qui veluti captivus ei reluctare nequit : atqui haec, ut quisque videt, non minus valent de lege naturali quam de mosaica : ergo. *c) Ex peculiari praecepto non concupiscendi,* siquidem Apostolus non docet tantum impossibilitatem servandi *totam legem,* sed etiam particulare *praeceptum continentiae*[37] : atqui hoc praeceptum est naturale : ergo. PROB. MIN. *a) Ex textu.* Nam pravam concupiscentiam, qua ad violationem legis mentis inducimur, Apostolus vocat *legem* ad peccatum sic nos *captivantem,* ut sine gratia[38] simus *corpus peccati*[39] : atqui *lex* est firma deter-

[34] Rom. **7.** 23-5. Argumentum deducitur ex toto contextu **7.** 7 — **8.** 4.

[35] CORNELY in *Rom.* p. 388. Qui ex Rom. **2.** 14-5 explicant testimonium de lege naturali scripta in cordibus, facilius, sed non firmius, concludunt.

[36] Rom. **7.** 7-8.

[37] *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces* (v. 7). Hoc praecepto non reassumi universam legem patet ex v. 12 : LEX *quidem sancta et* MANDATUM *sanctum.* Adde pro Apostolo legem naturalem quoad substantiam identificari cum lege mosaica.

[38] Quod est impossibile viribus naturae *fieri possibile gratiâ, a)* aperte docent ultima verba testimonii, quibus tribuitur gratiae *liberatio* a corpore *mortis* seu peccati, et *b)* constat ex toto contextu, siquidem impossibilitatem observandi legem Apostolus adducit ad ostendendam necessitatem Evangelii, quo proinde possibilis fieri debet. Hinc *c)* affirmat *nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu* (**8.** 1); Deus enim « in Filii sui carne peccatum devicit, ut homines in posterum justificationem legis implerent ». CORNELY *in Rom.* **8.** p. 403.

[39] In textu est *corpus mortis;* sed « mortis nomine hic et in tota pericope significatur *mors animae,* seu mors spiritualis, ad quam peccatum in corpore

minatio, independens a voluntate ejus cui imponitur, *captivus* (scil. servus) opponitur libero, et genitivus specificationis *(peccati)* proprietatem essentialem exhibet : ergo sine gratia concupiscentiâ necessario subdimur peccato. *b) Ex contextu.* Nam homini separato a Christo Apostolus tribuit quidem propensionem ad bonum, sed habere negat media sufficientia ad bonum cognitum exequendum [40] ; unde quoad *factum* testatur omnes peccare [41], et quoad *potentiam* docet non suppeditari vires ad legem servandam [42] : atqui haec valent etiam de ethnico quoad observationem legis naturalis : ergo. — **Ex Patribus** INNOC. I improbat eos, qui « negligentes auxilium Dei, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc indigere divina affirmant, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad *omnia vitae perficienda mandata* sola libertate contendit » [43]. AUG. addit non sufficere gratiam extrinsecam, qua cognoscuntur praecepta, siquidem « illa (doctrina) sine adjuvante Spiritu procul dubio est littera occidens » [44]. COELEST. I impossibilitatem hanc deducit ex concupiscentia et ex diaboli tentationibus. « Nemo, ait, etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per cotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit » [45]. — **Ex ratione.** Nam praecepta legis naturalis nec pauca, nec omnia facilia sunt, quotidie vero, imo saepius in die, urgent, ac proinde ex se valde vexant liberum arbitrium quod, originali culpa vulneratum, debile est et inconstans; quomodo ergo perseverabit cum concupiscentia exardescit, cum

---

(scil. in carne) habitans, quando occasione legis suscitatur, homines legi subjectos adducit ». CORNELY, *l. c.* p. 390.

[40] *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio* (v. 18). « Se ipsum examinans... homo lapsus in mente quidem sua *propensionem* quamdam ad bonum detegit... verum in carne sua non invenit, quo bonum, quod facere vellet, *exequatur* ». CORNELY in *h. l.* p. 381.

[41] *Non quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago* (v. 19). Vide etiam **3.** 9-12, et nota haec non dici ab Apostolo in persona *propria*, sed *judaei non baptizati*. Verbis Apostoli parilia sunt illa HORATII : *Video meliora proboque deteriora sequor.*

[42] *Quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem* (**8.** 3); scil. « caro rebellabat contra interiorem hominem cum Lege consentientem eumque impediebat, ne Legis praecepta impleret ». CORNELY, *l. c.* p. 399.

[43] INN. I, epist. ad CONC. MILEV.

[44] AUG. *De spir. et litt.* c. 19, n. 32 ; c. 4, n. 6.

[45] COEL. I, *ad Gall.* c. 6.

occasio allicit, cum diabolus illusionibus decipit et suadet? Profecto sicut navis, quae in mari scopulis pleno hinc inde vento agitur, certissime perit, nisi valido regatur nauta; ita homo in ferventi pelago passionum inevitabilem peccati mortem incurret, nisi Deus sua gratia voluntatem ejus roboret.

360. **Secunda pars.** *Ad simpliciter perseverandum in observatione legis naturalis requiritur gratia sanctificans.* Nam cum media ordinentur in finem : constans electio mediorum supponit rectam ordinationem in finem : ergo praxis praeceptorum Dei supponit ordinationem animae in ultimum finem : atqui ultimus finis hominis unus est et supernaturalis, in quem sola gratia ordinamur : ergo [46]. Profecto « non est dubitandum quin valeat Deus per speciale quoddam regimen actualis gratiae, non modo diu, sed toto etiam vitae tempore, ab omni ulteriori lapsu servare hominem habituali gratia destitutum. Id tamen certo certius esset praeter et contra regulares gratiae leges. Oportet enim ut sit proportio inter principia et principiata, adeoque ut constanti cuidam rectitudini in operando, respondeat constans quoque rectitudo in operativis potentiis; cujus quidem constantis ac perdurantis rectitudinis *causa connaturalis* non est gratia actualis, sed sola habitualis » [47].

361. **Tertia pars.** *Gratia necessaria ad observandam legem naturalem pro diuturno aliquo tempore, non est supernaturalis sed praeternaturalis.* Nam actus aeque specificantur ex principio et ex objecto : cum igitur objectum est in ordine naturae, auxilium gratiae supernaturale esse debet tantum quoad modum quo confertur, et non quoad ipsam entitatem : atqui observatio legis naturalis per se ordinem naturae non praeterit : ergo. Accedit quod gratia observandi legem naturalem datur etiam infidelibus qui nullam ideam ordinis supernaturalis habent : atqui sine notitia ordinis supernaturalis actus supernaturalis repugnat : ergo. Profecto quod RIPALDA obtrudit de positiva voluntate Dei conferendi gratias *supernaturales,* negamus quia ex Scripturis et ex Patribus non probatur, et quia inducit confusionem ordinis naturalis et supernaturalis, cum peregrina sententia de fide *late sumpta* [48], quam omnes rejiciunt. Majori fundamento non innititur sententia VASQUEZ, siquidem *congruitas* auxilii, etsi indebita meritis, non

[46] S. THOM. 1-2, q. 109 a. 8.
[47] BILLOT, *De Grat.* p. 82.
[48] RIPALDA apud *Mazzella,* n. 845-6.

est improportionata naturae, et fuisset in statu naturae purae; *ordinatio* vero operum naturalium *ad finem supernaturalem* est negativa, unde intrinsecam naturam actus non attingit. Quod autem BILLOT [49] deducere conatur ex fine incarnationis item non concludit, siquidem etiam auxilium praeternaturale est donum concessum intuitu meritorum Christi, non secus ac sanitas miraculosa et alia hujusmodi.

362. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(Contra th. 39).* Scriptum est: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet* [50]: ergo omnia opera humana, saltem sine gratia, sunt peccata [51]. **Resp.** Salomon, sicut Jacob et Joan. [52], non docet hominem *semper* peccare, sed *non semper* bene agere, siquidem aliquando saltem peccat leviter. Quod si cum ATHAN. et HIER. testimonium explicare velimus de peccatis mortalibus, dicemus hominem *diu* non posse perseverare in justitia sine gratia [53].

363. **Objic. 2.** *Non potest arbor mala bonos fructus facere* [54]: atqui homo sine gratia est arbor mala: ergo [55]. **Resp.** Similitudine arboris Christus non docet omnia opera justorum esse bona, et omnia opera peccatorum mala; sed, ut ex contextu patet, hominum « vitam (et) opera esse bene consideranda monet, neque enim fieri potest ut impietas ceteraque vitia *diu* in animis lateant, sed mox in opera prorumpent » [56].

364. **Objic. 3.** AUG. docet infideles nihil boni facere, eorumque virtutes esse vitia [57]: ergo. **Resp.** AUG. non negat bonitatem ethicam quorumdam operum infidelium, quam alias testatur [58], sed docet ethnicos sine fide et gratia non esse simpliciter bonos, eorumque virtutes saepe esse apparentes, et si verae, carere tamen merito aeternae vitae [59].

365. **Objic. 4.** Opus ex fine specificatur: atqui opus sine gratia elicitum in finem ultimum non ordinatur: ergo. **Resp.** Opus naturaliter bonum ordinatur in ultimum finem *negative*, prout nullum obstaculum ponit ad consecutionem ejus: ordinatio vero positiva ex parte agentis non est necessaria pro omni actu, et ex parte operis sufficit naturalis, quia natura non est eversa a gratia, sed ad perfectionem adducta.

---

[49] BILLOT, p. 66-8.
[50] Eccle. **7**. 21.
[51] CAROLOST. apud *Hergenr.* VI, 29.
[52] Jac. **3**. 2; 1 Joan. **1**. 8.
[53] Apud A LAPIDE in *h. l.*
[54] Matth. **7**. 18; **12**. 33; Luc. **6**. 43.
[55] CALVIN. et KEMNIT. apud *Bellar.* De grat. et lib. arb. V, c. 10.
[56] KNAB. in *Matth.* I, p. 299.
[57] AUG. *C. Jul.* IV, c. 3; *De nupt.* c. 3-4, etc.
[58] Supra n. 356.
[59] C. MAZZELLA, n. 450.

366. **Objic. 5** *(Contra th. 40).* Deus impossibilia non jubet : atqui jubet observantiam suae legis : ergo [60]. **Resp.** Impossibilitas observandi legem naturalem est *moralis* tantum, unde simpliciter loquendo non eximit a praecepto divino [61] : sed insuper Deus moralem impossibilitatem aufert gratiâ, quae omnibus quoad sufficientiam datur.

367. **Objic. 6.** Qui potest singula peragere, potest omnia facere : atqui singula praecepta homo potest sine gratia observare : ergo. **Resp.** *Neg. antec.,* nam in collectiva observantia est aliquid plus quam in distributiva, scil. est *constantia* in bono, quae naturaliter deest homini lapso. Hinc HIER. : « Non quia ad breve tempus possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire. Numquid in perpetuum? » [62].

ART. 3 - DE NECESSITATE GRATIAE AD VINCENDAS TENTATIONES.

368. **Quid tentatio et quotuplex.** « Tentari est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum vero sumitur de aliquo ut sciatur aliquid circa ipsum; et ideo proximus finis cujuslibet tentantis est scientia. Sed quandoque ulterius ex scientia quaeritur aliquis alius finis vel bonus vel malus; bonus quidem, sicut cum aliquis vult scire qualis aliquis sit vel quantum ad scientiam, vel quantum ad virtutem, ut eum promoveat; malus autem, quando hoc scire vult, ut eum decipiat vel subvertat » [1]. Hoc altero sensu sumitur in praesenti *tentatio* quae est obstaculum impediens executionem praecepti, vel stimulus ad peccatum : si occasio vel stimulus peccati manet extra agentem, ut v. g. pravum consilium, tentatio est *externa;* si in ipso agente invenitur, v. g. concupiscentiae aestus est *interna: levis* dicitur si inefficacem habet suasionem et debilem inclinationem; *gravis* si valde inclinat voluntatem in malum. Porro gravitas tentationis non absolute est aestimanda, sed *respective ad subjectum;* saepe enim tentatio quae sedato est levis, gravis est ardenti; nec solum est ponderanda ex vehementia affectus, sed etiam ex instantia, duratione et multiplicitate; siquidem impotentia est potius ex defectu *fortitudinis* quam ex defectu *virtutis,* unde difficilius superatur tentatio diuturna quam vehemens; in moralibus

---

[60] PELAGIANI apud *Hergenr,* II, p. 278.

[61] Vol. 1, n. 84.

[62] HIER. *C. Pelag.* III, n. 12.

[1] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 2; 2-2 q. 97 a. 1.

quippe renovantur quod contingebat gladiatoribus qui, validioribus adversariis superatis, lassi tandem prosternabantur ab infirmis.

369. **Quotuplex de tentationibus victoria.** Triplex agnoscitur : *salutaris, apparens* et *non salutaris*. Victoria est *salutaris* quando tentatio superatur ex motivo supernaturali ac proinde actu qui habet meritum vitae aeternae : est *apparens* quando tentatio vincitur ex motivo turpi, « nonnumquam (enim) apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quae putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, et quaedam sibi placendi altitudo ruinosa »[2] : est vera sed *non salutaris* quando tentatio vincitur ex motivo honesto, sed naturali tantum; tunc enim nullum peccatum committitur, sed actus non habet meritum vitae aeternae. Quaestio de necessitate gratiae procedit de hac tertia victoria, primae enim gratia competit titulo actus salutaris, alterae repugnat.

370. **Errores — Veritas.** Absolutam impeccantiam esse in nostra potestate arbitrati sunt PELAGIANI et Semipelagiani[3]. **Veritas.** Insufficientiam liberi arbitrii ad superandas omnes tentationes docuit INNOC. 1 : « Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenae labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium »[4].

THES. 41. *Ad superandas graves tentationes homo indiget auxilio gratiae.*

371. **Ex Scripturis.** *Tentatio vos non apprehendat* (gr. apprehendit) *nisi humana; fidelis autem Deus non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum* (gr. exitum) *ut possitis sustinere*[5]. In hoc testimonio Apostolus potestatem vincendi tentationes deducit ex divina gratia : ergo sine gratia homo omnes tentationes vincere non potest. Loqui de virtute sufficienti ad superandas tentationes, constat ex attributo *humana*, quod non dicitur de *origine*, siquidem pugnare debemus etiam contra daemones[6], sed de *virtute*, ita ut humana sit tentatio « quamdiu vires hominis non superat »[7]. Porro vires quibus tentatio fit

---

[2] AUG. *De Civ. Dei*, XXI, c. 16.

[3] Supra n. 287.

[4] INN. I ep. ad *Conc. Carth.* apud *Aug.* epist. 181, n. 5; SYN. PALEST. apud *Aug.*; COEL. I, *ad Gall.* ep. 21, c. 6.

[5] 1 Corinth. **10.** 13.

[6] *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus.* Eph. **6.** 12.

[7] CORNELY, in 1 *Corinth.* p. 286.

humana non esse a natura sed ab auxilio gratiae, constat : *a) ex nomine ipso,* siquidem frustra revocaretur Corinthiis eorum tentationes fuisse vel futuras esse humanas, si non darentur tentationes *suprahumanae : b) ex radice,* nam tentationes esse humanas Apostolus repetit ex *fidelitate Dei,* fidelitas autem non dicitur de Deo in ordine naturae sed gratiae, in quo *maxima et pretiosa promissa donavit* [8] : *c) ex agente,* nam Apostolus nostram victoriam tribuit *Deo* [9], cui opera nostra naturalia specialiter non adscribuntur. *d)* CONFIRM. *ex Ephes.* ubi Apostolus suadet nos sumere armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli, eique resistere in die malo [10] ; si enim natura sufficeret, inutilis esset armatura fidei, quae ad ordinem gratiae pertinet. — **Patres** *expresse docent* cum AUG. : « In hoc agone, cum confligimus, Deum habemus spectatorem ; in hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adjutorem ; si enim non ipse nos adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus » [11]. Hanc vero necessitatem deducunt *a)* ex *infirmitate* nostrae naturae, *b)* ex *daemonum* virtute, et *c)* ex *praecepto* orandi. *a)* « Miror inquit AUG. contra Pelagium, quo corde, etiam sine adjutorio medicinae Salvatoris nostri, nostrum putet esse non peccare, *posse vero non peccare* naturae *esse contendat,* quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre » [12]. *b)* Et ZOSIMUS : « Superbum est, ut quidquam sibi humana natura praesumat, clamante Apostolo : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* » [13]. *c)* « Quando oramus, ne in tentationem veniamus, ait CYPR., admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat » [14]. **Ex ratione.** Nam liberum arbitrium imminuitur perturbatione intellectus et impetu passionis inclinantis in malum : atqui gravi tentatione perturbatur intellectus et excitatur aestus passionum : ergo gravi tentatione imminuitur libertas bene agendi et inducitur moralis necessitas peccandi.

---

[8] 2 Petr. **1.** 4.

[9] *Deus... faciet cum tentatione proventum* (gr. exitum). 1 Corinth. **10.** 13.

[10] Eph. **6.** 10-2.

[11] AUG. *serm.* 156, alias 13, c. 9 ; AMBR. *in Ps.* **43**, n. 71.

[12] AUG. *De nat. et grat.* c. 48, n. 56.

[13] ZOSIM. apud *Coel.* I, ep. 21 *ad Gall.* c. 9.

[14] CYPR. *De orat. dom.* ; HIER. *C. Pelag.* II ; AUG. *De nat. et gratia,* n. 62 ; CONC. MILEV. epist. *ad Inn.* apud AUG. *epist.* 176.

Art. 4 - De necessitate gratiae ad actus salutares et ad initium fidei.

372. **Quid initium fidei.** Cum necessitas gratiae ad *initium fidei* sit vindicata contra Semipelagianos, ab his sensus vocis est quaerendus; atqui Semipelagianis *fidei initium* significabat « quod homo ad gratiam obtinendam, absque gratia desiderat, quaerit, pulsat, orat, conatur illam obtinere » [1]. Itaque non consistit in praeparatione *negativa*, qua homo viribus naturae vel gratiis praeternaturalibus observando legem naturalem removet gratiae [2] obstacula; sed consistit in praeparatione *positiva*, quae in ipsa linea actus salutaris est initium seu inchoatio ejus [3].

373. **Quae gratia necessaria ad actus salutates et ad initium fidei.** Certe non sufficit gratia praeternaturalis; haec enim, utpote indebita tantum quoad modum, non elevat potentiam ad ordinem supernaturalem, et cum entitative considerata ordinem naturae non praetergrediatur, non est sufficiens principium actus supernaturalis. At si ulterius quaeratur de entitate hujus supernaturalis influxus, non una est theologorum sententia. Quidam docent ad omnes et singulos actus supernaturales requiri gratiam praevenientem [4] qua intellectus illustretur et voluntas inspiretur, et adjuvantem qua opus eliciatur [5]: alii distinguunt inter justos et peccatores: pro his, qui privatione gratiae sanctificantis constituuntur extra ordinem salutis, vindicant necessitatem gratiae actualis pro singulo actu salutari; pro illis qui habitibus infusis sunt jam potentia proportionata ad actus salutares, requirunt gratiam actualem quando « ex infirmitate carnis et connexis defectibus seu tentationibus gravior accidat difficultas » [6], sed pro ordinariis actibus salutaribus sufficere putant motionem generalem qua potentiae secundum

---

[1] C. Mazzella, n. 285.

[2] Supra n. 309.

[3] Ne confundas *initium fidei* cum quovis *desiderio* vel quacumque *petitione* gratiae; facta enim revelatione, sicut homo naturaliter potest cognoscere bonitatem gratiae, ita videtur quod naturaliter possit desiderare et petere a Deo hujusmodi bonum: sed desiderium naturale gratiae et respondens oratio non sunt *initium fidei*, quia non habent rationem meriti ad gratiam credendi, et habentur tantum uti praeambulum fidei, vel *negativa* praeparatio ad illam.

[4] Pesch, n. 109 hanc doctrinam dicit communissimam.

[5] Excipiunt tantum casum in quo actus liber « induit rationem gratiae excitantis quoad sequentem actum ». Pesch, *l. c.*; Schiffini, *De Grat.*, n. 158.

[6] Billot, *De grat.*, p. 91.

propriam conditionem in actum deducuntur [7]. Ratio est quia habitus elevant potentiam ad ordinem supernaturalem; unde, facta objecti propositione, sufficit formalis eductio de potentia in actum, quod pertinet ad Deum uti ad motorem universalem. Haec sententia probabilior videtur si actus supernaturales specificantur *ex solo principio,* tunc enim objecti propositio cursum naturae sequitur; sed si specificatio actus nobiscum sumitur *ex objecto,* videtur quod motio generalis non sufficiat; antequam enim potentia moveatur ad actum, attingere debet suum objectum in eodem ordine in quo est agendum; quia ergo haec propositio viribus naturae fieri nequit, obtineri debet gratia. Altera haec sententia conformior videtur testimoniis Scripturae et Patrum adducendis in thesi; prima tamen nullam theologicam notam meretur, siquidem supernaturalia opera justorum non repetit a solis viribus naturae, sed a gratia habituali et a motione generali quae, ut respondeat habitibus supernaturalibus, explicantur influxu entitative supernaturali, nulli creaturae debito [8].

374. **Errores — Veritas.** Necessitatem gratiae ad *actus salutares* negarunt PELAGIANI, ad *fidei initium* SEMIPELAGIANI, juxta praedicta in historia dogmatis [9]. **Veritas.** Necessitas gratiae ad singulos *actus supernaturales,* jam definita ab INNOC., ZOSIMO, CONC. ARAUS. 2, DIOSP. et AFRIC. [10], confirmata est in CONC. TRID.: « S. q. d., ad hoc solum divinam gratiam per C. J. dari, ut facilius homo, juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit; a. s. » [11]. Necessitas gratiae *ad initium fidei,* proposita a COEL. 1, definita est in CONC. ARAUS. 2: « S. q., sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum... non per gratiae donum... sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur » [12].

---

[7] CAJET. in 1-2 q. 109 a 9; SOTUS, *De nat. et grat.,* III, c. 4; MOLINA, *Concord.* q. 14 a. 13 disp. 8; BELLAR., *De grat. et lib. arb.,* VI, c. 5; *De grat. primi hom.* c. 4; TERRIEN, *La grâce et la gloire,* I, p. 186; II, p. 58; PIGNAT., *De grat.,* p. 127; BILLOT, *De virt. inf.,* p. 173; *De grat.,* p. 90-1; KONINGS, *De grat. div.,* I, p. 26; VAN DER MEERSCH, *De grat.,* n. 338.

[8] « Justus, inquit BILLOT, p. 89, indiget moveri a Deo in ordine ad singulos actus salutares, cum supernaturales habitus non transcendant conditionem causarum secundarum, quae semper requirunt initialem motionem *sui ordinis,* videlicet *supernaturalem si ordinis supernaturalis,* naturalem si naturalis, ut de statu inactivitatis ad activitatem reducantur ».

[9] Supra n. 287.

[10] CONC. ARAUS. II, cn. 9; INN. I ad *Conc Milev.,* II; ZOSIM., *Tract.,* etc.; SYN. DIOSP.; CONC. AFRIC., cn. 80.

[11] CONC. TRID. sess. 6 cn. 2.

[12] CONC. ARAUS., II, cn. 5; 3, 4, 6, 7; COELEST. I epis. 21 *ad Gall.* c. 12

THES. 42. — 1 *Ex Scriptura,* — 2 *ex Patribus, et* — 3 *ex theologica ratione constat gratiam esse necessariam ad omnes et singulos actus salutares, et* — 4 *ad ipsum fidei initium.*

375. **Prima pars.** *Scriptura docet necessitatem gratiae ad omnes et singulos actus salutares.* **Testim.** *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* [13]. **Argum.** In hoc testimonio Christus loquitur de supernaturali influxu ad bene agendum seu de gratia actuali : atqui eam docet necessariam pro singulo actu salutari : ergo. PROB. MAJOR. Agi *de ordine supernaturali* manifestum est, siquidem Christus eos alloquitur *a)* qui propter suum sermonem mundi seu sancti erant [14], *b)* qui conjungebantur ei sicut palmites viti, *c)* suscipientes ab eo influxum Patri non communem [15] : atqui in ordine naturae non datur sanctitas [16], homo non incorporatur Christo [17], nec Christus habet operationem contradistinctam ab operatione Patris [18] : ergo testimonium est de ordine supernaturali. Quod vero non sit sermo de sola *gratia* habituali sed de *actuali,* inde constat *a)* quod distinguitur ab unione cum Christo quae est per gratiam habitualem [19] : *b)* quod in similitudine agitur de fructibus qui jugi influxu vitis maturescunt [20] : *c)* quod Christus loquitur de operibus [21], quae profecto sunt in ordine actuum et non habituum. PROB. MIN. Nam Christus influxum gratiae comparavit influxui vitis in palmites : atqui hic physice necessarius est ad omnes et singulos fructus : ergo. Nec obstat similitudines non tenere in omnibus; necessitas enim influxus ad fructificandum est praecipua

---

[13] Joan. **15.** 5.

[14] Vers. 3. Sermo Dei « est *cum amore notitia,* et per amorem accendit affectum et incendit et consumit purgando in affectu, et per notitiam illuminat intellectum et propellit tenebras erroris; sic mundat et intellectum et affectum ». KNAB. *in Joan.* p. 446.

[15] « Addens : *Pater meus agricola est* declarat se ut Messiam... esse vitem, proin eodem modo quo est caput Ecclesiae ». KNAB. *in Joan.* p. 444.

[16] Profecto *natura sumus filii irae.* Eph. **2.** 3.

[17] Homo sine gratia pertinet ad *veterem hominem* Adamum. Rom. **5.** 12; **6.** 6; Eph. **4.** 17 sqq.

[18] Profecto Christus in quantum Deus est *agricola* sicut Pater, ejusque opera agit. Joan. **5.** 19; **9.** 4; **10.** 37; etc.

[19] Nam necessitas influxus Christi proponitur Apostolis qui erant in gratia.

[20] Sane *fructificare* non competit palmiti formaliter ex unione ad vitem, sed prout unione *socius radicis* factus, participat etiam de *pinguedine ejus* (Rom. **11.** 17).

[21] *Sine me nihil potestis* FACERE. v. 5.

ratio quae attenditur in metaphora vitis, eamque Christus in toto testimonio considerat et expresse signat dicens : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis* [22]. *b)* Ceterum « quam necessarius sit iste influxus Christi in membra, seu vitis verae in palmites, clarissime simul et gravissime docetur : *quia sine me nihil potestis facere;* eo scil. in ordine, qui in Christo vite vera pro nobis existit, in ordine supernaturalis salutis. Proinde sicut palmes sine influxu, vigore, succo vitis nihil frondis, floris, fructus proferre potest, ita nos nihil ad salutem pertinens sine gratia Christi interna efficiemus, qua et mens illustretur et voluntas salubriter moveatur » [23].

376. **Secunda pars.** *Gratiae necessitatem ad singula opera salutaria multipliciter testantur Patres.* Revera plures cum AUG. affirmant absolutam impotentiam naturae ad opera salutaria; siquidem gratia D. N. J. C., illa est « *qua sola* homines liberantur a malo et *sine qua nullum prorsus* sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum » [24]; quippe « sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest sine quo *nihil* fieri potest » [25]. Alii cum CHRYS. nostra bona opera tribuunt gratiae Dei : « *Non tua sunt* recte facta sed Dei gratiae. Etiamsi fidem dicas, ea existit ex vocatione, et si dicas remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinae verbum, si virtutes, omnia inde accepisti » [26]. Alii cum ZOSIMO necessitatem

---

[22] Vers. 4. Hinc Christus dicit se vitem *veram;* scil. « is sum cui conditiones vitis et ea quae notione vitis declarantur vere conveniunt, imo longe perfectius quam viti communi; qui itaque vere habet naturam, indolem, proprietates, dotes vitis, quia melius ac perfectius suos sibi injunctos atque insitos nutrit et foecundat, quam palmites suos vitis naturalis ». KNAB. in *h. l.*

[23] KNAB. *in Joan.* p. 448.

[24] AUG. *De corr. et grat.* c. 2; CLEM. Alex., *Strom.,* IV; ARNOB. *C. Gent.,* II c. 33; EUSEB. in *Ps.* **16.** et **61**; BASIL. in *Ps.* **33.** 3; HILAR. in *Ps.* **118.** n. 5; ATHAN. in *Ps.* **118**; GREG. Nyss. in *Orat. dom.* serm. 4; AMBR. in *Luc.,* II, n. 84.

[25] AUG. in *Joan.* tr. 81 n. 3.

[26] CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 12 n. 2; in *Matth.* hom. 29 apud *Palm.* p. 294; CLEM. ROM. 1 *Corinth.* n. 32; IGNAT. M. ad *Smyr.* c. 1; ad *Polyc.* n. 7; CYPR. ep ad *Donat.; Test.,* III; HILAR. in *Ps.* **123.** n. 2; BASIL. hom. *De humil.* n. 3; GREG. Nyss. *De diff. essent. et hypos.;* GREG. Naz. *Or.* 37 (al. 31) n. 31; COELEST. I, ep. 21 *ad Gall.* c. 9; GREG. M., *in Ezech.,* I hom. 8 n. 2. « Docet Paulus, inquit GREG. Naz. *l. c.,* quod ipsum etiam *recte velle* divino auxilio indigeat, imo, ut rectius loquar, *voluntas* quoque ipsa et *electio* eorum, quae recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium sit atque a Dei benignitate manans ».

gratiae extendunt ad omnia tempora : « Quod tempus intervenit quo ejus non egemus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est » [27]. Alii probant ex Scripturis [28], ex Traditione [29] et ex praxi orandi [30]. Alii illustrant exemplis ligni aridi, oculi sine luce, arboris mali, etc. « Sicut, inquit IREN., arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic et nos lignum aridum existentes primum numquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia » [31]. Et AUG. : « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae adjuvetur, recte non potest vivere » [32]. Similiter TERTUL. : « Non dabit arbor mala bonos fructus, si non inseratur... Et genimina viperarum fructum poenitentiae facient, si venena malignitatis exspuerint. Haec erit vis divinae gratiae potentior utique natura » [33].

377. **Tertia pars.** *Necessitatem gratiae ad singulos actus supernaturales evincit ratio.* Nam *peccatores* non habent potentiam proportionatam; *justi* vero habent quidem « principium proportionatum ad eliciendos actus salutares, sed manet in actu primo seu in potentia ad hos actus eliciendos. Jamvero sicut in ordine naturali facultates non possunt transire in actum secundum, nisi moveantur tum ab objecto proposito, tum a concursu (praemotione) Dei in-

---

[27] ZOSIM. *Tract.;* HIERON. epis. 132 *ad Ctesiph.;* CYRIL. Alex. *De ador. in spir. et verit.,* V, n. 165.

[28] « Nunc mihi Scripturam testimonia replicanda sunt, quomodo per singula Dei a *sanctis* flagitetur auxilium et *in singulis operibus* suis illo adiutore et protectore uti desiderent ». HIER. *Dial. c. Pelag.* c. 1 n. 5.

[29] Ad *Traditionem* provocant COELEST. I, LIRIN. et AUG. qui, invocatis testimoniis IREN., CYPR., RETICII, OLYMPII, HIL., AMBR., GREG. (Naz.), INNOC., JOAN. (Chrys.), BASIL. et HIER., concludit : « Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebamus, et apud eos acta est causa nostra... Nondum vobiscum certabamus et iis pronuntiantibus vicimus ». AUG. *C. Jul.,* II, n. 34; *C. duas epist. Pelag.,* IV, n. 24 sqq.; COELES. I ep. 21 *ad Gall.* c. 11; VINC. LIRIN. *Com.* c. 34.

[30] Ex *praxi orandi* arguit COELEST. dicens ubique pastores postulare et precari Deum pro conversione infidelium, haereticorum, schismaticorum peccatorum deque eorum conversione Deo gratias agere « ut legem credendi statuat lex supplicandi ». COEL. I epis. 21 *ad Gall.* c. 11; CYRIL. Hieros. *Catech.* 13 n. 8.

[31] IREN. *Adv. haer.,* III, c. 17 n. 2.

[32] AUG. *De nat. et grat.* c. 26 n. 29. Alias (in *Ps.* **34** ser. 1 n. 2) justum vocat *gladium in manu Dei;* gladium vero non pugnat, nisi moveatur.

[33] TERTUL. *De anim.* c. 21.

terno; ita non sufficit homini habere in actu primo potentiam ad agendum salutariter, sed potentia, ut in actum traducatur, movenda est tum ab objecto supernaturali tum ab interna Dei motione, qua objectum debito modo apprehendit et appetit » [34].

378. **Quarta pars.** *Gratia est necessaria etiam ad initium fidei.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. Si initium salutis esset ab homine, Deus non inciperet opus bonum, sed tantum perficeret retribuendo ei qui prior dedit : atqui Scripturae docent quod Deus bonum opus in nobis incipit [35], et nulli retribuit, sed prior dat [36] : ergo. ARGUM. 2. In ordine salutis homo expers gratiae comparatur caeco [37], animali [38], ramo exciso [39], mortuo [40], non enti [41] : atqui haec exhibent absolutam impotentiam ad opus salutare [42] : ergo sine gratia homo non potest opus salutis incipere. ARGUM. 3. Initium fidei est *cogitatio* eorum quae credenda sunt, et pius conversionis *affectus* [43] : atqui *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* [44] ; et Jerem. clamat : *Converte nos Domine ad te et convertemur* [45] : ergo. — **Patres** necessitatem gratiae ad initium fidei testantur *a) explicite* quando docent cum AUG. quod « fides et *inchoata* et *perfecta* donum Dei est » [46], nec magis gratiam adultis retribuitur quam gratis donetur parvulis [47] : cum PROSP. quod « bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia » [48] : cum CHRYS. quod « vocatio et purgatio ex gratia sunt... non ex merito » [49] ; « Deus (enim) preces nostras

[34] PESCH, 112 ; PALMIERI, *th.* 28 p. 199 sqq. ; S. THOM. 1-2 q. 109 a. 9.

[35] *Qui coepit, in vobis opus bonum, perficiet.* Phil. **1.** 6.

[36] *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?* Rom. **11.** 35. *Ipse prior dilexit nos.* 1 Joan. **4.** 10, 19.

[37] *Eratis aliquando tenebrae : nunc autem lux in Domino.* Eph. **5.** 8.

[38] *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.* 1 Corinth. **2.** 14.

[39] Rom. **11.** 17-22.

[40] Rom. **5.** 15 ; Eph. **2.** 3-5.

[41] Nam in Christo sumus *creati.* 2 Corinth. **5.** 17 ; Gal. **6.** 15 ; Eph. **2.** 10.

[42] Hoc expresse docet Christus dicens : *Sine me nihil potestis facere.* Joan. **15.** 5.

[43] Supra n. 372.

[44] 2 Corinth. **3.** 5. Directe Apostolus loquitur de necessitate gratiae ad praedicationem evangelicam inveniendam, explanandam ac suadendam ; sed consequenter dicit etiam de susceptione Evangelii seu de fide ; haec enim invicem cohaerent. CORNELY in *h. l.* p. 85-6.

[45] Thren. **5.** 21.

[46] AUG. *De praed. sanct.*, I, c. 8 n. 16 ; PROSP. *Resp. ad excep. Genuen.*

[47] AUG. *De praed. sanct.*, I, c. 12 n. 23-4.

[48] PROSP. *C. Collat.* n. 8 ; HILAR. in *Ps.* **118** lit. 5 n. 4 ; lit. 6 n. 2.

[49] CHRYS. in *Matth.* hom. 69 n. 2 ; in *Eph.* hom. 4 n. 2.

praevenit »[50] : cum AMBR. quod « non in potestate nostra est cor nostrum ; sed nostrae cogitationes »[51] sunt in virtute Dei, qui « ut id, quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit operatur... ; a Deo enim praeparatur voluntas hominum »[52]. *b) Implicite* vero idem testantur quando sine distinctione docent quod « in gratia Dei *totum* possumus, sine gratia autem *nihil* »[53] ; unde « in nullo gloriandum (est), quando nostrum nihil est »[54], quippe « ipsum, quod nostrum est, sine Dei miseratione *nostrum non est* »[55]. — **Ratio.** Nam inter medium et finem, initium et profectum datur proportio : atqui nulla est proportio naturae ad opus salutare, quod pertinet ad ordinem supernaturalem : ergo.

379. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Dicit APOSTOLUS : *Velle* (bonum) *adjacet mihi, perficere* (gr. operari) *autem bonum non invenio*[56] : ergo homo sine gratia potest *velle* opus salutis : atqui in hac voluntate est praecise initium operis salutaris : ergo. **Resp.** *Nego suppositum ;* nam Apostolus non loquitur de opere salutari, sed de implemento legis naturalis[57].

380. **Objic. 2.** Scripturae saepe tribuunt homini praeparationem ad gratiam[58], quam illustrant exemplis Zachaei, boni Latronis et Centurionis[59] : ergo[60]. **Resp.** Praeparatio, de qua loquuntur Scripturae, non est naturalis dispositio ad gratiam, seu initium fidei viribus naturae elicitum, sed est supernaturale meritum *justificationis* gratiis actualibus acquisitum. Exempla vero adducta a Semipelagianis sic exponuntur a CONC. ARAUS. 2 : « Manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae gratiae largitate donata »[61].

381. **Objic. 3.** Patres Graeci docent Deum « expectare sinceram electionem cujusque »[62], « divinum auxilium in nostra situm esse vo-

---

[50] CHRYS. in *Gen.* hom. 28.
[51] AMBR. *De fuga saec.* c. 1 n. 1.
[52] AMBR. in *Luc.* proëm.
[53] CHRYS. in *Matth.* hom. 29 ; in *1 Corinth.* hom. 12.
[54] CYPR. *ad Quir.*, III, c. 4.
[55] HIER. *epist.* 130.
[56] Rom. **7.** 18.
[57] Supra n. 359 ; CORNELY in h. l.
[58] Prov. **16.** 1 ; 9 ; Ps. **80.** 11 ; Ezech. **8.** 31 ; Zach. **1.** 3 ; Jacob **4.** 8.
[59] Luc. **19.** 2 sqq. ; **23.** 42-3 ; Act. **10.** 1 sqq.
[60] CASSIAN. apud *Hergenr.* II p. 287.
[61] CONC. ARAUS., II, cn. 25.
[62] CYRIL. Hieros. *Catech.* 1 et 17 ; CHRYS. in *Rom.* hom. 2.

luntate » [63], « ad cognoscendam viam quae ducit ad Deum nos sufficere » [64], « omnis honestae actionis initium in nostra esse positum voluntate » [65] : ergo. **Resp.** Patres Graecos non secus a Latinis gratuitatem et necessitatem gratiae ad omnes actus salutares et ad ipsum initium fidei confessos esse, constat ex *novitatis* nota qua errores Pelagianorum et Massiliensium sunt signati ab AUG. [66], necnon ex proscriptione qua in Ecclesia Graeca sunt mulctati Pelagiani, statim ac suos errores protulerunt, atque ex apertis verbis supra relatis. Objecta testimonia, quae ceteroquin occurrunt etiam apud Patres latinos [67], non sunt intelligenda de omni actu salutari, sed de libero, eo sensu quod, acceptâ gratiâ, in potestate hominis sit bene agere vel non agere : quod Patres graeci urgere volebant contra Manichaeorum sectas inducentes fatum et auferentes liberum arbitrium [68].

382. **Objic. 4.** In curatione infirmi non medicus incipit, sed infirmus ipse qui, salutem desiderans, advocat medicum et suscipit medicinam : ergo etiam homo cum a peccato sanatur, debet gratiam desiderare et a Deo postulare [69]. **Resp.** *Nego paritatem;* nam in exemplo allato initium et progressum sunt in eodem ordine naturae, dum in opere salutari initium esset naturale et progressum supernaturale. Potius quam exemplo infirmi, genesis operis salutaris illustratur parabolis Samaritani et boni Pastoris, in quibus peregrinus, non rogatus, vulnerati hominis curam agit; et pastor, non vocatus, quaerit ovem quae perierat [70].

ART. 5 - DE DONO PERSEVERANTIAE ET DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS A VENIALIBUS.

383. **Quotuplex perseverantia.** *Perseverantia* in generica ratione dicit permanentiam, et in re nostra firmitatem in accepta justitia : duplex autem est duratio seu continuatio in sanctitate;

---

[63] BASIL. *Epis.* 294; GREG. Nyss. *De Beat.* or 5; GREG. Naz. *Or.* 31; CHRYS. in *Gen.* hom. 42.

[64] ATHAN. *C. Gent.* n. 30.

[65] METHOD. apud DAM. *in Eclog.*

[66] « Eorum (Pelagianorum) profanas vocum *novitates* Ecclesia Christi et *occidentalis* et *orientalis* horruit ». AUG. *C. duas epis. Pelag.*, IV, c. 8.

[67] TERTUL. *C. Marc.*, II; CYPR. *Exort. ad martyr.; Test.*, III, c. 52; HIL. in *Ps.* **118**; AMBR. *De Abraham*, II, n. 74; in *Ps.* **36**; HIER. in *Isai.* **49**; in *Ezech.* **3**; Dial. 3 *C. Pelag.*

[68] PALMIERI, *th.* 33 p. 285-97.

[69] CASSIAN., *Collat.*, XIII, n. 12.

[70] Luc. **10**. 30 sqq.; **15**. 14 sqq.

altera *imperfecta* quae post tempus magis minusve diuturnum mortali culpa solvitur, altera *perfecta* quae finem non habet, sed morte in aeternum firmatur. Perseverantia igitur perfecta « duplici veluti elemento constat, secundum quod partiri solet in passivam et activam. *Passiva* consistit in opportunitate mortis, seu conjunctione mortis cum statu gratiae... *activa* sita est in perenni usque in finem exercitio eorum quae ad statum gratiae retinendum augendumque pertinent » [1].

384. **Quae perseverandi gratia.** Concilium Tridentinum gratiam perseverandi vocat *speciale auxilium,* contradistinctum nempe a gratia sanctificante et ab habitibus infusis; hoc autem tripliciter potest intelligi : primo de influxu, quo Deus *conservat* gratiam sanctificantem, secundo de auxilio *gratiae actualis,* qua Deus adjuvat ad tentationes vincendas et ad opera salutaria peragenda, tertio de *dono* contradistincto a gratia actuali et habituali, quo voluntas firmetur in bono. Jamvero primus influxus non sufficit, siquidem non est *specialis* sed generalis, nec *auxilii* nomine donari solet : tertius, nisi agatur de *confirmatis in gratia* [2], admitti nequit [3]; ergo auxilium speciale ad perseverandum « resultat ex jugi suppeditatione auxiliorum saltem sufficientium internorum sive externorum, quibus homo justus potest et tentationes vincere, et in bono immutabiliter consistere, ac sic gratiae statum ad mortem usque, vel diu conservare » [4].

385. **Quo sensu perseverantia finalis dicatur magnum donum.** Dicitur *donum* quia peculiari ratione indebitum, dicitur *magnum* quia est fructus specialis amoris Dei et affert maxima bona suscipienti. Perseverantia finalis est profecto gratiarum *maxima,* quia est fructus amoris praedilectionis quo Deus supra praescitos diligit electos, quemque consequuntur justificatio impii, collatio plurium gratiarum efficacium et aeterna beatitudo, quibus profecto nihil praestantius [5]. Est *absolute inde-*

---

[1] C. MAZZELLA, n. 311.

[2] Quibusdam « datur *aliquod munus gratiae,* quo ita inclinantur in bonum, quod *non de facili* possunt a bono deflecti ». S. THOM. *De Verit.* q. 24 a. 9.

[3] SUAREZ, *De Grat.,* X, c. 2 n. 6 (cui consentire videtur SCHIFFINI, *De Grat.* n. 123) affirmat.

[4] C. MAZZELLA, n. 315; PESCH, n. 184; S. THOM. 1-2 q. 109 a. 10. — *NB.* Cur haec gratia actualis dicatur *speciale auxilium* diversimode exponunt. Qui enim in justis pro singulis salutaribus actibus exigunt gratiam actualem dicunt CONC. affirmare voluisse gratiam habitualem non sufficere ad elicienda opera salutaria; qui in justis negant necessitatem gratiae ad singulos actus salutares, dicunt CONC. docuisse necessitatem gratiae actualis ad superandas difficultates quae maxime ex concupiscentia etiam justis occurrunt.

[5] De hoc dono cf. Prov. **4.** 11-14; Apoc. **14.** 13; AUG. *De dono pers.* c. 17 et 21; C. MAZZELLA, n. 318.

bita, quia gratiae efficaces et mors in tempore opportuno non cadunt sub merito. « Illud, inquit S. THOM., cadit sub humano merito quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi a Deo movente sicut *terminus,* non autem id quod comparatur ad praedictum motum sicut *principium.* Unde patet quod perseverantia gloriae, quae est terminus praedicti motus, cadit sub merito; perseverantia autem viae non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione divina, quae est principium omnis meriti. Sed Deus gratis perseverantiae bonum largitur cuicumque illud largitur » [6]. — Quod si perseverantia finalis est gratuita, potest tamen oratione *infallibiliter impetrari,* siquidem Christus ait: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam* [7]. Hinc AUG.: « Hoc donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest » [8].

386. **Quale sit privilegium vitandi venialia.** Nota imprimis quod necessitas peccandi venialiter *a) non est physica* sed moralis et consistit in summa difficultate, cujus insuperabilitas fundatur in mutabilitate humanae voluntatis, et certitudinaliter agnoscitur divina revelatione: *b)* respicit *futurum,* siquidem sacramentis et bonis operibus et indulgentiis quisque potest liberari ab omni labe peccatorum: *c)* respicit *omnia venialia* etiam semideliberata: deliberata enim a perfectis vitantur: *d)* respicit *universitatem* peccatorum prout *collective* considerantur, siquidem opponitur virtuti constantiae, quae in multitudine majus obstaculum, quam in singulis, invenit: *e)* respicit *diuturnum tempus* [9], de cujus tamen duratione nil definiri potest « quia pendet ex variis circumstantiis, ut ex complexione et dispositione hominis, ex consuetudine, ex vitae statu et similibus » [10]. Jamvero gratia, qua a necessitate peccandi venialiter quis liberatur, *a) nomen* habet privilegii, quia est exemptio a lege universali: *b) non consistit* tantum in complexu gratiarum actualium sed juxta suavem providentiam Dei exigere videtur habituale charisma quo fomes concupiscentiae [11] auferatur: *c) collata* vero est uni

---

[6] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 9. In *sed contra est* arguit *ex facto* quod multi justi finalem perseverantiam non assequuntur.

[7] Joan. **14.** 13. Profecto non cuilibet orationi repromittitur tam magnum donum, sed orationi fervidae et perseveranti, *quoniam oportet semper orare et non deficere* (Luc. **18.** 1); multo magis quod perseverantia non est donum quod semel pro semper obtineatur, sed acquiritur « quatenus successive per unum actum impetratur gratia efficax ad subsequentem actum et ita deinceps usque ad finem vitae ». C. MAZZELLA, n. 338.

[8] AUG. *De dono pers.* c. 6.

[9] S. THOM. 3 p. q. 79 a. 4 ad 2.

[10] SUAREZ, *De Grat.,* IX, c. 8 n. 29. Venialia CONC. TRID. sess. 6 c. 11 dicit culpas *quotidianas,* non quia singulis diebus, sed quia frequenter committuntur. C. MAZZELLA, n. 348.

[11] Vol. 2 n. 552.

B. V. M. [12], quia de ceteris non constat; imo, si absolute accipiatur de praeservatione ab omnibus venialibus pro toto vitae cursu, probabilius est denegandum [13].

387. **Errores — Veritas.** Naturalem potentiam vitandi omnia peccata docuerunt PELAGIANI et SEMIPELAGIANI [14]. **Veritas.** Gratiae necessitas ad *perseverandum* definita est in CONC. ARAUS. II et confirmata in TRID.: « S. q. d. justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; a. s. » [15]: privilegium de *vitandis venialibus* quoad substantiam propositum est in CONC. MILEV. II, et definitum in TRID.: « S. q. hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio...; a. s. » [16].

THES. 43. — 1 *Ad perseverandum requiritur auxilium gratiae actualis,* — 2 *gratiis vero ordinariis non possumus longo tempore omnia peccata venialia vitare.*

388. **Prima pars.** *Ad perseverandum requiritur auxilium gratiae.* Revocentur imprimis testimonia quibus evicimus justos egere gratia ad singulos actus supernaturales [17]. His **ex Scripturis** ea addantur quae insufficientiam hominis ad perseverandum docent, et monent a Deo, qui opus bonum ad exitum ducit, esse exorandum auxilium. Sic legimus: *Nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat qui custodit eam* [18]. — *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* [19] — *Adjutor meus, ne derelinquas me* [20] — *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* [21]. — **Patres** *a)* cum PROSP. affirmant quod « justificatus homo, i. e. ex impio pius factus,... accipit... ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii, *numquam remoto adjutorio Dei,* sine quo nec proficere, *nec permanere* in bono quisquam potest » [22]. *b)* AUG.

---

[12] Supra n. 241.

[13] C. MAZZELLA, n. 352 in nota.

[14] Supra n. 287.

[15] CONC. TRID. sess. 6 cn. 22; cn. 16; ARAUS., II, cn. 10 et 19.

[16] CONC. TRID. sess. 6 cn. 23; MILEV., II, cn. 6 et 7.

[17] Supra n. 375.

[18] Ps. **126**. 1; **93**. 16; Jerem. **10**. 23; **32**. 40.

[19] Ps. **16**. 5.

[20] Ps. **29**. 9; **45**. 2; **61**. 6-7, etc.; 1 Paral. **29**. 18; Joan. **17**. 11.

[21] Philip. **1**. 6; 1 Petr. **5**. 10.

[22] PROSP. *Resp.* p. 1 c. 6; AMBR. in *Luc.*, II, n. 84; HIL. in *Ps.* **118** lit. 16 n. 10; INNOC. I, epist. ad *Conc. Carthag.*; AUG. *De corr. et grat.* c. 12 n. 38.

arguit ex precibus quibus Deum exoramus de perseverantia [23]. « Nam si haec (perseverantia) ab ipso (Deo) quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet : quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc a se ipso sumere existimet, non ab illo? [24]. — **Ratio** est quia « omne quod de se est variabile, ad hoc quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis. Homo autem variabilis est et de malo in bonum et de bono in malum. Ad hoc igitur quod immobiliter perseveret in bono, quod est *perseverare, indiget auxilio divino*... Ad hoc (autem non) sufficit aliquis habitus nobis infusus. Habitus enim qui nobis infunduntur divinitus, secundum statum praesentis vitae non auferunt a libero arbitrio totaliter mobilitatem ad malum... (Unde), habitis omnibus habitibus gratuitis, adhuc indiget homo divinae providentiae auxilio exterius gubernantis » [25].

389. **Secunda pars.** *Sine speciali privilegio omnia venialia peccata vitari non possunt.* Nam **Scripturae** docent quod *in multis offendimus omnes* [26] : *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas* [27] *in nobis non est* [28] ; unde Christus omnibus praecipit orare *dimitte nobis debita nostra* [29] : omnes ergo homines, justis non exceptis, sunt rei peccati : atqui, universalitas supponit necessitatem : ergo. — **Patres** cum HIER. docent quod « quamdiu ille finis advenit et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato, non naturae et conditionis... sed fragilitate et mutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur » [30]. Unde FULG. clamat : « Firmissime tene et nullatenus dubites etiam justos atque sanctos homines, exceptis his qui baptizati parvuli sunt, sine peccato hic neminem vivere posse » [31]. Hanc porro sententiam arguunt

---

[23] AUG. et CYPR. preces ad perseverandum deducunt ex oratione dominica.

[24] AUG., *De dono pers.*, n. 63 ; *De nat. et grat.*, c. 18.

[25] S. THOM. *Cg.*, III, c. 155 ; 1-2 q. 109 a. 10. — *NB.* Haec ratio non sumitur ex notione gratiae *elevantis*, quae valet pro omni actu ; sed ex notione gratiae *sanantis*, quae valet cum occurrunt difficultates superandae.

[26] Jac. **3**. 2.

[27] Attendas : *Veritas*, non *humilitas*.

[28] 1 Joan. **1**. 8 ; 2 Paral. **6**. 37 ; Ps. **142**. 2 ; Eccli. **7**. 21 ; Job. **37**. 7 ; Dan. **9**. 5 sqq.

[29] Matth. **6**. 12.

[30] HIER. *C. Pelag.* II, n. 30 ; GREG. M. in 1 *Reg.* **13**.

[31] FULG. *De fide ad Petr.* c. 41.

ex Scripturis et maxime ex oratione dominica, qua Deum exoramus ut dimittat debita nostra « Quis enim ferat orantem... ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dimitti dicit velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur, debita non habere? » [32]. — **Ratio** sumitur a S. Thoma ex corruptione inferioris appetitus sensualitatis, « cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia ratio non potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos » [33]. « Sicut cum aliquis transfert cogitationem suam a delectationibus carnis, volens concupiscentiae motus vitare, insurgit quandoque aliquis motus inanis gloriae impraemeditatus. Et ideo non potest homo vitare omnes hujusmodi motus propter corruptionem praedictam » [34].

Art. 6 - De gratiarum distributione.

390. **Non aeque omnibus conferuntur gratiae.** Sicut in ordine naturae non eadem mensura Deus confert sapientiam, sanitatem, divitias, etc.; ita et in ordine gratiae diversimode distribuit bona supernaturalia. Hoc patet imprimis de gratiis *exterioribus,* siquidem ethnicis non illuxit sol Evangelii, catholicis vero quibusdam ante mortem datur copia confessarii, quae aliis negatur, nec omnes pariter abundant verbo Dei et collatione sacramentorum. Nec aliter sentiendum est de gratiis *internis,* siquidem ex infantibus non omnes gratiam baptismi habent; ex adultis alii gratias efficaces, alii sufficientes tantum accipiunt; et B. V. M., Apostolis et Sanctis Deus dedit gratias communem mensuram excedentes. Hinc legimus quod *Spiritus ubi vult spirat* [1], quod *unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi* [2] et *prout Spiritus S. vult* [3], quod Corozain et Bethsaida factae sunt virtutes, quae conversionem Tyriorum et Sidoniorum essent operatae [4], quod talenta

---

[32] Conc. Milev., II, cn. 8; Cypr. ep. *De opere et elehem.;* ad *Quirin.* V. c. 54; Aug. *De nat. et grat.* c. 35, n. 41; *De pec. merit. et remis.* II, c. 13, n. 18; *C. duas epis. Pelag.,* IV, c. 10, n. 27.

[33] S. Thom. 1-2 q. 109 a. 8.

[34] S. Thom. 1-2 q. 74 a. 3 ad 2; 3 p. q. 7 a. 4 ad 2. Schiffini, n. 119, cum Aug. *C. Jul. IV,* c. 3, n. 28, arguit *ex divina providentia,* cui congruit venialium permissione in humilitate nos servare.

[1] Joan. **3.** 8.

[2] Eph. **4.** 7.

[3] 1 Corinth. **12.** 11; Rom. **12.** 3 sqq.

[4] Joan. **3.** 8.

diversa mensura sunt distribuita [5], et *cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* [6]. Porro uberior gratiarum copia in hominibus [7] proxime et ordinarie [8] pendet a bono usu praecedentium [9]; ultima vero ratio in divino beneplacito reponenda est. « Hujus diversitatis, inquit S. THOM., ratio quidem est aliqua ex parte praeparantis se ad gratiam; qui enim magis se ad gratiam praeparat, pleniorem gratiam accipit. Sed... praeparatio ad gratiam non est hominis nisi inquantum liberum arbitrium ejus praeparatur a Deo. Unde prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat; sicut etiam diversus gradus rerum instituit ut esset universum perfectum » [10].

391. **Errores — Veritas.** Gratias sufficientes ad bene agendum non dari omnibus *justis* blasphemarunt NOVATORES et JANSENIUS : non conferri omnibus *peccatoribus* dixerunt MONTANISTAE et NOVATIANI : denegari *infidelibus* blaterarunt ARNALDUS et QUESNELLUS [11]. — **Veritas.** Sufficientia gratiae *pro omnibus justis* definita est in CONC. TRID. : « S. q. d. Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia; a. s. » [12] : *pro omnibus peccatoribus* fidelibus definita est in CONC. ARAUS. II : « Secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, *omnes baptizati* [13], Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, implere » [14] : *pro infidelibus* deducitur ex condemnatione prop. : « Pagani, Judaei, haeretici, aliique hujus generis nullum accipiunt a J. C. influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inertem sine omni gratia sufficienti » [15].

---

[5] Matth. **25**. 15.

[6] Luc. **12**. 48.

[7] Dicimus in hominibus, nam « videtur quod Deus angelos, quos altioris naturae fecit, ad majora gratiarum dona et ampliorem beatitudinem ordinaverit ». S. THOM. 1 p. q. 62 a. 6.

[8] *Ordinarie*, nam Deus potest *subito honestare pauperem* (Eccli. **11**. 23), et aliquando iis, qui prioribus abuntur gratiis, novas abundantiores concedit.

[9] Cf. parabolam mnarum apud Luc. **19**. 12-27.

[10] S. THOM. 1-2 q. 112 a. 4.

[11] De NOVAT., JANS., ARNAL. et QUESNEL. vide n. 287, de MONTAN. et NOVAT. *Hergenr.* II, p. 229, 355.

[12] CONC. TRID. sess. 6, cn. 18; cp. 11; *Innoc. X*, prop. 1 *Jans.*

[13] Attendas : *baptizati* non *justi*.

[14] CONC. ARAUS. II, cn. 25; LATER. IV, cp. *Firmiter;* TRID. sess. 6, cn. 14; sess. 14 cp. 1.

[15] ALEX. VIII, prop. 5 ex dam. 7, Dec. 1690, CLEM. XI, prop. 26, 27, 29 *Ques.*

THES. 44. — 1 *Non solis justis, sed* — 2 *peccatoribus omnibus, imo* — 3 *et infidelibus Deus confert gratias sufficientes ad salutem.*

392. **Prima pars.** *Deus omnibus justis confert gratias sufficientes ad salutem.* Nam **Scripturae** saltem de justo [16] dicunt *a)* quod est *ante hominem vita et mors, bonum et malum,* ita ut *quod placuerit ei, dabitur illi* [17]; *b)* quod observantia mandatorum, quin sit impossibilis [18], divina gratia est obvia et facilis [19] : quod *c)* tentationes, utut validae, speciali protectione Dei [20] evadunt humanae, seu nostris viribus proportionatae [21] : ergo justus potest divinam legem observare et vitam aeternam consequi : atqui, ut vidimus, haec sine gratia sunt impossibilia : ergo. — **Ex Patribus** AUG. efficaciae gratiae tribuit perseverantiam in bono [22]; Pelagio vero concedit « esse possibile hominem esse sine peccato », modo intelligatur *per gratiam Dei* [23], quae justificationem consequitur [24]. PROSPER arguit ex divinis attributis, siquidem « qui dicit quod quibusdam vocatis et pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinatur de Dei *bonitate* atque *justitia* » [25]. — **Ratio.** Nam sicut in ordine naturali rerum essentiis earumque potentiis debentur media necessaria ad finem naturalem et ad naturales operationes; ita enti constituto in ordine supernaturali connaturaliter competunt ea quae spectant ad finem supernaturalem et ad supernaturales operationes, ad quas est in potentia : atqui gratia

---

[16] Dicimus *saltem de justo,* quia testimonia valent etiam de peccatoribus.

[17] Eccli. **15.** 18.

[18] *Mandatum hoc... non supra te est,... sed juxta te est..., ut facias illum.* Deut. **30.** 11-4.

[19] *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Matth. **11.** 30; *Mandata ejus gravia non sunt, quoniam omne, quod natum est ex Deo, vicit mundum.* 1 Joan. **5.** 3-4.

[20] *Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.* Prov. **3.** 26; Ps. **33**; **36**; **90**; **102**; Eccl. **3.** 33-4; Luc. **11.** 10 sqq.

[21] *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* 1 Corinth. **10.** 13.

[22] « Duo sunt officia medicinae, unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur... Et illa est ista (Deus) non salvos facit ». AUG. Enar. in *Ps.* **7.** n. 10.

[23] AUG. *De nat. et grat.* n. 11.

[24] « Te jam justum ex fide viventem negliget (Deus), deseret? Imo vero et hic favet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat et noxia resecat... Nusquam tibi deest, tu *illi* noli deesse, tu *tibi* noli deesse ». AUG. Enar. in *Ps.* **39,** n. 27.

[25] PROSP. *Resp. ad 12 ob. Gall.*

sanctificante homo ordinatur ad beatificam visionem, et habitibus infusis habet potentiam ad opera salutaria, quae sine auxilio gratiae in actum non deducuntur : ergo [26].

393. **Secunda pars.** *Peccatoribus omnibus gratiae sufficientes ad vitam aeternam praestantur.* Nam **Scripturae** docent quod Christus venit pro peccatoribus [27], et quod Deus *miseretur omnium* [28]; *nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* [29] : atqui fructus adventus Christi est gratia [30], quae etiam operatur conversionem peccatorum : ergo. Hanc autem gratiam non negari peccatoribus obstinatis [31], patet ex omnimoda universalitate misericordiae Dei, et ex motivis adductis *indigentiae infirmi* et *dominii Dei,* quae profecto etiam de obstinatis peccatoribus valent. Ceterum Scripturae testantur collationem gratiae obstinatis judaeis qui Spiritui S. semper resistebant [32], et docent quod Deus *expandit manus suas ad populum non credentem et contradicentem* [33]. — **Patres** cum PROSP. testantur quod « nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate despoliat » [34]; et cum AUG. negant quemque, dum vivit, esse penitus obduratum [35]; siquidem Deus « vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cognitionem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis » [36]. Hanc porro doctrinam firmant pluribus argumentis et illustrant exemplis. BASIL. arguit *ex abundantia redemptionis.* « Si multa sunt, inquit, peccata

---

[26] Qui cum BILLOT necessitatem gratiae ad singulos actus negant, arguere possunt ex necessitate gratiae ad superandas difficultates, juxta dicta, n. 388.

[27] *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Matth. **9.** 13.

[28] *Misereris omnium...; parcis autem omnibus : quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Sap. **11.** 24-7; Isai. **1.** 18; Jerem. **35.** 15; Ezech. **18.** 30; **33.** 11-6.

[29] 2 Petr. **3.** 9; Luc. **5.** 31 sqq.; **15.** 4 sqq.; 1 Tim. **2.** 4 sqq.

[30] *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum facta est.* Joan. **1.** 17.

[31] *Obstinati* dicuntur peccatores, qui « habent ita firmatam voluntatem in peccato, quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles ». S. THOM. *De Verit.* q. 24 a. 11.

[32] Act. **7.** 51.

[33] Isai. **65.** 2; Rom. **10.** 21.

[34] PROSP. *Resp. 15 ad ob. Gal.*; PAULIN. Carm. 6 *De Joan. Bapt.*; AUG. *Retract.* I, c. 19, n. 7; PROSP. (?) *De voc. gent.* I, c. 21; II, c. 28.

[35] AUG. Enarr. in *Ps.* **6**, n. 8.

[36] AUG. Enar. in *Ps.* **102**, n. 16.

tua, ob multitudinem animo non concidas; nam ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia, dummodo gratiam acceptare velis » [37]. CHRYS. deducit *ex immutabilitate* Dei cujus misericordiae *in saeculum* [38]: « Non... modo miseretur, ait, modo desinit, quod evenit in hominibus... Deus non est hujusmodi sed perpetuo miseretur » [39]. PROSP. (?) concludit *ex voluntate salvifica*. « Dicendo enim (Apostolus): *Qui est salvator omnium*, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem » [40]. FULG. derivat *ex efficacia gratiae;* nam « sicut medico nostro nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore coelestis potest deficere medicina » [41]. CHRYS. gratiam *comparat soli* qui omnes « illuminat quantum in se est. Si qui autem sponte sua mentis oculos claudentes ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua... Nam gratia in omnes diffusa est... omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat » [42]. — **Ratio** *intrinseca* sumitur ex natura liberi arbitrii quod malitia non perimit; nam « et *passio* solvitur et reprimitur et *habitus* non totaliter animam corrumpit et *ratio* non ita tenaciter adhaeret falso, quin per contrariam rationem possit abduci » [43]. Ratio *extrinseca* derivatur ex praecepto poenitentiae quod omnes peccatores utcumque obstinatos perstringit; ut enim inquit HIER., « execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo praeceptum esse » [44]; « homo ergo gratia juvatur ne sine causa voluntati ejus jubeatur » [45].

394. **Tertia pars.** *Etiam infidelibus Deus gratias saltem remote sufficientes confert.* Nam **Scripturae** docent quod Christus est *salvator omnium, maxime fidelium* [46], *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [47]: atqui salvatoris

---

[37] BASIL. *Exort. ad bapt.*
[38] Ps. **135**. 1 sqq.
[39] CHRYS. in *Ps.* **135**, n. 1.
[40] PROSP. (?) *De voc. gen.* c. 31.
[41] FULG. ep. 7 *ad Venant.* c. 8.
[42] CHRYS. in *Joan.* hom. 8, n. 1.
[43] S. THOM. *De Verit.* q. 24, a. 11; 3 p. q. 86 a. 1.
[44] HIER. *C. Pelag.* I; AUG. *De nat. et grat.* c. 69; *De duab. anim.* c. 11.
[45] AUG. *De grat. et lib. arb.* n. 9.
[46] 1 Tim. **4**. 10. Ly *maxime* vetat salutem ad solos *fides coarctari.*
[47] Joan. **1**. 9. *Lucem* intelligi de ordine supernaturali probat KNAB. in *h. l.* p. 75.

influxus est gratia, lux vero in Scripturis est symbolum ordinis spiritualis ac proinde gratiae : ergo. — **Patres** saepe praedicant universalitatem voluntatis salvificae et redemptionis Christi, qui suo sanguine emit totum orbem terrarum [48] : loquuntur de vocatione Judaeorum et Gentium [49]; docentque « Deum adjutorium suum... universis in hoc mundo gentibus, propter longanimitatem sui aeternamque clementiam subministrare » [50] : unde gratiam comparant radiis solis, qui illuminant et calefaciunt universam terram [51]. — **Ratio** sumitur ex universalitate voluntatis salvificae; qui enim vult finem, media necessaria suppeditat : atqui gratia est physice necessaria ad opera salutaria quibus vitam aeternam assequimur : ergo. Adde praeceptum credendi impositum esse etiam infidelibus; quia ergo Deus impossibilia non jubet, fides est possibilis infidelibus : atqui sine gratia fides repugnat : ergo.

395. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Dicit Scriptura Deum obcaecare seu indurare peccatores [52]; atqui gratia conversionis indurationi opponitur : ergo obduratis peccatoribus Deus non largitur gratias. **Resp.** Causa directa indurationis est ipse peccator; Deus indurat indirecte, non negando gratias sufficientes, sed gratiarum abusum permittendo et coordinando indurationem ad sapientissimos fines [53].

396. **Objic. 2.** Relapsis APOSTOLUS negat possibilitatem poenitentiae et hostiam pro peccatis [54] : ergo non conferuntur omnibus gratiae sufficientes ad salutem. **Resp.** APOSTOLUS locis objectis non negat apostatis gratias conferri, sed docet extra Ecclesiam non esse baptismum vel sacrificium quo illi sanctificentur. Quod si cum aliis verba explicentur de irremissibilitate peccati apostasiae, non significant absolutam impossibilitatem, sed, noto hebraismo [55], summam difficultatem [56].

---

[48] Vide JUST. M., CLEM. Alex., ORIG., METHOD., GREG. Naz., AMBR., HIER., AUG., PROSP., DAMASC., etc. Vol. 2, n. 221 et supra n. 175.

[49] AUG. *De praedest. sanct.* c. 16.

[50] OROSIUS, *Apol. pro lib. arb.*

[51] CLEM. Alex. *Exort. ad gent.;* CHRYS. in *Joan.* hom. 7, n. 1; AMBR. in *Ps.* **118**, serm. 8, n. 57; AUG. in *Ps.* **18**, n. 7; PROSP. (?) *De voc. gent.* II, c. 29.

[52] Exod. **4**. 21; Isai. **6**. 9; **63**. 17; Matth. **13**. 13-4; Joan. **12**. 40; Act. **28**. 26; Rom. **9**. 17; **11**. 8.

[53] CORNELY, *in Rom.* p. 506.

[54] Hebr. **6**. 4-6; **10**. 26.

[55] Hebraei saepe *absoluto* pro relativo utuntur. Isai. **49**. 15; Jerem. **13**. 23; Osee **6**. 6; Malach. **1**. 2-3; Luc. **14**. 16; 1 Corinth. **1**. 17.

[56] PADOV. in *Hebr.* p. 204-5; 297-8.

397. **Objic. 3.** Blasphemia in Spiritum S. non remittitur in hoc saeculo, neque in futuro [57] : ergo. **Resp.** Blasphemia in Spiritum S. est obstinata negatio veritatis supernaturalis cognitae [58]; tale autem peccatum Christus dixit irremissibile [59] ex *natura sua,* quia scil. removet ordinarium medium conversionis quod est recogitatio bonitatis Dei, turpitudinis peccati et gravitatis poenarum. Quia tamen *non est impossibile apud Deum omne verbum* [60]; ideo etiam hoc peccato « non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales *quasi miraculose* spiritualiter sanantur » [61].

398. **Objic. 4.** Joannes vetat orare pro eo qui peccavit peccato ad mortem [62] : ergo hoc peccatum est irremissibile. **Resp.** *Peccatum ad mortem* est peccatum apostasiae, quo abrumpitur communio sanctorum, et ammittitur jus ad preces fratrum. Porro Joannes non negat apostatis collationem gratiae sufficientis ad conversionem, sed effert excommunicationem, qua excluduntur ab orationibus publicis [63]. Qui generalius testimonium intelligunt, notant cum S. THOMA Joannem non prohibere « quin aliquis pro eo (peccatore) oret; sed non quicumque, quia non quicumque est tanti meriti ut orando ei gratiam impetrare possit, quia sanatio talium est *quasi miraculosa* » [64].

399. **Objic. 5.** Esau et Antiochus poenitentiam egerunt et misericordiam non sunt consecuti [65] : ergo eis defuit gratia. **Resp.** Antiochus veram poenitentiam non egit, sed de amissione boni temporalis flevit [66]; Esau vero Apostolus non negat gratiam conversionis, sed docet lacrymis non obtinuisse mutationem sententiae sui patris [67]. Ceterum in utroque testimonio non agitur *de possibilitate,* quam respicit gratia sufficiens, sed *de facto* ad quod pertinet efficax.

---

[57] Matth. **12**. 31 ; Marc. **3**. 28-9 ; Luc. **12**. 10.

[58] Blasphemiam Judaeorum, inquit KNAB. in *h. l.,* in eo erat quod « ea quae manifesto sunt Dei et quae ut Dei opera certo sciebant, tamen ex malitia daemoni attribuebant ».

[59] Christus proprie non dixit *irremissibile* sed *non remittendum,* quod quidem scientia futurorum citra intrinsecam irremissibilitatem scire poterat.

[60] Luc. **1**. 37 ; **18**. 27.

[61] S. THOM. 2-2 q. 14 a. 3. — Difficultas potest solvi etiam ex principio supra dicto de forma absoluta pro relativa, « quatenus in comparatione ad frequentiam et modum, quo alia peccata remittuntur, hoc peccatum irremissibile videatur ». BILLOT, *De poen.,* p. 70.

[62] 1 Joan. **5**. 16.

[63] PALMIERI, *De Poenit.* th. 8 p. 67 ; PESCH, *De poen.* n. 36.

[64] S. THOM. *De Malo,* q. 3 a. 15 ad 3 ; AMBR. *De poenit.,* I, c. 9 ; HIER. *C. Jovin.,* II ; BELLAR. *De poenit.,* II, c. 16.

[65] Hebr. **12**. 17 ; 2 Mach. **9**. 12-3.

[66] BELLAR. *De poenit.,* II, c. 16.

[67] PADOV. in *Hebr.* p. 338.

400. **Objic. 6.** Parvulis, qui sine baptismo decidunt, nulla gratia confertur, infidelibus vero negativis gratia supernaturalis non datur: ergo saltem gratiae supernaturales non tribuuntur omnibus. **Resp.** Cum parvuli careant libero arbitrio Deus eorum salutem demandavit solicitudini parentum, non sine respectu ad cursum naturae [68]; infidelibus vero gratias supernaturales remote sufficientes confert, prout tribuit praeternaturales, quibus si obtemperent, internis illustrationibus aut miraculoso ministerio angelorum vel evangelizatorum ad veram fidem gratiis supernaturalibus adducet [69].

---

[68] Vol. 2 n. 219.

[69] S. THOM. *De Virt.* q. 15 a. 11 ad 1.

TRACTATUS XI.

DE GRATIA HABITUALI.

401. **Prologus.** In naturalibus non sunt tantum operationes, sed permanentia eorum principia, scil. substantia et potentiae ex quibus sub influxu divinae motionis procedunt operationes; ut ergo sit proportio gratiae ad naturam, praeter auxilia gratiae actualis dari debent dona permanenter inhaerentia substantiae et potentiis animae quas elevant ut fiant connaturalia principia operum salutarium. Haec dona integrant notionem *gratiae habitualis,* quae subdividitur in *gratiam sanctificantem* et *virtutes ac dona,* prout ordinatur ad elevationem ipsius substantiae animae vel ad constituendum intellectum et voluntatem proximum principium meritorum. Hinc divisio tractatus in duo capita: — 1 *De gratia sanctificante,* et — 2 *de virtutibus ac donis Spiritus S.,* quibus coronidis gratia addetur appendix *de merito* quod est fructus gratiae habitualis.

CAPUT I.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

402. **Capitis divisio.** In gratia sanctificante possunt considerari physica *realitas* quae animae superadditur, *effectus* quos operatur, *proprietates* quae eam comitantur et origo seu ejus *principium;* dicemus ergo — 1 *de natura gratiae sanctificantis,* — 2 *de ejus formalibus effectibus,* — 3 *de proprietatibus,* et — 4 *de causa ac dispositionibus gratiae.*

Art. 1 - De natura gratiae sanctificantis.

403. **Quid justitia et sanctitas.** *Justitia* in praesenti non sumitur sensu stricto, prout est virtus inclinans ad reddendum unicuique jus suum, sed lato prout dicit rectitudinem et aequitatem

moralem [1] seu complexum omnium virtutum, quibus homo bene ordinatur erga Deum, proximum et seipsum [2]. Et quia in praesenti providentia haec ordinatio invenitur in ordine supernaturali, cujus *fundamentum* est fides et *causa* Deus, justitia, de qua agimus, nonnumquam vocatur *justitia fidei* [3] et *justitia Dei* [4]. — *Sanctitas,* ut alias vidimus [5], dicit unionem cum Deo, qua homo mundatur ab omni spirituali immunditia et firmatur in bonitate. Ex his patet justitiam et sanctitatem differre *ratione* sed non *re:* differunt *ratione,* quia in justitia praevalet sensus negativus de non violatione debiti ordinis, in sanctitate positivus de possessione boni: *re* identificantur, quia supposita elevatione ad finem supernaturalem, *non violatio* ordinis ad Deum consistere nequit in mera negatione, sed exigit *donum positivum,* seu gratiam sanctificantem qua homo conjugitur Deo.

404. **Duo in justificatione consideranda.** Justitia, inquit S. THOM. « importat rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scil. supremum hominis subditur Deo, et inferiores vires animae subduntur supremae, scil. rationi... Haec autem justitia in homine potest fieri dupliciter: uno quidem modo per modum simplicis generationis, qui est ex privatione ad formam, et hoc modo justificatio posset competere etiam ei qui non esset in peccato..., sicut Adam dicitur accepisse originalem justitiam. Alio modo potest fieri hujusmodi justitia in homine secundum rationem motus, qui est de contrario in contrarium et secundum hoc justificatio importat transmutationem quamdam de statu injustitiae ad statum justitiae praedictae » [6]. Jamvero « si justificatio accipiatur ut *motus* quidam, cum oporteat eumdem motum intelligi, quo peccatum aufertur et justitia inducitur, idem erit *justificatio* quod *peccatorum remissio,* solum ratione differens, prout ambo eumdem motum nominant, sed unum secundum respectum ad terminum *a quo,* alium vero secundum respectum ad terminum *ad quem* » [7].

405. **Quid gratia sanctificans.** Est Dei donum quo justificamur, quo scil. nobis remittuntur peccata et nos in supernaturali ordine bene disponimur erga Deum, proximum et nos ipsos: defi-

---

[1] ANSELM. *De Verit.* c. 13.

[2] Metonimiâ etiam *leges* (Ps. **18.** 9), *bona opera* (Rom. **9.** 31), et *consuetudo bene agendi* (in Ps. et *Prov.*) dicuntur justitiae.

[3] Rom. **4.** 13.

[4] Rom. **1.** 17; **3.** 21; etc. Phil. **3.** 9.

[5] Vol. 1 n. 228; S. THOM. 2-2 q. 81 a. 8.

[6] S. THOM. 1-2 q. 113 a. 1.

[7] S. THOM. *De Verit.* q. 28 a. 1; CONC. TRID. sess. 6 cp. 4.

nitur autem a CATECH. ROM. : « *divina qualitas in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores, reddit* » [8].

406. **Scholasticorum sententiae de natura gratiae habitualis.** Contra haereticos omnes catholici tenent hominem justificari dono contradistincto a justitia Dei et a justitia Christi; sed in quo illud reponendum sit, non aeque sentiunt. P. LOMBARDUS aestimavit esse donum increatum, scil. Spiritum S. in anima inhabitantem [9]: alii dixerunt moralem perfectionem animae provenientem ex jugi influxu gratiae actualis [10] vel ex imputatione actus boni praeteriti [11]: alii automantes gratiam ab anima sola ratione distingui, justitiam constituerunt in substantia animae specialem respectum habentis ad Deum [12]: communissime docent esse accidens animae inhaerens [13]. *Prima* sententia est *erronea*, quia CONC. TRID. contradistinguit nostram justitiam a justitia Dei, innuens saltem nos justificari dono creato [14]: *secunda* est etiam *digna censura* [15], quia CONC. TRID. manifeste loquitur de *physica realitate* contradistincta a gratia actuali et ab actibus quibus justificatio praeparatur, quaeque a Deo infunditur et inhaeret animae: *tertia* est *falsa philosophice*, quia distinctio accidentium a substantia probatur in philosophia, imo, ut videtur, *theologice*, quia realitas identificata cum substantia animae non consonat CONC. TRID., quod loquitur de dono inhaerente animae, nec INNOC. III et CONC. VIENN. dicentibus de gratia *informante* et de virtutibus quoad *habitum* infusis [16]. Manet ergo *quarta* sententia quam in thesi vindicavimus probantes gratiam sanctificantem esse *qualitatem*. Et si ulterius scrutari vis hujus qualitatis naturam, revoca imprimis qualitatem dividi in *habitum* [17] et *potentiam*; et quia gratia, utpote ad unum determinata, non est potentia, patet quod reductive pertinet ad speciem habitus [18]. Verum ipse habitus

---

[8] CATECH. ROM. p. 2 c. 2 n. 50.

[9] PETR. LOMB. *I Dist.* 17 § 18. Nonnulli hunc errorem tribuunt etiam PETAVIO, *De Trin.*, VIII, c. 4-5, qui tamen defenditur a *Mazzella*, n. 911.

[10] Apud *Perrone*, n. 473.

[11] Apud *Suarez* De Grat., VI, c. 1 n. 3.

[12] BERTI, MORINUS, AMORT, etc. apud *Pesch*, n. 310, 314. Hanc sententiam tenent atomistae et generatim qui realem distinctionem accidentium a substantia non agnoscunt.

[13] MAZZELLA, 915 sqq.; PESCH, 308 sqq.; LÉPICIER, p. 111; J. VANDER MEERCH, n. 111 sqq., etc.

[14] SUAREZ. *De Carit.* disp. 3, sect. 1 n. 1.

[15] RIPALDA, *De Ent. super.* disp. ult. n. 22.

[16] INNOC. III, *De Bapt.*; CONC. VIEN. *De Summa Trin. et cath. Fidei.*

[17] Quando habitus est imperfectus, vocatur *dispositio*.

[18] Dicitur *reductive*, quia habitus proprie est dispositio ad ea quae conveniunt naturae cui insidet, gratia e contra disponit hominem ad ea quae sunt naturae divinae. BILLOT, *De Virt. Inf.* p. 32.

subdividitur in *entitativum* et *operativum*, prout proxime ordinatur ad perfectionem substantiae, ut in naturalibus *sanitas*, vel ad perfectionem potentiae, ut *scientia:* atqui gratia sanctificans proxime ordinatur ad perfectionem substantiae animae [19]: ergo reducenda est ad speciem *habitus substantivi* [20].

407. **Errores — Veritas.** Naturam justificationis corruperunt REFORMATORES quorum alii fecerunt *extrinsecam* per meram imputationem justitiae Christi, alii *negativam* per solam remissionem culpae, alii *complexam* per imputationem meritorum Christi et donum inhaerens [21]. **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis... unica *formalis causa* est justitia Dei non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit..., qua... vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam... In hac impii justificatione... per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in corde eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia accipit homo... fidem, spem et charitatem » [22].

THES. 45. *Gratiam sanctificantem non absolvi sola peccatorum remissione, nec constitui extrinseca imputatione justitiae Christi, sed esse positivam realitatem, qua anima intrinsece perficitur, — 1 docent Scripturae, — 2 testantur Patres, et — 3 suadet ratio.*

408. **Prima pars.** *Scripturae docent gratiam sanctificantem esse realitatem positivam animae inhaerentem.* Nam *a)* positivis imaginibus describunt, et exhibent uti donum *b)* augmenti capax, *c)* quod homini confertur *d)* ut restituatur in statum justitiae in

---

[19] S. THOM. 1-2 q. 50 a. 2; *De Verit.* q. 27 a. 2.

[20] MAZZELLA, n. 935; BILLOT, *De Virt. Inf.* p. 30-3.

[21] Supra n. 287. TANQUEREY, *De grat.* n. 116 notat recentiores addere fidei apprehendenti merita Christi *opera* quae hujus fidei sunt *fructus.*

[22] CONC. TRID. sess. 6, c. 7; cn. 10 et 11. « Cum dicitur *unica* esse formalis causa, rejicitur sententia BUCERI et PIGHII de duplici justitia; cum dicitur ea esse justitia Dei, *non qua ipse justus est,* rejicitur sententia OSIANDRI de justitia divina per essentiam; cum dicitur *qua renovamur...* et *quae inhaeret,* et qua justi *vere* nominamur et sumus, rejicitur sententia LUTHERANORUM de justitia imputativa; cum dicitur ea justitia non consistere *in sola remissione peccatorum,* rejicitur sententia CALVINI de justificatione mere forensi; cum dicitur, justitia nostra esse *fides, spes* et *caritas infusa,* rejicitur sententia LUTHERI de sola fide ». BELLARM. *De Just.* II, c. 2.

quo conditus fuerat Adam : atqui haec notionem positivae realitatis animae inhaerentis undequaque redolent : ergo. MINOR est manifesta, nam *negatio* non proponitur symbolis positivis, *extrinseca* imputatio manet in indivisibili et non est capax augmenti vel diminutionis, et ipsi Protestantes concedunt *justitiam originalem* fuisse positivam perfectionem protoparentibus collatam. MAJOR *probatur per partes. a)* Et quod attinet ad symbola, Scripturae gratiam exhibent uti *sigillum* quo *signantur* credentes [23], *semen Dei* quod *manet* in iusto [24], *unctionem* quam fideles accipiunt a Spiritu S. [25], *pignus* Spiritus *datum* in cordibus [26]. *b)* Rem augmenti capacem indicant cum loquuntur de *abundantia gratiae et donationis et justitiae* [27], cum volunt ut *crescamus* in justitia, non minus quam in scientia et bonis operibus [28], ita ut *justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* [29]. *c)* Realitatem animae inhaerentem proponunt cum docent gratiam esse *donum* quod justi *accipiunt* [30], et *manet in eis* [31], ut *constituantur* justi sicut peccato constituti sunt peccatores [32]. *d)* Reditum ad statum originalis justitiae testantur cum redemptionem exhibent opus *renovationis* [33] ac *restaurationis* [34], et Adam dicunt typum antitheticum Christi [35]; renovatio enim et restauratio significant redditum ad statum praevium, nec esset paritas inter mala ab Adam derivata et bona per Christum collata, si ille abstulisset donum positivum et intrinsecum, hic autem ab extrinseco tantum et negative justificaret.

409. **Secunda pars.** *Naturam gratiae non absolvi sola remissione peccatorum, nec imputatione meritorum Christi, sed constitui positiva realitate testantur Patres.* Revera *a) a peccatorum remis-*

---

[23] Eph. **1**. 14 : **4**. 30.

[24] 1 Joan. **3**. 9.

[25] 1 Joan. **2**. 27.

[26] 2 Corinth. **1**. 22.

[27] Rom. **5**. 17.

[28] Eph. **2**. 21 ; **4**. 15 ; Colos. **1**. 10 ; 1 Petr. **2**. 2 ; 2 Petr. **3**. 8.

[29] Apoc. **22**. 11 ; Eccli. **18**. 22.

[30] Rom. **5**. 15 ; 17.

[31] 1 Joan. **2**. 27.

[32] *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Rom. **5**. 19. Attendas in utroque comparationis membro adhiberi verbum *καταστα-θήσονται* quod ex omnium consensu in primo membro significat intrinsecam malitiam peccati.

[33] *Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Eph. **4**. 23-4.

[34] *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis : et induentes novum.* Colos. **3**. 9.

[35] Rom. **5**. 12-21.

sione justificationem distinguit CHRYS. dicens « Evangelium non tantum peccata dimittere sed iustitiam etiam afferre » [36]. *b) A justitia Christi* distinguit ATHAN. cum ait : « Renovamur per imitationem et participationem perfectae novitatis Christi » [37] ; imitatio enim et participatio opponuntur extrinsecae imputationi : unde AUG. docet nostram justitiam dici justitiam Dei, non secus ac nostra fides dicitur fides Christi, scil. *causative* ; « utrumque enim nostrum est ; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur » [38]. *c)* Notionem *positivae realitatis* proponunt imprimis Patres qui, post Scripturam [39], distinguunt in homine corpus, animam et spiritum [40] ; non enim trichotomiam docere volunt, sed nomine *spiritus* principium vitae supernaturalis exhibent [41]. Accedunt alii qui gratiam intelligunt *donum* quod nobis datur [42] et tangit animam [43] ; *formam* [44] quae, cum « accedere ac rursus recedere possit, proprie et vere *inesse* dicitur » [45], nec minus est *realis et intrinseca,* quam intrinsecum est peccatum originale ; siquidem « perabsurdum est Adam, hominem terrenum vim maledictionis veluti quamdam haereditatem naturalem ad totum genus posse transmittere ; Emmanuelem vero... non tantum roboris habuisse, ut illos, qui ejus familiaritatem per fidem adepti sunt, suae vitae *participes* efficere posset » [46]. *d)* Tandem docent gratiam *convenire cum justitia originali,* siquidem per Christum « recipimus justitiam ex qua per peccatum lapsus est homo » [47].

410. **Tertia pars.** *Gratiam esse positivam realitatem suadet ratio,* argumento sumpto *ex parte Dei* et *ex parte hominis.* Ex PARTE DEI, quia justificatio est actus divini amoris, amor vero Dei objectum suum non praesupponit sed producit, unde « quamlibet

---

[36] CHRYS. in 2 *Corinth.* hom. 2, n. 6 ; AUG. epist. 105 *ad Sixt.* n. 30.

[37] ATHAN. *De Incarn. c. Apol.* I, n. 21.

[38] AUG. *De Spirit. et Litt.* c. 9.

[39] 1 Corinth. **2.** 13 ; 1 Thess. **5.** 23 ; Hebr. **4.** 12 collato CORNELY in *1 Corinth.* p. 69.

[40] IREN. *Adv. haer.* V, c. 6.

[41] BILLOT, *De Grat.* p. 113.

[42] ATHAN. *ad Serap.* ep. 1, n. 30 ; AUG. *C. Jul.* I, c. 6.

[43] CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 40, n. 2.

[44] CYRIL. Alex. in *Isai.* **44.** 21-2, IV, or. 2.

[45] BASIL. *De Spir. S.* c. 26. n. 61-3.

[46] CYRIL. Alex. *Glaphyr.* I, in Gen. ; AUG. *C. Jul.* opus imp. II, c. 101 et 203 ; BERNARD. *epist.* 90 : *ad mil. templ.* c. 11, n. 23.

[47] AUG. *De Gen. ad Litt.* VI, c. 24 ; CYRIL. Alex. *De Trin.* dial. 3 super *Ps.* **102.** 5.

Dei dilectionem sequitur aliquod bonum in creatura causatum... Et secundum hujusmodi boni differentiam, differens consideratur dilectio Dei ad creaturam : una quidem communis... secundum quam esse naturale rebus creatis largitur, alia autem dilectio est specialis, secundum quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturae ad participationem divini boni... Sic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam (seu benevolentiam et amorem) Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens » [48]. EX PARTE NOSTRI, quia conversio ad Deum non consistit in mera negatione, sed in positivo et reali respectu ad finem supernaturalem. Imo, ut notat S. THOM., ipsa remissio peccati supponit positivam realitatem, siquidem non potest « aversio removeri, nisi fiat conjunctio ad bonum incommutabile, a quo per peccatum discessit. Haec autem conjunctio non est nisi per gratiam, per quam Deus mentes inhabitat, et mens ipsi Deo per amorem charitatis inhaeret. Unde ad sanandam praedictam aversionem requiritur gratiae et charitatis infusio, sicut ad sanationem caecitatis requiritur restitutio potentiae visivae » [49].

THES. 46. *Gratia sanctificans est — 1 donum quoddam creatum — 2 animae infusum eique permanenter inhaerens, — 3 ac proinde forma seu qualitas spiritualis.*

411. **Prima pars.** *Gratia est donum creatum.* Licet enim **Scriptura** testetur esse in justo inhabitantem Spiritum S., tamen docet eidem inesse etiam donum distinctum a Deo, scil. *semen Dei,* quod *in eo manet* [50], quodque analogice convenit cum *generatione, nativitate* et *creatione* [51]; **Patres** vero nostram justitiam dicunt novitatem et perfectionem animae [52], omnino distinctam a justitia, « qua justus est Deus » [53] : atqui donum distinctum a Deo et assimilatum termino generationis et creationis non est increatum : ergo. Hinc AUG. : « Quantum interest inter lumen, quod illuminat et quod illuminatur, tantum inter sapientiam, quae creat et istam, quae creata est; *sicut* inter justitiam justificantem et justitiam, quae justi-

---

[48] S. THOM. 1-2 q. 110 a. 1.

[49] S. THOM. *De Verit.* q. 28 a. 2.

[50] *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet.* 1 Joan. **3.** 9.

[51] Joan. **3.** 15; Eph. **2.** 10; 1 Petr. **2.** 2, etc.

[52] ATHAN. *De incarn. c. Apol.* I, n. 21.

[53] AUG. *De Spirit et Litt.* c. 9.

ficatione *facta est* »[54]. **Ex ratione.** Nam finis gratiae est elevare naturam eamque constituere in nova vita, quae supernaturalium operationum sit proportionatum principium[55]: atqui donum increatum (scil. Deus) sua substantia non immutat naturam, cui tamquam forma non potest uniri: ergo ad sanctificationem necessaria est gratia creata. « Si gratiae, inquit BONAV., est reformare et informare et vivificare..., cum omnis talis actus sit ab aliquo tamquam a principio formali..., necesse est aliquod donum poni in anima, quod sit animae ipsius informativum: sed Deus nullo modo potest esse forma perficiens... Ergo praeter donum increatum, quod est Deus, ad hoc quod anima gratificetur, necesse est ponere donum creatum »[56].

412. **Secunda pars.** *Gratia sanctificans est donum permanens animae inhaerens.* Nam **Scripturae** justificationem comparant *creationi, generationi, nativitati, vitae, luci,* et docent in justo *manere* semen Dei, qui ad justum venit et in eo *commoratur* tamquam in suo templo[57]: atqui haec notionem exhibent rei inhaerentis: ergo. **Patres** affirmant cum DIONYS. quod gratiâ « divinus in nobis *status* efficitur »[58], eamque comparant *virtuti visivae* quae est in oculo sano, *arti* quae est in artifice etiam cum non operatur[59], *picturae* qua in nobis efformatur venusta imago Dei, permanens quousque peccato deleatur[60]: atqui *status, vis* cernendi, *ars, pictura* sunt quid permanens et inhaerens subjecto: ergo. **Ex ratione.** *a)* Nam effectus permanens causam permanentem habere debet: atqui gratia sanctificante permanenter filii Dei nominamur et sumus: ergo. *b)* Quis dicet infantes, amentes et dormientes actus caritatis elicere? Et tamen justi esse possunt sicut ii qui actu

---

[54] AUG. *Conf.* XII, c. 15; ATHAN. *ad Serap.* epist. 1, n. 30 sq.; BASIL. *De Spir. S.* c. 26, n. 63; AMBR. *in Luc.* VI, n. 2; CYRIL. Alex. in *Isai.* **44**, 21-2, IV or. 2; BERNARD. epist. 11 *ad Carth.* apud MAZZELLA, n. 917, 919.

[55] *Proportionatum,* quia in eodem ordine: non *adaequatum,* quia ad bene agendum requiritur gratia actualis.

[56] BONAV. *II Dist.* 26 q. 2; S. THOM. 2-2 q. 23 a. 2.

[57] Joan. **14**. 23; Rom. **8**. 9; 11; 1 Corinth. **3**. 16-7; 2 Corinth. **6**. 16; 2 Tim. **1**. 14.

[58] DIONYS. *De eccl. hier.* c. 2, p. 1.

[59] BASIL. *De Spir. S.* c. 26.

[60] AMBR. in *Hexaem.* VI, c. 8; CYRIL. Alex. in *Joan.* XII, c. 51; CHRYS. hom. 1 *ad illumin.* n. 3; AUG. *De Trin.* XV, c. 8, n. 14; *epist.* 120, c. 4, n. 20.

cognoscunt et diligunt Deum. *c)* Sane « oportet quod homo ad ultimum finem per proprias operationes perveniat. Unumquodque autem operatur per propriam formam. Oportet igitur, ad hoc quod homo perducatur in ultimum finem per proprias operationes, quod *superaddatur ei aliqua forma* ex qua ejus operationes aliquam efficaciam accipiant promerendi ultimum finem » [61].

413. **Tertia pars.** *Gratia sanctificans reductive pertinet ad praedicamentum qualitatis.* Hoc, quod expresse docet CATH. ROM. [62], sequitur ex modo dictis. Profecto gratia sanctificans *non est substantia;* « omnis (quippe) substantia vel est ipsa natura rei, cujus est substantia, vel est pars naturae, secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam, non potest esse quod sit substantia aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animae » [63]. Porro e novem praedicamentis, in quae accidens dividitur, gratia sanctificans reduci nequit ad praedicamenta *quantitatis, ubi, situs* et *habitus,* quia haec sunt accidentia corporum, illa autem animae; non pertinet ad praedicamenta *actionis* vel *passionis* et *quando,* quia haec spectant motum, illa vero est donum permanens; non est *relatio,* quia relatio est ordo ad aliud, gratia e contra nobilitat subjectum cui inhaeret. Ergo est *qualitas.* Revera qualitas definitur « determinatio substantiae ad quoddam esse accidentale secundum aliquam mensuram » [64] : atqui gratia sanctificans determinat substantiam animae *ad esse accidentale,* scil. ad rationem filii adoptivi *secundum mensuram* meritorum : ergo. Hinc CYRIL. Alex. : « Spiritus nos similes Christo reddit per sanctificationis videlicet *qualitatem;* imago enim et facies veluti quaedam est Salvatoris nostri Christi » [65].

414. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Scripturis justificatio comparatur vesti, qua induimur [66] : atqui indumentum est quid extrinsecum : ergo. **Resp.** « Induere alterius mores significat ex usu loquendi illos in se expressos referre, ideoque eos sibi inhaerentes per imitationem habere. Et revera eo perfecte induimur, quo informamur, quod nobis inhaeret [67]. Ceterum symbolo vestis apte designatur

---

[61] S. THOM. *Cg.* III, c. 150.
[62] Supra n. 405.
[63] S. THOM. 1-2 q. 110 a. 2 ad 2.
[64] S. THOM. 1-2 q. 49 a. 2.
[65] CYRIL. Alex. hom. *pasch.* 10; in *Isai.* **44**. 21-2, IV or. 2.
[66] Eph. **4**. 24; Colos. **3**. 9-10.
[67] Hinc APOST. dicit quod *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem.* 1 Corinth. **15**. 53.

justitia inhaerens, tum ut significetur eam non esse naturalem, sed ab extra animae infundi... tum etiam ut significetur eam iterum esse amissibilem » [68].

415. **Objic. 2.** Non minus in usu sacro [69], quam in profano, *justificare* significat *justum declarare* [70]: ergo extrinsecam tantum justitiam dicit. **Resp.** Quod attinet ad scriptores profanos nulla difficultas, siquidem ethnici, internam justitiam ignorantes, de sola *forensi* justitia loqui poterant; in Scripturis vero oportet distinguere inter justificationem hominis et Dei; cum enim homines corda non scrutentur, eorum justificatio separari potest ab interna justitia, unde aliquem possunt declarare justum, quin constituant; sed Deus est omniscius, et ideo « si eum, qui erat impius, justificat, judicando justum, necesse est ut non solum dicat, sed dicendo faciat...; nam alias iniquum et falsum judicium proferret, quod cogitari non potest » [71]. Merito ergo AUG.: « Quid est aliud *justificati,* quam *justi facti?* » [72]; « justi enim *facti sunt,* cum justificati sunt » [73].

416. **Objic. 3.** Justificatio opponitur condemnationi: atqui condemnatio est declaratio injustitiae: ergo justificatio est declaratio justitiae [74]. **Resp.** *Condemnatio* est declaratio injustitiae in usu forensi, sed in Scripturis « non tam nudam sententiam damnatoriam quam condemnationem executioni mandatam, ipsam ergo poenam... mortis aeternae... significat » [75].

417. **Objic. 4.** *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam* [76]: ergo justitia non confertur, sed reputatur, h. e. ab extrinseco dicitur. **Resp.** *Nego suppositum,* nam Apostolus non loquitur de reputatione justitiae sed fidei, quae dicitur reputata ad justitiam quia ultra meritum « a benignissimo Deo ita acceptata (est), ut illius respectu altius donum (scil. justitiam) ei conferret » [77].

ART. 2 - DE FORMALI EFFECTU GRATIAE SANCTIFICANTIS.

418. **Quomodo gratia remittantur peccata.** Gratia sanctificante remitti peccata demonstrabimus in thesi: de *modo* quo fiat dis-

---

[68] HURTER, III, n. 191.

[69] *Qui justificat impium, et condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum.* Prov. **17.** 15; Eccli. **18.** 22; Isai. **5.** 23; Luc. **7.** 35; **10.** 29.

[70] CALVIN. et KEMN. apud *Bellarm.* De Just., II, c. 3.

[71] HODGE apud *Tanquerey* III p. 104.

[72] CORNELY in *Rom.* p. 301.

[73] Rom. **4.** 3.

[74] CORNELY in *Rom.* p. 215; SCHIFFINI, *De grat.* n. 172.

[75] Rom. **13.** 14; Eph. **4.** 24; Gal. **3.** 27.

[76] 1 Corinth. **1.** 30; 2 Corinth. **5.** 21.

[77] CORNELY in 1 *Corinth.* p. 51.

sentium theologi; alii enim explicant *ab extrinseco* ex divina ordinatione, alii ex *morali exigentia* prout gratia meretur peccatorum remissionem, alii ex *physica efficientia* [1]. Haec ultima sententia tenenda est, quia in praesenti ordine elevationis peccatum habituale consistit in privatione gratiae sanctificantis [2]: atqui quaevis privatio *physice* aufertur collatione formae, cujus est privatio: ergo « non potest intelligi remissio culpae, si non adest infusio gratiae » [3], quae « agit in animam *formaliter*, sicut albedo dicitur facere albam superficiem » [4]. Errat ergo VASQUEZ cum actum contritionis vel caritatis dicit partem integrantem justificationis [5]: sicut enim actualis transgressio non est pars peccati habitualis, sed ejus causa; ita actus contritionis vel caritatis sunt dispositiones ad justificationem, non ejus pars formalis [6].

419. **Quae animae regeneratio et illuminatio per gratiam.** Nomen vitae « est impositum ad significandam substantiam, cui convenit secundum suam naturam movere seipsam vel agere se quocumque modo ad operationem » [7]; *regeneratio* ergo est infusio novi principii operationis, seu participatio superioris naturae, et quia natura superior, cui conjungitur homo ut novum principium vitae assequatur, est Deus, patet regenerationem ideam *deificationis* exhibere. ILLUMINATIO dicitur de gratia prout analogice convenit cum effectu lucis, quae, cum rerum materialium nobilissima sit, merito assumitur in similitudinem gratiae, cujus « bonum majus est quam bonum naturae totius universi » [8]. Porro multiplex est analogia lucis ad gratiam, « lux enim *a)* dissipat tenebras et illuminat, ita et gratia *illuminat et intellectum dat parvulis* [9]: non tantum *b)* afficit exterius, sed intus pervadit corpora pellucida; ita gratia omnes recessus animae pervadit, penetrat, omnia refingit: lux *c)* confert rebus colorem, pulchritudinem, adeo ut, ea recedente, omnia horreant, ammittant splendorem; ea corpora facit sidera, crystallum, soli persimile: ita gratiâ absente bona vel maxima carent pretio, eâ praesente deificatur homo: lux *d)* dilatat, ita gratia dilatat corda, ut mundus ipsis sit angustus nimis: lux *e)* calefacit, ita gratia sancto accendit amore: lux *f)* attrahit, ut omnia respiciant solem; ita gratia corda attrahit ad Deum: lux *g)* foecunditatem et vitam donat; ita et gratia steriles ante animas ad opera salutis reddit intentas: mediante luce

---

[1] Apud *Mazzella*, n. 974.

[2] Cf. Vol. 2 n. 568.

[3] S. THOM. 1-2 q. 113 a. 2.

[4] S. THOM. 1-2 q. 111 a. 2 ad 1. Modum quo gratia justificat impium alibi (q. 109 a. 7 ad 2) comparat *luci* quae illuminat, et *animae* quae, si infundatur mortuo, illum resuscitat.

[5] Apud *Mazzella*, n. 912.

[6] CONC. TRID. aperte docet quod « unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei,... qua nos justos facit », scil. gratia sanctificans.

[7] S. THOM. *Cg.*, I, 97.

[8] S. THOM. 1-2 q. 113 a. 9 ad 2.

[9] Ps. **118**. 180.

h) imagines admodum expressae obtinentur, ut in speculo vel ope photographiae; ita gratia nos reddit deiformes » [10].

420. **Quae gratiae deificatio et divina filiatio.** « Duo complectitur CONSORTIUM NATURAE DIVINAE : participationem divinae naturae formalem seu analogicam h. e. *supernaturalem assimilationem* ad naturam divinam, et hac dispositione supposita ac per hoc veluti vinculum, participationem σχετικὴν videlicet *intimam unionem* cum ipsa substantia divinae naturae. Deificatio, inquit DIONYS [11], est ad Deum quanta fieri potest assimilatio et unio, ἡ πρὸς Θεὸν ἁφομοίωίς τε καὶ ἕνωσις » [12]. De participatione, quae est per inhabitationem Spiritus S., infra dicemus; quod attinet ad *assimilationem* cum divina natura, nota assimilationem supernaturalem valde a naturali [13] differre. Naturaliter creatura assimilatur divinae essentiae prout est *exemplar omnium perfectionum,* supernaturaliter vero prout est *principium operationis propriae;* nempe « inquantum nostro concipiendi modo ordinatur ad necessariam illam operationem in qua consistit propria Dei beatitudo, qua scil. Deus seipsum intuitive videt et seipso fruitur... Tunc ergo efficimur consortes naturae divinae, quando infunditur nobis forma per quam radicaliter ordinamur ad illam ineffabilem visionem ac fruitionem divini boni quae soli Deo est naturalis » [14]. Gratia itaque non deificat solum *moraliter* [15], in quantum perficit hominem habitu et exercitio virtutum, sed etiam *physice* in quantum confert radicalem potentiam videndi Deum, deque eo fruendi modo inenarrabiliter simili ei, quo Deus se ipsum cognoscit et de sui possessione gaudet [16]. — ADOPTIO est gratuita assumptio extraneae personae in filium cum jure haereditatis; valde autem differt adoptio humana a divina : humana enim est extrinseca, quia « homo non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum jam idoneum *elegit* adoptando »; sed Deus non invenit hominem aptum ad haereditatem beatificae visionis, et ideo « quem adoptat *idoneum facit* per gratiae munus ad haereditatem coelestem percipiendam » [17]. Sicut autem sine gratia sanctificante adoptiva Dei filiatio non perficitur, ita ipsa sola obtinetur. Profecto tria in filiatione Dei considerantur : « *primum* est participatio naturae divinae; filius enim habere debet naturam communem cum Patre; *secundum* est remissio peccati, cum quo nullus esse potest filius adoptivus Dei, dignus amore et haereditate Patris;

---

[10] HURTER, III, n. 211 ex *Scheeben.*
[11] DIONYS. *Hier. eccl.* c. 1 § 3.
[12] FRANZ. *De Deo Trin.* th. 48 p. 628-9.
[13] Vol. 2 n. 362.
[14] BILLOT, *De Virt. Inf.* p. 31-2.
[15] RIPALDA, *De Ente supern.* Disp. 132 § 9 n. 106 sqq.
[16] MAZZELLA, n. 1000 sqq.; 1006-7; PESCH, n. 341; SCHIFFINI, n. 184.
[17] S. THOM. 3 p. q. 1 ad 2.

tertium est jus ad Patris haereditatem juxta illud Pauli: *quod si filii et haeredes* » [18]: atqui *remissionem peccatorum* fieri per gratiam supra explicavimus; *participationem divinae naturae* esse per gratiam modo declaravimus; *jus ad haereditatem* gratiae deberi, inde patet quod tribuit radicalem potentiam beatificae visionis, potentia autem habet exigentiam sui actus [19]: ergo divina filiatio est formalis effectus gratiae sanctificantis.

421. **Quae amicitia hominis cum Deo.** Tria sunt de ratione amicitiae: *aequalitas,* mutuus *amor, communio* bonorum. *Aequalitas,* nam, ut ait HIER., « amicitia pares aut accipit aut facit » [20]; *mutuus amor,* siquidem amicitia cum ARIST. definiri solet « mutua aliquorum benevolentia non latens » [21]; *communicatio bonorum,* quia « amicitia vera desiderat videre amicum, et colloquiis mutuis gaudere facit » [22], unde adagium: « amicorum communia omnia ». Haec autem in ordine ad Deum habemus gratiâ sanctificante. Revera ipsâ homo *ad aequalitatem* quamdam cum Deo pervenit, quia gratia elevat ad consortium divinae naturae: ipsâ fit *mutuus amor,* quia Deus amando justum gratiam infundit [23], et nos charitate, quae in gratia radicatur, habitualiter diligimus Deum [24]: ipsâ perficitur *communio bonorum* quia ipsâ *Deus* confert nobis maxima et pretiosa promissa quibus efficimur consortes divinae naturae cum jure ad aeternam gloriam et ad gratias actuales sufficientes ad perseverandum; *nos* vero ipsâ ordinamur in Deum tamquam in ultimum finem in cujus gloriam nostra omnia cedere cupimus [25].

422. **De inhabitatione Spiritus S.** *De facto* agimus in thesi, *quoad modum* contra aliquos [26] tendum est totam Trinitatem inhabitare

---

[18] RIPALDA, *De ente super.* Disp. 132 sect. 10 n. 125.

[19] An exigentia beatificae visionis sit gratiae *essentialis* vel solum *connaturalis,* an sit *physica* vel *moralis,* an *de potentia absoluta* Deus possit justo negare haereditatem filiorum, subtilius magis quam utilius inquiruntur.

[20] HIER. in *Mich.,* II, c. 7.

[21] ARIST. *Ethic.,* VIII, 1.

[22] S. THOM. *III Dist.* 27 q. 2 a. 1 ad 11.

[23] Amor noster supponit bonitatem objecti; amor Dei eam causat. S. THOM. 1 p. q. 23 a. 4.

[24] Mutuo amori, de quo diximus, non deest conditio *patentis,* quia Deus certo cognoscit nostrum amorem, et nos amorem Dei quibusdam signis conjicere possumus. MAZZELLA, *De Virt.* 1316.

[25] S. THOM. 2-2 q. 23 a. 1; q. 26 a. 3 ad 3; *De Malo* q. 1 a. 5; C. MAZZELLA, n. 1009; BILLOT, *De Virt.* p. 380 sqq.; PESCH, *De Virt.* n. 550; 586 sqq.

[26] PETAV., A LAPIDE, SCHRADER, SCHEEBEN apud *Hurter,* III, n. 225, distinguebant inter *inhabitationem* et *unionem:* illam dicebant communem toti Trinitati, hanc propriam Spiritus S.

in justo [27], licet *lege appropriationis* specialiter dicatur de Spiritu S., cui opera supernaturalia attribuuntur [28]. Porro *nova praesentia* mutationem quamdam dicit terminorum, etsi non necessario mutuam; quia ergo Deus mutari nequit, inhabitatio Spiritus S. mutationem creaturae infert ac proinde collationem alicujus doni [29]. Porro « hoc donum... non est qualitas mere *absoluta*, sed est simul natura sua fundamentum novae *relationis*, qua anima cum Deo intime conjungitur, seu cujus terminus est ipsa SS. Trinitas... Unde donum creatum et donum increatum non sunt inter se separanda; quia neque sine uno, neque sine altero, relatio illa esse vel concipi potest, secundum quam Spiritus S. dicitur mitti ad nos. Nam relatio necessario postulat fundamentum et hoc est donum gratiae creatae, et postulat terminum et hic est Spiritus S. » [30]. Sicut ergo in ordine naturae Deus productione rerum fit eis praesens per *praesentiam*, per *potentiam* et per *essentiam* [31]; ita effectione gratiae sanctificantis in anima inhabitat. Verum naturalis praesentia Dei non est mere entitativa, sed etiam operativa prout ipse omnium est *conservator*, *gubernator* et *motor*; ergo etiam in ordine gratiae divina inhabitatio est actuosa, Deus nempe est « in sanctis ut in templo, organo, throno; ut effundens suae gratiae divitias, ut se communicans speciali tutela et providentia supernaturali, gratia et amore tamquam *amico*, *filio* adoptivo, *sponsae* dilectae, ut ipsa eum possideat ad fruendum, fruitione utique inchoata, consummanda quondam, per gloriam » [32].

423. **De unione cum Christo.** Ut praescindamus a pantheisticis conceptionibus MODERNISTARUM loquentium de transfusione conscientiae et vitae Christi in fideles [33], e catholicis quidam excogitarunt *physicam* [34] vel *quasi-physicam* [35] unionem cum corpore Christi, justifica-

[27] « Sicut Patris et Filii ita et Spiritus S. sumus templum non multa templa sed unum templum ». AMBR. *De Spirit. S.*, III, c. 12 n. 91; ATHAN. ad *Serap.* c. 1 n. 30-1; AUG. *De Trin.*, XV, c. 18; CYRIL. Alex. in *Joan.*, IX, c. 23. Cf. C. MAZZELLA, n. 1034.

[28] Vol. 2 n. 327.

[29] Vol. 2 n. 110, 119, 346.

[30] PESCH, *De Deo Trino*, n. 668.

[31] S. THOM. 1 p. q. 8 a. 3.

[32] HURTER, III, n. 225.

[33] MODERNISTAE dicunt conscientiam Christi transiisse in discipulos et mundo commisceri aliquid divini. ANONYM. *Il Program.*, p. 76; TYRRELL, *Epist. confid.*, p. 25; FOGAZZARO, *Il Santo*, 117, 445, etc.

[34] ROSMINI docuit Verbum baptismo imprimit in anima et communicari ei sub ratione *τοῦ esse*. DECR. *Post obitum*, pr. 28, 36. — *NB*. In SS. Communione haberi physicam unionem cum Christo affirmant FRANZ. *De Euch.* th. 9 p. 304-5 et PESCH, *De Euch.*, n. 793, sed melius negatur, nam contactus est cum *speciebus* tantum, unio vero ad Christum est *sacramentalis* seu in ratione signi, quam utique sequitur unio *mystica*, de qua loquimur.

[35] SEGUR, *Gesù vivente in noi*. Ex hac unione *quasi-physica* putabat incensu et genuflexione non coli *ministros* Christi, sed *Christum* in eis praesentem.

tionem habentes pro extensione incarnationis [36]; sed hoc componi nequit cum reali distinctione Redemptoris a redemptis, neque cum fide de exclusiva praesentia humanitatis Christi in coelo et in SS. Sacramento, atque corrumpit notionem unionis spiritualis, quae cum naturalibus unionibus non potest comparari. Verum si unio physica est improbanda, *denominativa* tantum et analogica non sufficit ad arguenda bona quae Apostolus ex unione cum Christo deducit. Dicendum ergo est esse *mysticam* eamque « aeque parum quidem, atque alia mysteria, perspicimus, sed negare non possum, quum haud semel ab Apostolo asseratur aut supponatur » [37]. Quod si hujus mysticae unionis analogicam quamdam notionem expostulas; dicam imprimis eam assimilari *unioni amantis ad amatum,* « quia secundum quod amans reputat voluntatem et bona amici sicut sua, sic manet in amato, quasi sequens id quod est intimum amati; et vice versa secundum quod vult et agit propter amicum sicut propter seipsum, reputans amicum idem sibi, sic habet amatum manentem in se, quasi impressum in affectu suo per quadam complacentiam » [38]. Hoc tamen non sufficit ad explicandam unionem justi cum Christo quae, respondens unioni peccatorum cum Adamo [39], « longe superior est et sublimior, quam unio per amorem et concordiam voluntatum » [40]; eam ergo assimilabimus unioni animae et corporis, siquidem « ut anima in corpore manens vitam illi tribuit corporalem, ita Christus manens in nobis vitam nobis tribuit spiritualem » [41].

424. **Errores — Veritas.** Proprium gratiae effectum negarunt REFORMATORES vel impugnantes veram *remissionem* peccatorum, vel internam *renovationem* respuentes [42]. **Veritas** quoad *remissionem* peccatorum definita est in CONC. TRID.: « S. q... reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; a. s. » [43]. Quoad *alios effectus* gratiae

[36] *Improprie* justificatio dici potest extensio incarnationis, prout ipsâ incarnationis finis et fructus obtinentur.

[37] CORNELY, in 1 *Corinth.*, p. 152.

[38] BILLOT, *De Euch.*, p. 500.

[39] *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* 1 Corinth. **15**. 21; Rom. **5**. 12 sqq.

[40] CYRIL. Alex. in *Joan.*, VII, c. 10. Vere loquitur de unione justorum ad invicem et cum Deo, sed profecto valet de unione cum Christo.

[41] BARRADIUS apud *Knab.* in Joan. p. 236.

[42] Supra n. 287. Etiam PELAGIANI (apud *Hergenr.*, II, p. 277) docebant extrinsecam remissionem peccatorum, et BAJUS (pr. 42) justificationem constituebat « in obedientia mandatorum ». E Scholasticis quidam (apud *Hergenr.*, V, 360) dixerunt infantibus remitti peccatum, quin infundatur gratia.

[43] CONC. TRID. sess. 5 cn. 5. — *NB.* Nil refert quod testimonium sit de peccato *originali,* aeque enim valet de actuali; unde sess. 6 c. 7 et cn. 11 docet quod gratiâ justi nominamur et sumus. Cf. DECR. *Post obit.* pr. 35.

idem CONC. docet quod justificatio est « translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et *adoptionis filiorum* Dei » [44]; « non sola remissio peccatorum, sed... *renovatio interioris* hominis, (qua)... ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit *haeres* secundum spem aeternae vitae » [45].

THES. 47. *Gratia sanctificante peccata* — 1 *vere remittuntur*, — 2 *nec amplius redeunt.*

425. **Prima pars.** *Gratia sanctificante peccata non teguntur, sed vere remittuntur.* Nam « **Scriptura** utitur omni genere vocabulorum quae excogitari poterant ad veram peccatorum remissionem significandam; ut si quis de industria quaerat vocabula, quibus perspicue declaret, peccatum aliquod vere tolli et aboleri; non possit aliquod reperire, quod ipsa divina Scriptura ante non occupaverit » [46]. Revera dicit peccata *tolli* [47], *auferri* [48], *deleri* [49], *purgari* [50], *exhauriri* [51], *longe a nobis fieri* quantum oriens distat ab occidente [52], *projici* in profundum maris [53], ita ut *nihil damnationis sit in iis, qui sunt in Christo Jesu* [54]. Quod autem sensu proprio expressit, metaphorico illustrans, justificationem exhibuit figuris, quae peccatorum plenam destructionem significant. Sic v. g. cum peccata dixerit *maculas* [55], *sordes* [56], *inquinamenta* [57], *tenebras* [58], justificationem nuncupavit *lavacrum* [59], *ablutionem* [60], *mundationem* [61], *dealbationem* [62], *lucem* [63]; et cum peccata vocaverit *vulnera* [64], *plages* [65], *livores* [66], *mortem* [67], justificationem exhibuit

---

[44] CONC. TRID. sess. 6 cp. 4.
[45] CONC. TRID. sess. 6 cp. 7; cn. 10 et 11.
[46] BELLARM. *De Just.*, II, c. 7.
[47] Job **7**. 12; Joan. **1**. 29.
[48] Exod. **34**. 7; Job. **7**. 21; 1 Paral. **21**. 8; Mich. **7**. 18; Zach. **3**. 4.
[49] Ps. **4**. 3; **50**. 11; Isai. **43**. 25; Act. **8**. 19.
[50] Tob. **12**. 9; Eccli. **47**. 13; Hebr. **1**, 3.
[51] Hebr. **9**. 28.
[52] Ps. **102**. 12.
[53] Ps. **7**. 19.
[54] Rom. **8**. 1.
[55] Jos. **22**. 17; Jer. **2**. 22.
[56] Apoc. **22**. 11.
[57] Matth. **15**. 11.
[58] Eph. **5**. 8.
[59] Ps. **4**. 9; Isai. **1**. 16.
[60] 1 Corinth. **6**. 11.
[61] Ps. **4**. 9; Jerem. **33**. 8; Ezech. **26**. 25.
[62] Isai. **1**. 18.
[63] Prov. **4**. 18; Matth. **5**. 16; Ephes. **5**. 8.
[64] Isai. **1**. 6; Apoc. **16**. 2.
[65] 3 Reg. **8**. 38; Eccli. **21**. 4; Mach. **14**. 36.
[66] Eccli. **23**. 11.
[67] Gen. **2**. 17; Prov. **18**. 21; Eccli. **15**. 18; Rom. **7**. 10; Apoc. **3**. 1.

uti curationem per Christum, qui veniens *pro male habentibus* [68], vulnera nostra *alligavit* [69] et *sanavit* [70], mortem vero *depulit vivificando* [71]. — **Patres** *a)* negant cum JUST. M. peccatum non imputari iis, qui peccatores sunt [72], et affirmant cum AUG. « baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum, auferre crimina, non radere » [73]. *b)* Doctrinam vero illustrant etiam exemplis sanationis a lepra, mortis Christi, et typicae destructionis Aegyptiorum in mari rubro. « Corporis lepram purgare inquit CHRYS., imo... purgatos probare tantum Judaeorum sacerdotibus licebat...; his vero (N. T.) non corporis lepram sed animae sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est » [74]. Et AUG.: « Quemadmodum in illo (Christo) *vera mors* facta est, sic in nobis *vera remissio* peccatorum; et quemadmodum in illo *vera resurrectio,* ita in nobis *vera justificatio* » [75]. Similiter GREG. M.: « Qui dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos » [76]. — **Ex ratione.** *a)* Nam permanentia peccatorum in justo repetenda foret vel ex *impotentia Dei* qui non valeret peccata delere, vel ex *voluntate Dei* qui nollet auferre; atqui primum repugnat omnipotentiae, alterum sanctitati. *b)* Deus non judicat de externis tantum, sed etiam de internis, intuetur enim cor; si ergo declararet justum eum, qui ab intrinseco est peccator, mendacii et injustitiae reus comprobaretur, quod absit.

426. **Secunda pars.** *Peccata semel remissa numquam redeunt.* Ex **Scripturis** revoca imprimis testimonia alterius partis; si enim peccata ab intrinseco vere remittuntur et penitus delentur, redire non possunt siquidem *sine poenitentia sunt dona Dei* [77]. In particulari legimus: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit...: omnia peccata ejus... non imputabuntur* [78]. — *Ego sum... et peccatorum tuorum non recordabor* [79]: quia ergo promissio Dei est absoluta, in sua ipsa immutabilitate fundata *(ego*

---

[68] Matth. **9**. 12.
[69] Isai. **30**. 26.
[70] Isai. **30**. 26; **53**. 5; Jer. **30**. 17; 1 Petr. **2**. 24.
[71] Joan. **3**. 40; **10**. 10; **20**. 31; Rom. **6**. 4; 11; 1 Joan. **3**. 14.
[72] JUST. M. *C. Tryph.* n. 141.
[73] AUG. *ad Bonif.*; I, c. 13; *Enchir.* c. 50; in *Ps.* **31** enar. 2; in *Ps.* **113** enar. 1; *C. duas epist. Pelag.*, I, 13.
[74] CHRYS. *De Sacer.*, III, n. 6.
[75] AUG. *Ench.* c. 52.
[76] GREG. M. *epist.*, XI, ep. 45.
[77] Rom. **11**. 29.
[78] Ezech. **33**. 16.
[79] Isai. **43**. 25.

sum), dicendum quod nullis subsequentibus peccatis, antiqua redeunt. **Ex Patribus** ORIG. peccatorum praesentiam explicat ex *nova scriptione* decreti quod deletum est [80]; AMBR. vero inducit Deum dicentem: « Non revoco illa, quaecumque delicta donavi tibi, velut quadam oblivione tecta sint: tu autem memor esto. Ego memor non ero propter gratiam, tu memor esto propter correptionem » [81]. Clarius adhuc PROSP.: « Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed *non id, quod remissum est, recidit,* nec in originali peccato damnabitur, qui tamen *propter postrema crimina* morte afficietur » [82]. **Ex ratione.** Profecto si peccata redirent, vel esset ex parte peccatorum remissorum, vel ex parte Dei, vel ex parte novi peccati: atqui *non ex parte peccatorum remissorum,* quia justificatione fit reintegratio violatae justitiae, unde radicitus aufertur reatus culpae et poenae; *non ex parte Dei,* quia malum culpae a Deo, malorum intentator, esse nequit; *non ex parte novi peccati,* quia unum peccatum non induit malitiam alterius, et in malo, non secus ac in bono, ultimus actus praecedentes nec formaliter nec virtualiter continet: ergo.

THES. 48. *Gratia sanctificante anima* — 1 *renovatur,* — 2 *illuminatur,* — 3 *fit consors divinae naturae,* — 4 *filia et* — 5 *amica Dei.*

427. **Prima pars.** *Gratia sanctificante anima renovatur.* Nam **Scripturae** baptismum vocant *lavacrum regenerationis et renovationis* [83], sanctificationem vero dicunt *novam nativitatem* [84] *novamque creaturam* [85], qua homo *renovatur spiritu mentis* induendo hominem, qui creatus est in justitia et sanctitate veritatis [86]. — **Patres** similiter animam baptizatam dicunt *creatam, reformatam* [87], *regeneratam* [88], baptismum autem nuncupant *vitae initium* [89]. Et si quaeris in quo renovatio haec consistat, respondent quod « renovamur per imitationem et participationem perfectae novitatis

[80] ORIG. in *Gen.* hom. 13 n. 4.

[81] AMBR. *De Poen.*, II, c. 6 n. 40.

[82] PROSP. *Resp. ad 2 ob. Gall.*; THEOD. in *Mich.* **7.** 19; GREG. M. *Epist.*, II, ep. 45.

[83] Tim. **3.** 4.

[84] *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Joan. **3.** 3 sqq.

[85] 2 Corinth. **5.** 17; Gal. **6.** 15; Eph. **2.** 10; Jac. **1.** 17-8.

[86] Eph. **4.** 23-4; Colos. **3.** 9.

[87] GREG. NAZ. *or.* 7 n. 15.

[88] BASIL. hom. *de Bapt.* n. 5.

[89] BASIL. *De Spiritu S.*, c. 10 n. 26.

Christi » [90], siquidem « formatur in nobis Christus Sancto nobis Spiritu divinam quamdam formam per sanctificationem et justitiam indente » [91]. — **Ex ratione.** Nam innovatio est intima rei mutatio, qua novum operationis principium resultat : atqui gratia sanctificante homo constituitur in ordine supernaturali et accipit potentiam agendi opera meritoria vitae aeternae : ergo.

428. **Secunda pars.** *Gratia sanctificante anima spiritualiter illuminatur.* Nam in **Scripturis** justi dicuntur *lux in Domino* et *filii lucis* [92], qui *fulgebunt sicut sol* [93], *luna* [94], *stellae* [95] et *scintillae* in arundineto [96]; Ecclesia autem sponsa *sine macula, sine ruga* [97], tota *pulchra, suavis* et *decora* [98], consurgens *quasi aurora* [99], Jerusalem *splendoribus* corruscans [100], regina *circumdata varietate* [101], mulier *amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim* [102]. — **Patres** gratiam vocant « sigillum Dei pulchritudinem ingenerans » [103], picturam divina manu expressam, renovationem aureae et fulgentissimae statuae. « Pictus es homo, inquit AMBR., et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem : noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressam sed gratia » [104]. Et CHRYS. : « Quemadmodum si quis auream statuam tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit : sic et naturam Deus peccati rubigine foedatam, multorum affectam delictorum fumo, illa pulchritudine destitutam, quam ipsi ab initio dederat, denuo conflavit... contrito vetere homine, novo autem splendidiori... condito » [105]. — **Ex ratione.** Nam gratia conjungit Christo, qui est *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [106]; qui autem unitur luci, illuminatur. Ceterum lux, nobilissima inter res corporeas,

---

[90] ATHAN. *C. Apol.*, I, n. 21.
[91] CYRIL. Alex. in *Isai.* **44**. 21-2, IV, or. 2.
[92] *Eratis aliquando tenebrae : nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.* Eph. **5**. 8.
[93] Matth. **13**. 43.
[94] Cantic. **6**. 9.
[95] Dan. **13**. 3; 1 Corinth. **15**. 41 sqq.
[96] Sap. **3**. 7.
[97] Eph. **5**. 27.
[98] Cantic. **4**. 7; **6**. 3.
[99] Cant. **6**. 9.
[100] Isai. **60**. 1-3.
[101] Ps. **44**. 10.
[102] Apoc. **12**. 1.
[103] CYRIL. Alex., *De Trin.* dial. 7.
[104] AMBR. *Hexaem.* VI, n. 47.
[105] CHRYS. hom. *ad illumin.* n. 3.
[106] Joan. **1**. 9.

est symbolum perfectionis : atqui gratia naturam perficit, siquidem conjungit Deo omnibus perfectissimo : ergo « gratia pulchrificat sicut lux » [107], et « faciem decorat animae, ut apta sit esse Dei sponsa... cui est... adeo juncta spiritualis venustas, ut nullo modo possit deformari » [108].

429. **Tertia pars.** *Gratia sanctificans consortes facit divinae naturae.* **Ex Scripturis.** Nam PETRUS testatur quod Deus *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* [109]; et JOAN. ait : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* [110]; similitudo autem supponit naturarum convenientiam. — **Patres** saepe docent cum S. Petro Deum nova quadam generatione hominem adducere in *consortium suae naturae* [111], *facere Deum, deificare, deiferam* ei conferre *naturam.* « Spiritus S., inquit BASIL., gratiam infundit... Hinc *cum Deo similitudo*... hinc est ut (homo) *Deus fiat* » [112]. Et DIONYS. : « Salus, iis qui salvantur, nonnisi jam *deificatis* potest contingere. Est autem haec deificatio quaedam, quoad fieri potest, *assimilatio* unioque, (cum Deo)... *divina participatio* » [113]. « Numquam, addit CYRIL. Alex., concipietur natura deifica : verum id soli Deo tribuendum est qui sanctorum animabus immittit *suae proprietatis participationem illam* per Spiritum S. » [114]. **Ex ratione.** Nam gratia elevat naturam supra omnem creaturam, generans ad vitam supernaturalem : atqui supra creaturam non est nisi Deus, et vita supernaturalis est propria Dei : ergo gratia communicat aliquo modo divinam naturam, ac proinde deificat.

430. **Quarta pars.** *Gratia constituit filium Dei et haeredem aeternae vitae.* Revera **Scripturae** docent nos Deum vocare *Patrem* [115] affirmantque Deum *dedisse filios Dei fieri, his... qui ex Deo nati sunt* [116] : unde dicunt quod *filii Dei nominamur et sumus* [117],

---

[107] S. THOM. com. in *Ps.* **25.**

[108] BONAV. *II Dist.* 29 a. 1 q. 1.

[109] 2 Petr. **1.** 4.

[110] 1 Joan. **3.** 2.

[111] ATHAN. or. 1 *C. Arian.* n. 16; AMBR. *epist.* 45, n. 10; AUG. *epist.* 140, c. 4; LEO M. *serm.* 2, n. 1; *De Nat. Dom. serm.* 1, n. 3; DAMASC. *De fide orth.* IV, c. 13; etc.

[112] BASIL. *De Spiritu S.* c. 9.

[113] DIONYS. *De Eccl. Hier.* c. 1.

[114] CYRIL. Alex. *Dial. de Trin.* 3.

[115] Matth. **6.** 9; Joan. **20.** 17; et praecipue Rom. **8.** 15; Gal. **4.** 6 quae manifeste sunt de paternitate gratiae.

[116] Joan. **1.** 12-3; Matth. **5.** 45; Luc. **6.** 35; Rom. **8.** 14; etc.

[117] 1 Joan. **3.** 1.

siquidem *misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus* [118], et ipse esset *primogenitus in multis fratribus* [119]. Porro divinam filiationem sequitur haereditas coelorum; etenim *si filii et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* [120]: et ideo justis dabitur futurae *gloriae pondus* [121] et vita aeterna [122]. — **Patres** *a)* non solum divinam filiationem expresse affirmant, sed *b)* explicant dicendo esse adoptivam et *c)* provenire ex gratia, cooperante libero arbitrio, imo *d)* ex illa practicas conclusiones deducunt: *a)* « Deus, inquit ATHAN., non solum eos homines fecit, sed et *filios* dixit, tamquam si genuisset » [123]. *b)* Nostram filiationem esse adoptivam saepe affirmat CYRIL. Alex., siquidem « est *verus* ille *Filius* existens a Patre, sed *nos* ejus benignitate *adoptivi* » [124]. *c)* Divinâ gratiâ filios Dei constitui docet AUG.: « Homo... quia non est ejusdem substantiae, non est verus filius; et ideo fit *gratia* filius, quia non est natura » [125]. *d)* Necessitatem liberae cooperationis ad filiationem Dei acquirendam et servandam CHRYS. deducit ex verbis Joan. *potestatem dedit filios Dei fieri;* nam, arguit, « non dixit *fecit* eos filios Dei fieri, ut ostenderet multa *nobis opus esse diligentia,* ut adoptionis nobis per baptismum impressam imaginem, puram servemus atque intactam » [126]. CYPR. Ex dignitate filii Dei concludit despectum mundi, siquidem « numquam humana opera mirabitur, quisque se cognoverit filium Dei » [127]. — **Ex ratione.** Nam justificatio est *generatio* ex Spiritu S. [128]: atqui terminus generationis est filius: ergo gratia homo fit filius Dei: atqui non filius naturalis: ergo adoptivus. Si autem filius, et haeres; nam adoptio in humanis hunc sortitur effectum, et ex humanis ad divina nos manuducimur. Profecto filius recipiendus est in domo patris et sedere debet supra mensam regni ejus [129]: ergo *filius Dei* Deum

---

[118] Gal. **4**. 4-5.
[119] Rom. **8**. 29; Gal. **3**. 27; **4**. 19.
[120] Rom. **8**. 17; Gal. **4**. 7.
[121] Rom. **8**. 18; 2 Corinth. **4**. 17; Eph. **1**. 18; Colos. **3**. 4; 1 Petr. **5**. 4; 10, etc.
[122] Matth. **19**. 16; 29; Luc. **16**. 9; Joan. **3**. 15-6; Rom. **2**. 7; 23; **6**. 22; Jud. 21; etc.
[123] ATHAN. *C. Arian.* or. 2, n. 59; BASIL. *De Spiritu S.* c. 26; CYRIL. Alex. in *Isai.* IV, or. 2; FULG. *De Praed. et grat.* n. 25-7; GREG. M. Expos. in 1 *Reg.* **13**. V, c. 4 fin.
[124] CYRIL. Alex. *Thes.* ass. 13; *Dial. de Trin.* 3 et 7; in *Joan. I,* c. 13.
[125] AUG. *C. Massil.* II, c. 15, n. 2; CYRIL. Alex. *l. c.*
[126] CHRYS. in *Joan.* homil. 9, c. fin.
[127] CYPR. *de Spect.* n. 9.
[128] Joan. **3**. 3 sqq.
[129] Cf. Luc. **22**. 29-30.

intuitive debet videre [130] : atqui in visione Dei haereditas nostra consistit : ergo « gratia nihil est aliud, quam quaedam inchoatio gloriae in nobis » [131].

431. **Quinta pars.** *Gratia sanctificante homo amicus Dei constituitur.* Nam **Scripturae** docent Deum *diligere* justos [132] eosque habere gratos [133] et acceptos [134] : atqui in amore benevolentiae, quo aliquis habetur carus et acceptus, essentialiter consistit amicitia : ergo. Ceterum in **V.** non minus quam in **N. T.** sancti vocantur amici Dei secundum illud : *Sapientia... infinitus thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei* [135]. Et iterum : *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis* [136]. — **Patres** divinam amicitiam *a)* ex Scripturis agnoscunt, siquidem, ut ait HILAR., « amicum Abraham Deo fuisse cognovimus : amicum et Moysen esse Deo lex locuta est : Evangelia vero plures jam Deo amicos esse significant » [137]. *b)* Derivant ex gratia quia « facit charitas amicum Deo » [138]. *c)* Explicant quomodo servi fieri possint amici ; nempe « miro quodam et ineffabili, sed tamen vero modo... scil. timore casto (seu filiali), ad quem pertinet servus intrans in gaudium Domini sui » [139]. *d)* Inde excellentiam dilectionis proximi deducunt, quia « non est haec parva virtus amicos Dei honore afficere » [140] ; et « spes mihi est, si amicos tuos (Domine) honore prosequar, futurum, ut in resurrectione cum illis consistam et propter eos honorem a te accipiam » [141]. — **Ex ratione.** Nam amicitia consistit in mutua benevolentia cum communione bonorum, praesupposita quadam aequalitate in natura : atqui, ut vidimus [142], haec sequuntur gratiam : ergo.

THES. 49. *Justi ex gratia* — 1 *Deum habent inhabitantem et* — 2 *Christo intime uniuntur.*

432. **Prima pars.** *Gratia sanctificante Deus substantialiter habitat in anima justi.* Nam **Scripturae** docent quod sumus *tem-*

---

[130] 1 Corinth. **13**. 12 ; 1 Joan. **3**. 2.
[131] S. THOM. 2-2 q. 24 a. 3 ad 2.
[132] Ps. **145**. 8 ; Joan. **14**. 21 ; 1 Thess. **1**. 4 ; 2 Thess. **2**. 13 ; etc.
[133] Act. **7**. 20.
[134] Tob. **12**. 13.
[135] Sap. **7**. 14 ; Judith. **8**. 22 ; Ps. **138**. 17 ; Isai. **41**. 8.
[136] Joan. **14**. 15 ; Jac. **2**. 23.
[137] HILAR. in *Ps.* **138**. n. 38.
[138] AMBR. *epist.* 37, n. 23.
[139] AUG. in *Joan.* tr. 85, n. 3 ; CYRIL. Alex. in *Joan.* X, c. 23.
[140] CHRYS. in *Ps.* **118**. n. 4.
[141] ATHAN. Exp. in *Ps.* **138**. 17-18.
[142] Supra n. 421.

plum Dei [143], et *Deum portamus* [144]. In particulari de Patre et Filio legimus : *Si quis diligit me... et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* [145]; de Spiritu S. vero quod *misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* [146], quapropter Spiritus S. *datus est nobis* [147] et *habitavit in nobis* [148]. — **Patres** affirmant *a)* quod « templa sumus vere existentis et subsistentis Spiritus S. » [149], qui *substantive* in justis habitat eisque conjungitur [150]. *b)* Distinguunt inter gratiam sanctificantem et Spiritum S. tamquam inter *duo dona;* « gratia quippe Dei, donum Dei est, donum autem maximum ipse Spiritus S. est » [151], qui ad gratiam se habet sicut causa ad effectum [152]. — **Ratio** sumitur ex praedictis [153]; ubi enim est novus effectus divinae virtutis, ibi est nova Dei praesentia : atqui gratia est specialis effectus Dei, quo homo adhaeret Deo tamquam fini supernaturali : ergo. Ceterum « ad fruendum eo, quo fruendum est, requiritur praesentia fruibilis » [154]; scil. amicitia exigit praesentiam amati : atqui gratia homo fit amicus Dei : ergo [155].

433. **Secunda pars.** *Gratiâ justi intime uniuntur Christo.* **Ex Scripturis.** Nam Apostolus non solum nos vocat *concorporales* [156], et omnes *unum corpus* [157] Christi [158], qui est *caput* Ecclesiae [159], sed docet nos communicare malis et bonis Christi ac proinde

---

[143] 1 Corinth. **3**. 16; **6**. 19; 2 Corinth. **6**. 16; 1 Tim. **3**. 15.

[144] 1 Corinth. **6**. 26.

[145] Joan. **14**. 23.

[146] Gal. **4**. 6.

[147] Rom. **5**. 5; Act. **5**. 32; **8**. 17; **15**. 8; 1 Thess. **4**. 8.

[148] Rom. **8**. 9; 11; Luc. **2**. 25; 1 Corinth. **3**. 16.

[149] CYRIL. Alex. *De Trin.* dial. 7.

[150] BASIL. *C. Eunom.* 5; GREG. Naz. *or.* 41 (al. 44) n. 11.

[151] AUG. *serm.* 144, c. 1; *Enchir.* c. 37; *De Fide et Symb.* c. 9.

[152] « Quemadmodum, inquit BASIL. *De Spiritu S.* c. 9, n. 23, corpora nitida pellucidaque contacta radio, fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt, ita animae, quae *Spiritum ferunt* illustranturque a Spiritu, fiunt et ipsae spirituales et in alios gratiam emittunt ». Cf. CYRIL. Alex. *De Trin.* Dial. 7; in *Joan.* V, c. 7, n. 39; *Thesaur.* ass. 34.

[153] Supra n. 422.

[154] BONAV. *Com. Theol. Ver.* I, c. 9.

[155] S. THOM. *I Dist.* 14 q. 2 a. 2; 1 p. q. 43 a. 2; 1-2 q. 28 a. 1; *Cg. IV,* c. 21.

[156] *Revelatum est... gentes esse cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus* (Spiritus S.) *in C. J.* Eph. **3**. 5-6.

[157] 1 Corinth. **10**. 17; **12**. 12, 13, 20.

[158] 1 Corinth. **12**. 27; Eph. **1**, 23; Colos. **1**. 24.

[159] Eph. **4**. 15; **5**. 23. Colos. **1**. 18.

« *in* et *cum* Christo *con*crucifigi [160], *in* et *cum* Christo *com*mori [161], *con*sepelliri [162], *con*vificari et *cor*resuscitari [163]; *con*vivere [164], *co*haeredes fieri [165], *con*glorificari [166], *con*sedere in coelestibus [167], *cor*regnare [168]... *in* et *cum* Christo *con*judicare » [169]. — **Ex Patribus** *a)* CYRIL. Alex ait : « Christus in eo (justo) inhabitat vivens simul et vivificans, ut obrepentem membris nostris mortem per se ipse destruat [170]. Et LEO M. : « In quo (Christo) commortui et consepulti et conresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus » [171]. *b)* Hanc autem unionem maxime deducunt ex SS. Communione, qua, ut loquitur CYRIL. Hieros. non efficimur tantum *Christiferi* sed etiam « *concorporei et consangues Christi* » [172]. Et CYRIL. Alex. : « Animadvertere est... Christum non dicere se dumtaxat in nobis futurum secundum relationem quandam affectualem, sed et per participationem physicam. Sicut enim si quis ceram alteri cerae conjunxerit et igne simul liquefecerit, unum aliquod ex ambabus efficit, ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem in eo simul unimur » [173]. — **Ex ratione.** Nam « oportet universalem causam applicari ad unumquodque specialiter, ut effectum universalis causae participent. Effectus igitur peccati primi parentis pervenit ad unumquemquem per carnis originem : effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem generationem, per quam homo Christo quodammodo conjungitur et incorporatur » [174].

434. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Scriptum est : *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt pec-*

---

[160] Rom. **6**. 6; Gal. **2**. 20.
[161] 2 Tim. **2**. 11.
[162] Rom. **6**. 4.
[163] Eph. **2**. 5-6; Colos. **2**. 13; **3**. 1.
[164] 2 Tim. **2**. 12; Rom. **6**. 8.
[165] Rom. **8**. 17.
[166] Rom. **8**. 17.
[167] Eph. **2**. 8.
[168] 2 Tim. **2**. 12.
[169] 1 Corinth. **6**. 2. CORNELY in 1 *Corinth.* p. 138-9.
[170] CYRIL. Alex. in 1 *Corinth.* **6**. 17.
[171] LEO M. *serm.* 63 (*De Pass.* 12) n. 7.
[172] CYRIL. Hier. *Catech.* 4; 22. n. 3.
[173] CYRIL. Alex. in *Joan.* X, c. 2; IV, c. 2; *De Trin.* Dial. 1. « Qui vult vivere, inquit AUG. in *Joan.* tr. 26, n. 52, habet ubi vivat, habet unde vivat : accedat, credat, *incorporetur*, ut vivificetur ». Cf. IREN. *Adv. haer.* IV, c. 34; HILAR. *De Trin.* VIII; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 23 c. med.; DAMASC. *De fide orth.* IV, c. 14.
[174] S. THOM. *Cg. IV*, c. 55.

cata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum [175] : ergo remissio peccatorum fit *occultatione* et *non imputatione*. **Resp.** Cum Deus sit omniscius et verax, detegit et non imputat *auferendo*. « Deus, inquit AUG., detegat vulnera, non tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat et curet; *emplastro* enim *tegit:* sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus » [176].

435. **Objic. 2.** Homo justificatur in Christo [177], *qui factus est nobis... justitia* [178] : ergo justificatur ab extrinseco [179]. **Resp.** « Apostolum non de imputativa justitia sensu protestantico loqui evidens est; eadem enim ratione qua Christi sapientia nobis non imputatur, sed vere nobiscum communicatur, etiam ejus justitia et sanctis non imputatur, sed revera nobiscum communicatur » [180], quod fit tripliciter scil. efficienter, exemplariter et terminative. *Efficienter* quia Christus sua passione meruit nobis justificationem quam sacramentis confert [181] : *exemplariter* quia Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* [182], ideo Apostolos, Prophetas, Evangelistas, etc. mittens, ut *occuramus... in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi* [183] : *terminative,* quia gratia sanctificante mystice conjungimur Christo.

436. **Objic. 3.** In parabola servi iniqui, qui debitum conservo non dimisit, de debito sibi jam remisso poenam sustinuit [184] : ergo per peccata subsequentia debita priorum redeunt. **Resp.** Parabola ultra finem suum non est urgenda. Christus non vult docere peccatorum redditum, sed severitatem Dei contra injuriarum ultores qui, manente affectu vindictae, peccatorum remissionem non consequuntur et ad aeternam poenam damnantur [185].

437. **Objic. 4.** Patres docent quod Deus « peccata jam remissa iterum revocat » [186], et quod « redire dimissa peccata... apertissime Dominus docet » [187] : ergo. **Resp.** His et similibus locutionibus Patres non docent peccata remissa redire quoad culpam vel poenam, sed *a)* vel loquuntur de inflictione poenae temporalis nondum remissae cum remis-

---

[175] Ps. **31**. 1-2.
[176] AUG. in *Ps.* **31** enar. 2, n. 12.
[177] Rom. **3**. 24; **5**. 9.
[178] 1 Corint. **1**. 30; 2ª **5**. 21.
[179] MELANCHTHON apud *Hergenr.* VI, p. 122.
[180] CORNELY in *1 Corinth.* p. 51.
[181] Supra n. 192.
[182] Rom. **8**. 29.
[183] Eph. **4**. 13.
[184] Matth. **18**. 23-35.
[185] DE AUGUST. *De Sacr.* II, p. 121-2.
[186] CHRYS. hom. *de 10.000 tal. debitore;* GREG. M. *Dial.* IV, c. 60.
[187] AUG. *De Bapt. c. Donat.* I, c. 12, n. 20.

sione culpae, *b)* vel de impletione numeri peccatorum post quam Deus punit, *c)* vel de ingratitudine quae post praecedentium remissionem novis peccatis superadditur, *d)* vel de redditu aequivalenti, prout recidentibus infligitur poena prius remissa, *e)* vel de apparenti tantum remissione quam solam accipit qui, ira non deposita, veniam petit a Deo [188].

438. **Objic. 5.** Merita mortificata *remissione* culpae reviviscunt; ergo peccata remissa *relapsu* redeunt. **Resp.** *Nego paritatem.* Merita per peccatum non destruuntur, sed, obice inducto, impeditur eorum fructus; peccata e contra remissione penitus delentur: et ideo merita, per poenitentiam, remoto obice, reviviscunt; peccata autem nullo modo possunt redire.

ART. 3 - DE PROPRIETATIBUS GRATIAE SANCTIFICANTIS.

439. **De quibus agendum.** Proprietates dicuntur qualitates sive intrinsecae sive extrinsecae, quae naturam rei sequuntur: ex multis tres praecipue in quaestione gratiae considerari solent, *incertitudo, inaequalitas, amissibilitas.*

440. **Quae gratiae incertitudo.** CATHARINUS incertitudinem nostrae justificationis intra limites *fidei catholicae* coarctat, dicens fide privata quisque posse credere se esse justificatum [1]; alii explicant de certitudine *fidei,* quasi naturali scientia posset innotescere [2]; sed haec componi nequeunt cum CONC. TRID., quod excludit certitudinem fidei, quatenus est « absque dubitatione » et « cui non potest subesse falsum » [3]. Verum si non datur *certitudo,* dari potest moralis quaedam *securitas,* quae, si « non tollit omnem formidinem, tamen *tollit omnem anxietatem et haesitationem,* et ipsam dubitationem, si dubius dicatur, qui non audet alteri parti assentiri » [4]. Porro praecipua SIGNA STATUS GRATIAE seu justitiae sunt *testimonium conscientiae, pax et suavitas* animi, atque *patientia* in adversis. « Cognoscitur, inquit S. THOM., aliquid conjecturaliter per aliqua signa; et hoc modo aliquis conoscere potest se habere gratiam, in quantum scil. percipit se delectari in Deo et *contemnere res mundanas* et in quantum homo *non est conscius* sibi alicujus peccati mortalis » [5]. Signum *patientiae* proponit Apostolus

---

[188] DE AUG. *l. c.* p. 123-6.
[1] Apud *Pesch,* n. 369.
[2] Apud *Mazzella,* n. 1095.
[3] CONC. TRID. sess. 6, c. 9.
[4] BELLARM. *De justif.* III, c. 11.
[5] S. THOM. 1-2 q. 112 a. 5.

docens quod *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem* [6]; scil. « si quis in rebus corporalibus et temporalibus patienter sustinet propter bona consequenda aeterna, sufficienter ex hoc probatur, quod talis plus amet bona aeterna quam temporalia » [7].

441. **Quomodo gratia augeatur.** Gratiae augmentum quidam e theologis explicant per *additionem,* alii per *meliorem radicationem.* Ex illis ALB. M., BONAV., TOLETUS, SYLVIUS, etc. tenent augeri *gradibus aequalibus,* sicut in naturalibus augetur lux additione novi luminis; SUAREZ vero *gradibus ordinis superioris.* Etiam patroni alterius sententiae subdividuntur; THOMISTAE enim explicant majorem radicationem *ex meliori modo inhaesionis* absque entitativa intensione formae, alii ex *meliori expressione* gratiae praecedentis, modo non dissimili ab eo quo ens in perfectioribus substantiis melius quam in inferioribus invenitur [8]. In subtili quaestione immorari piget; ultimam tamen sententiam eligendam putamus.

442. **Gratia sanctificans amitti potest, imminui non potest.** Quod attinet ad AMISSIONEM, nota peccatum mortale actuale gratiam non expellere *efficienter* vel *formaliter,* siquidem peccatum est opus naturae et gratia realitas ordinis supernaturalis, nec datur physica proportio rei naturalis ad supernaturalem. Sicut itaque gratia, infunditur a Deo, ita divina virtute aufertur; expellitur autem a peccato *dispositive* et *demeritorie,* prout dedecet hominem *actu* averti et *habitu* converti ad Deum [9]. Quod si gratia potest amitti, non potest IMMINUI; hoc enim esset vel « per aliquem actum, vel per solam cessationem ab actu »: atqui non per cessationem ab actu, quia hoc modo imminuuntur tantum habitus acquisiti, qui actuum influxu generantur: ergo aliquo actu qui sit a Deo vel a peccato. Jamvero « a Deo non causatur aliquis defectus in nobis nisi per modum poenae, secundum quod subrahit gratiam in poenam peccati... Unde relinquitur quod si charitas [10] diminuatur, causa diminutionis ejus sit peccatum vel effective [11] vel meritorie. Neutro autem modo peccatum mortale diminuit charitatem, sed totaliter corrumpit... Similiter etiam nec per peccatum veniale charitas diminui potest, neque effective, neque meritorie. Effective quidem non, quia ad ipsam charitatem non attingit; charitas enim est circa finem ultimum;

---

[6] Rom. 5. 3-4.

[7] S. THOM. in *Rom.* 5 lect. 1. Cf. vol. 2, n. 228.

[8] MAZZELLA, *De Virt.* n. 132 nota; PESCH, *De Virt.* n. 66 sqq.; SCHIFFINI, *De Virt.* n. 39.

[9] Cf. S. THOM. 2-2 q. 24. a. 12; Opusc. meum *De nat.,* etc. n. 40.

[10] Idem valet de gratia, quae caritatis est radix.

[11] Profecto non principaliter, sed *dispositive.*

veniale autem peccatum est quaedam inordinatio circa ea quae sunt ad finem... Similiter etiam veniale non meretur diminutionem charitatis; cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Unde consequens est quod charitas nullo modo diminui possit » [12].

443. **Errores — Veritas.** NOVATORES ex principio de *fide justificante* concluserunt justificationem constare certitudine fidei: ex principio de *imputatione meritorum Christi,* post JOVINIANUM deduxerunt aequalitatem justitiae [13]: ex principio de *extrinseca justificatione* post JOVIN., MANICH., BEGUARD., etc. blasphemarunt gratiam non amitti peccato mortali *(Calvin.),* vel amitti tantum peccato infidelitatis *(Luth.)* [14]. — **Veritas.** Contra hos errores CONC. TRID. docuit *incertitudinem* justificationis dicens: « Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum »; *inaequalitatem* gratiae definiens ejus augmentum: « S. q. d. justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera...; a. s. »; *amissibilitatem* gratiae ex quocumque peccato statuens: « S. q. d. nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quamtumvis gravi et enormi, praeter quam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; a. s. » [15].

THES. 50. *Sine speciali revelatione — 1 nemo absolute certus esse potest de propria justificatione; gratia autem, — 2 quae inaequali gradu possidetur, — 3 quolibet peccato mortali amittitur.*

444. **Prima pars.** *Absoluta fidei certitudine sine speciali revelatione nemo certus esse potest de propria justificatione.* Nam **Scriptura** securitatem de nostra justitia non docet, imo praecipit timorem etiam cum conscientia non accusat de peccato, vel de commisso testatur poenitentiam, secundum illud: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatum sum — De propitiatio peccato noli esse sine metu* [16]. Hinc prohibet quominus ante diem judicii quis de propria vel aliorum justitia ferat sententiam [17],

---

[12] S. THOM. 2-2 q. 24 a. 10.

[13] « Omnes christiani aeque magni sumus, sicut Mater Dei, et aeque sancti sicut ipsa ». LUTH. serm. *De Nat. B. V.*

[14] C. MAZZELLA, n. 1098 sqq.; supra n. 287.

[15] CONC. TRID., sess. 6 cp. 9; cn. 13 et 14. — sess. 6, cn. 24; cp. 10. — sess. 6, cn. 27; cp. 15; cn. 23.

[16] 1 Corinh. **4.** 4; Eccli. **5.** 5.

[17] *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus.* 1 Corinth. **4.** 5.

cum dentur peccata occulta [18] et *nesciat homo amore an odio dignus sit* [19]. — **Patres** pariter *a)* testimonium conscientiae imparem esse docet ab gignendam certitudinem de propria justificatione, siquidem « fortasse tu nihil invenis in conscientia tua, invenit ille qui melius videt » [20] : *b)* absolute negant factum hujus certitudinis, etenim « poenitentiâ licet abolitum (peccatum), *suspectus* tamen erat (Psalmista)... et ideo Deum precatur, ut illud auferat, qui *solus novit*, quod nescire potest etiam ipse qui fecit » [21] : imo *c)* excludunt possibilitatem cognoscendi citra revelationem, ut patet ex GREG. M. qui cuidam matronae interroganti de propria justitia respondit : « Rem difficilem et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia indignus sum cui *revelatio fieri* debeat. Inutilem vero quia *secura* de peccatis tuis *fieri non debes*, nisi cum jam in die vitae tuo ultimo plangere eadem peccata minime valebis » [22]. — **Ex ratione.** Nam certitudine *fidei*, ea tantum cognoscere possumus quae sunt revelata ; nostra autem justificatio non est revelata : certitudine autem *scientiae* gratiam *directe* attingere non valemus, quia objectum proprium nostrae mentis est quidditas rei materialis, et *indirecte* cognoscere non possumus quia aliquando (in collatione sacramentorum) pendet ab intentione aliorum, semper vero (in adultis) a supernaturali cooperatione quae, eo ipso quod supernaturalis est, reflexionem mentis parumper aufugit.

445. **Pars secunda.** *Gratia sanctificans non aequali mensura omnibus inest.* **Scriptura** inaequalitatem gratiae *a)* IN EODEM INDIVIDUO testatur cum progressum in virtute praecipit [23], atque docet quod *justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem* [24] : *b)* IN DIVERSIS individuis effert parabolis

---

[18] Ps. **18**. 13 ; Prov. **19**. 9.

[19] Eccli. **9**. 1. Ut explicat GIETMANN in *h. l.* p. 274-6, testimonium proprie agit de bonis et malis hujus vitae a Deo praedefinitis ; sensu tamen extensivo ab Ecclesia sumitur de amore et odio divino, unde praebet saltem *argumentum traditionis*. PESCH, n. 364.

[20] AUG. *De Verb. Dom.* serm. 23, n. 14 ; *De Perf. Just.* I, c. 15, n. 33 ; BASIL. *Const. Monast.* c. 2 ; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 11.

[21] AMBR. in *Ps.* **118**. serm. 5 ; HIER. in *Eccl.* **9**. 1-2 ; *C. Pelag.* II ; in *Jerem.* **13**. III ; AUG. Enar. in *Ps.* **50**. n. 11 ; BEDA in *Prov.* **20**.

[22] GREG. M. *Epist.* VII, ep. 15 ; AUG. *Hom.* 35, n. 4 ; BERNARD. *De adv.* serm. 3 ; *De Septuag.* serm. 1.

[23] *Crescite in gratia et in cognitione D. N. et Salvatoris J. C.* 2 Petr. **3**. 18. *Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Apoc. **22**. 11 ; Eccl. **18**. 22 ; 2 Corinth. **9**. 8, 10.

[24] Prov. **4**. 18.

talentorum quae diversimode sunt distributa, et grani frumenti quod attulit *unum triginta, unum sexaginta, et unum centum* [25]; quare Christus de *majori amore* Magdalenae dedit testimonium [26] et a Petro quaesivit num *plus ceteris* eum diligeret [27]; Paulus vero docet quod Spiritus S. sua charismata dat singulis *prout vult* [28]: *c)* IN TERMINO seu in coelo diversitatem inde declarat quod *in domo Patris mansiones multae sunt* [29]; justus enim judex *reddet unicuique secundum opera ejus* [30]; unde sicut *alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* [31], cum sancti diversis fulgoribus in coelis corruscabunt. — **Patres** *a)* vetant inducias in progressu sanctitatis, « ne ab itineris nondum finiti intensione cessantes, ibi (homines) incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum » [32]; siquidem, « ipsa justitia, dum proficimus, crescit » [33]. *b) Factum* diversi gradus justitiae saepe testantur, dicentes cum AUG. quod « induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus » [34]. *c) Rationem* vero hujus diversitatis derivant ex gratia Dei et ex cooperatione nostra; etenim « licet (habitaculum Dei) inchoari et perfici sine suo Auctore non possit, habet tamen ab aedificante donatum, ut etiam labore proprio quaerat *augmentum* » [35]. — **Ex ratione.** Nam gratia acquiritur et augetur sacramentis et bonis operibus: atqui sacramenta non omnes pariter quoad numerum et dispositionem suscipiunt; meritum vero bonorum operum proportionatur gratiis Dei et consensui voluntatis, quae diversa sunt in diversis [36]: ergo [37].

446. **Tertia pars.** *Gratia sanctificans quolibet mortali peccato amittitur. a) Amissibilitatem* justitiae praedicant **Scripturae** cum exhortantur ad vigilantiam et orationem, ne in tentationem incidamus et a statu, in quo stamus, cadamus [38]. *b) Factum amis-*

---

[25] Matth. **25**. 15; Marc. **4**. 8.

[26] Luc. **7**. 41 sqq.

[27] Joan. **21**. 15.

[28] 1 Corinth. **12**. 11.

[29] Joan. **14**. 2.

[30] Matth. **16**. 27; Rom. **2**. 6; Apoc. **22**. 12.

[31] 1 Corinth. **15**. 41.

[32] LEO M. *Serm.* 20; in *Quadr.* serm. 2, c. 1.

[33] AUG. *De Verb. Ap.* ser. 16, c. 5.

[34] AUG. *epist.* 167 (alias 29) n. 13; in *Joan.* tr. 6, n. 8; AMBR. ep. 81 *ad Syric*; HIER. *C. Jovin.* II; GREG. M. *Moral.* IV, c. 42.

[35] LEO M. *serm.* 48, c. 1; HIER. *C. Jovin.* II; AMBR. in *Luc.* VII, c. 15.

[36] S. THOM. 1-2 q. 112 a. 4.

[37] S. THOM. *De Virt.* q. 1 a. 11.

[38] *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Matth. **24**. 41. *Qui se exi-*

sionis gratiae per peccatum efferunt cum observantiam mandatorum Dei exigunt ad amorem, qui justitiâ perficitur [39], necnon cum peccatores excludunt a vita aeterna [40], atque docent peccatum generare mortem [41] et filium diaboli constituere [42]. *c)* Neque Scripturae majoribus tantum peccatis tribuunt amissionem gratiae; qui enim *totam legem servaverit, offendat autem in uno, reus est omnium* [43]; et *si averterit se justus a justitia sua... omnes justitiae ejus... non recordabuntur* [44]. — **Patres** *a)* aperte docent quod « ille qui cecidit in aliquod grave vitium, non amplius in Deo est » [45]; nam « si regeneratus et justificatus in malam vitam relabitur... *acceptam gratiam* suo in malum libero *amisit* arbitrio » [46]. *d)* Imo affirmant nos uno peccato omnia bona amittere et magis puniri quam si numquam justitiam adepti fuissemus. « Miserandum sane spectaculum!, inquit BASIL., post jejunium... ea quae innumeris laboribus et sudoribus quaesierat, *unico* daemonis impetu perdidit, *peccato* nimirum, non secus ac saevo quodam turbine pressus et subversus » [47]. Et CHRYS.: « Eorumdem peccatorum non pares subimus poenas, sed *longe graviores* si postquam initiati sumus, in scelera ruimus » [48]. — **Ex ratione.** Nam, ut diximus [49], peccatum mortale contrariatur gratiae *dispositive* inducens in subjecto aversionem a fine, cui debetur privatio bonorum Dei et poena aeterna [50].

ART. 4 - DE CAUSIS ET DISPOSITIONIBUS GRATIAE SANCTIFICANTIS.

447. **Quid causa et dispositio.** CAUSA efficiens, quae sola in quaestionem venire potest, definitur ab ARISTOTELE *id unde*

---

stimat stare, videat ne cadat. 1 Corinth. **10**. 12; Rom. **11**. 20; 1 Corinth. **9**. 27; Apoc. **3**. 11.

[39] *Qui habet mandata et servat ea: ille est qui diligit me.* Joan. **14**. 21.

[40] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. **19**. 17; Prov. **7**. 2; 1 Corinth. **6**. 9.

[41] *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Jac. **1**. 15. Notum est in Scripturis *mortem* sumi etiam de damnatione. Cf. Rom. **7**. 24; Hebr. **6**. 1; CORNELY in *Rom.* p. 390.

[42] *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* 1 Joan. **3**. 8.

[43] Jac. **2**. 10. Scil. peccatum mortale corrumpit caritatem, in qua tota lex recapitulatur. Cf. AUG. *ep. 167*, n. 16-7.

[44] Ezech. **18**. 24, Rom. **11**. 22.

[45] ATHAN. *C. arian.* or. 3, n. 25.

[46] AUG. *De corr. et grat.* c. 6.

[47] BASIL. Hom. in *princ. Prov.*

[48] CHRYS. in *Joan.* hom. 28, n. 1; BERNARD. in *Cant.* serm. 54, n. 11.

[49] Supra n. 442.

[50] S. THOM. 2-2 q. 24 a. 12.

primum principium est mutationis et quietis [1], ex cujus scil. vera et physica operatione dependet primo rei effectio [2]: DISPOSITIO est habitudo qua subjectum fit idoneum ad formam suscipiendam [3], et reducitur ad causam efficientem vel materialem prout est *exigentia* formae, vel sola *aptitudo* ad illam per remotionem obicis: utroque sensu procedit quaestio, agitur enim de dispositionibus quibus homo fit *capax* gratiae sanctificantis, et eam assequi potest *merito de congruo*.

448. **Quae causa gratiae.** Causa efficiens alia est *principalis*, cui effectus debetur secundum propriam formam et cui proinde debet proportionari; alia *instrumentalis*, quae effectum attingit in virtute principalis agentis. De causa instrumentali gratiae diximus in trac. *de Verbo Incar.* et iterum dicemus in trac. *de Sacramentis;* causam vero principalem esse Deum probabimus in thesi. Porro actio qua Deus gratiam producit non est *creatio*, nec *concreatio*, neque *eductio*, sed *infusio:* non est *creatio*, quia terminus creationis est substantia effecta de nihilo sui et subjecti, dum gratia est accidens receptum in subjecto cui inest: non est *concreatio*, quia concreari dicitur accidens sequens substantiam cum qua efficitur, dum gratia est ordinis supernaturalis: non est *eductio*, quia de potentia materiae educitur forma ad quam materia habet naturalem capacitatem, ad gratiam vero natura habet solam potentiam obedientialem, seu *non repugnantiam* ut virtute superioris agentis aliquid recipiat vel agat. Restat igitur ut sit *infusio*, qua voce exprimitur immissio et consequens receptio alicujus realitatis ab exteriori agente; et gratia non resultat in anima ex ejus operatione, sed ipsi datur a Deo. Quia tamen effectio gratiae, prout non supponit naturalem potentiam et fit immediate a Deo, assimilatur creationi, nonnumquam vocatur creatio. « Gratia, ait S. THOM., dicitur *creari* ex eo quod homines secundum ipsam creantur, i. e. in novo esse constituuntur ex nihilo, i. e. non ex meritis, secundum illud [4]: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis* [5].

449. **Quae dispositiones ad gratiam.** Quaestio est de justificatione adultorum [6], qui ad gratiam sacramenti debent praeparari remotione obicis, et ad justificationem extrasacramentalem merito de congruo [7]. Porro a CONC. TRID. sex dispositiones assignantur, scil. *fides, timor,*

[1] ARIST. *Phys.* II, c. 3.
[2] SCHIFFINI, *Princ. Phil.* n. 611.
[3] Supra n. 308.
[4] Eph. 2. 10.
[5] S. THOM. 1-2 q. 110 a. 2 ad 3.
[6] Infantes justificantur baptismo; sacramenta autem exigunt solam remotionem obicis *(affectus peccaminosi)*, quae in infantibus sine actu positivo habetur.
[7] Attendas quaestionem proponi de prima justificatione; justus enim *de condigno* meretur augmentum gratiae.

spes, caritas saltem inchoata, *poenitentia* et *propositum* servandi divina mandata; ut tamen notat MAZZELLA, hae sunt dispositiones ordinariae; « potest enim aliquis statim perfectam contritionem ex gratia concipere, quin antea timore fuerit excitatus » [8]. Quod vero attinet ad naturam influxus, tenendum imprimis est dispositiones non pertinere ad ordinem *physicum* sed *moralem*, praeparant enim ad gratiam, prout exhibent congruentiam, ut ex divina promissione gratia conferatur [9]. Ex praedictis autem de gratuitate gratiae [10] sequitur secundo dispositiones hujusmodi solis naturae viribus non effici. « Potest, inquit S. THOM., praeparatio (ad gratiam) dupliciter considerari: uno quidem modo, secundum quod est a libero arbitrio; et secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiae consecutionem, quia donum gratiae excedit omnem praeparationem virtutis humanae. Alio modo potest considerari prout est a Deo movente; et tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest » [11].

450. **Errores — Veritas.** Deum esse *causam principalem* gratiae, negant tantum qui ordinem supernaturalem cum antiquis PELAGIANIS et modernis RATIONALISTIS et MODERNISTIS ignorant [12]: *necessitatem* dispositionum, quibus homo praeparatur ad gratiam, non agnoverunt REFORMATORES dicentes cum *Calvino* « hominem sola fide justificari » [13]. — **Veritas** definita est in CONC. TRID., quod de *causa* gratiae ait: « Efficiens (causa est) misericors Deus qui gratuito abluit »; de *necessitate* dispositionum: « S. q. d. liberum hominis arbitrium a Deo excitatum nihil operari... quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet... a. s. »; de *insufficientia fidei:* « S. q. d. sola fide impium justificari... a. s. » [14].

THES. 51. *Licet gratia sanctificans — 1 a solo Deo efficiatur, — 2 praerequirit tamen in adultis nonnullas dispositiones, — 3 quae ad solam fidem reduci nequeunt.*

451. **Prima pars.** *Causa principalis justificationis est solus Deus.* Nam **Scripturae** *a)* non tantum Deo tribuunt virtutem sanctificandi, dicentes quod ipse est *Deus omnis gratiae* [15], qui *gratiam*

---

[8] C. MAZZELLA, n. 1075.
[9] PESCH, n. 357.
[10] Supra n. 311-3.
[11] S. THOM. 1-2 q. 112 a. 3.
[12] Adduci potest SIMON MAGUS, qui existimabat Apostolos habere ex se virtutem conferendi gratiam.
[13] CALV. *Inst.* III, c. 11, n. 19; supra n. 287.
[14] CONC. TRID. sess. 6 cp. 7 — cn. 4 — cn. 9; cp. 5-6.
[15] 1 Petr. 5. 10.

et gloriam dabit [16] et *delet iniquitates* [17]; sed *b)* negant alios propria virtute posse justificari, *unus* enim *est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem* [18], et *salvator non est praeter me* [19]. — **Patres** saepe improportionem naturae ad ordinem gratiae testantur [20], unde cum COELEST. I docent quod « solus Deus est qui donat unde homo sit bonus et unde placeat Deo » [21]; cum AMBR. gratiam tribuunt Christo, siquidem « ubi Christus... ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac vivorum » [22]; cum AUG. arguunt ex excellentia gratiae; nam « melius est *justum* esse, quam esse *hominem;* si hominem te fecit Deus et justum tu te facis, melius aliquid facis quam fecit Deus » [23]. — **Ratio** est quia gratia *a) in se* est realitas ordinis supernaturalis; unde attingi nequit a creata virtute, siquidem agens ultra suam speciem non operatur: *b) ratione finis* est medium ad vitam aeternam; unde ab illo tantum conferri potest, qui valet dare vitam aeternam: *c) ratione effectus* hominem constituit amicum et filium Dei, participem divinae naturae et templum Spiritus S.; est autem *regis* servum sibi in amicum deligere, *Patris* filios adoptare, *Dei* deificare et dare vitam aeternam, *Spiritus S.* in suo templo inhabitare: ergo.

452. **Secunda pars.** *Ad justificationem adultorum praerequiruntur nonnullae dispositiones.* Nam **Scripturae** *a)* justificationem tribuunt nostrae *conversioni* ad Deum [24], *poenitentiae* [25], *fidei* [26], *baptismo* [27], etc., et *b)* docent quod *sine fide impossibile est placere Deo* [28] — *nisi poenitentiam habueritis omnes similiter peribitis* [29] — *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei* [30]: atqui haec, analogia sumpta a sensibilibus [31], posi-

---

[16] Ps. **73**. 12.

[17] *Ego sum ipse qui deleo iniquitates propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.* Isai. **43**. 25.

[18] Rom. **3**. 30.

[19] Osee **13**. 4; Job. **14**. 4; Isai. **43**. 11.

[20] Supra n. 311-2.

[21] COEL. I, *Epist.* ad *Gall.* c. 5 et 8.

[22] AMBR. *De Virg.* c. 3.

[23] AUG. *De Verb. Apost.* serm. 15 c. 11.

[24] *Convertimini ad me... et convertar ad vos.* Zach. **1**.3; Ps. **80**. 11; Jac. **4**. 8.

[25] *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis,... vita vivet.* Ezech. **18**. 21.

[26] *Haec scripta sunt... ut credentes, vitam habeatis.* Joan. **20**. 31.

[27] *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. **16**. 16.

[28] Hebr. **11**. 6; Marc. **16**. 16.

[29] Luc. **13**. 3.

[30] Joan. **3**. 5.

[31] DISPOSITIO in corporalibus est *debita proportio ad formam.*

tive et negative notionem exhibent dispositionum : ergo. — **Patres** necessitatem nostrae cooperationis ad iustificationem saepe urgent, dicentes eum « gratiam recipere, qui ad eam se praeparat » [32], « ex nobis initium esse ut Deus perficiat » [33]; siquidem « qui fecit te sine te, non te justificat sine te... Fecit nescientem, justificat volentem » [34]. Hinc LEO M. : « Dulcius divina munera gratiae proveniunt, quoties *non sine magnis sudoribus* acquiruntur » [35]. — **Ex ratione.** *a)* Nam sicut in naturalibus materia non est apta ad formam nisi praeparetur, ita in ordine supernaturali debet anima praeparari ad gratiam : atqui praeparatio fit accessu ad causam, et dispositione subjecti : ergo ad justificationem requiritur accessus ad Deum et remotio impedimenti, quod est affectus inordinatus : atqui accessus ad Deum fit desiderio rerum divinarum, remotio vero affectus inordinati detestatione peccati : ergo « per displicentiam peccati et affectum ad Deum se aliquis ad gratiam praeparari » debet [36]. *b)* Ceterum « Deus movet omnia secundum modum uniuscujusque... Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem humanae naturae. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii » [37] seu absque propria cooperatione.

453. **Tertia pars.** *Dispositiones quibus homo ad justificationem praeparatur ad solam fidem nequeunt reduci.* Nam **Scripturae** *a)* justificationem tribuunt etiam *timori* [38], *spei* [39], *poenitentiae* [40], *dilectioni* [41], *bonis operibus* [42], et maxime *misericordiae* [43] : *b)* imo de quibusdam dispositionibus, a fide distinctis, necessitatem efferunt, ut cum dicunt : *Qui sine* TIMORE *est non poterit justificari* [44] — *nisi* POENITENTIAM *habueritis omnes similiter peribitis* [45] — *qui*

---

[32] CYRIL. Hier. *Catech.* 1 et 17; CHRYS. in *Rom.* hom. 2.

[33] HIL. in *Ps.* **118.** AMBR. *De Abraham,* II, n. 74; in *Ps.* **36.**

[34] AUG. *Serm.* 169 c. 11 n. 13.

[35] LEO M. *epist.* 120 c. 1. Adde testimonia partis sequentis.

[36] S. THOM. *IV Dist.* 17 q. 1 a. 2 sol. 2.

[37] S. THOM. 1-2 q. 113 a. 3.

[38] Eccli. **1.** 27 sqq.; Prov. **14.** 27.

[39] Prov. **28.** 25; Matth. **9.** 2.

[40] Luc. **13.** 3; Act. **3.** 19.

[41] Prov. **8.** 17; Joan. **14.** 21 coll. 1 epist. **3.** 14; Luc. **7.** 47.

[42] 2 Petr. **1.** 16; **3.** 14; Jac. **2.** 17 sqq.

[43] Tob. **12.** 9; Dan. **4.** 27; Matth. **25.** 34 sqq.

[44] Eccli. **1.** 27.

[45] Luc. **13.** 3.

non DILIGIT *manet in morte* [46]: *c)* tandem insufficientiam solius fidei expressis verbis testantur; nam JACOBUS dicit quod *ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum...; sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* [47]: et PAULUS affirmat quod *si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero nihil sum* [48]. — **Patres** non solum *a)* necessitatem *timoris* et *spei,* saltem in ordinaria justificatione praedicant [49]; sed *b)* insufficientiam solius fidei aperte proclamant, dicentes cum PROSP. quod « eum, qui potest uti libero arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sine operibus justificat » [50]. Imo *c)* docent non esse fidem veram, quae ab operibus sejungitur; etenim « credere in Christo quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit? » [51]. Qui ergo « promittunt eis pacem et regnum coelorum et dicunt: non necesse est ut vivas continenter et sancte: habeto fidem, quam docemus et omnia promissa Domini consequeris..., magis adversus eos iram Dei concitant » [52]. — **Ratio** *a)* ipsamet est, quam in altera parte audivimus a S. THOM., scil. homo praeparatur ad gratiam prout accedit ad Deum et removet affectum peccaminosum; atqui haec sola fide non perficiuntur, sed amore saltem inchoato et detestatione peccati: ergo. *b)* Accedit quod doctrina, quae morum corruptioni favet, vera esse non potest: atqui ex doctrina de sola fide justificante logice concluditur adagium REFORMATORUM « Pecca fortiter, sed fortius fide » [53]: ergo.

454. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si ad justificationem requirerentur dispositiones, justificatio non esset gratuita: atqui sumus *justificati gratis per gratiam* [54]: ergo. **Resp.** « Omnes isti actus (dispositionum), quamvis Deum ad gratiam justificationis impio dandam aliqualiter movere recte dici possunt (scil. *de congruo*), nullo modo impediunt quominus justificatio ipsa sit vere gratuita. Nam ex una parte actus ipsi, quum a gratia plane dependeant, sunt divina dona

---

[46] 1 Joan. **3**. 14.

[47] Jac. **2**. 2-6.

[48] 1 Corinth. **13**. 2.

[49] AUG. *De catech. rud.* c. 5; *De poen.*, I, c. 1.

[50] PROSP. *De Vita cont.*, I, c. 19; AUG. *De fide et oper.* c. 14; *De grat. et lib. arb.* c. 7. n. 18; *De Praed. sanct.* c. 7 n. 12.

[51] CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 2.

[52] HIER. in *Matth.* **8**. 3.

[53] LUTH. *Ad Melanchthon.* a. 1521; GROTIUS, *Discussio Apol.* apud Mazzella, n. 1086.

[54] Rom. **3**. 24.

gratuita...; altera autem ex parte..., quamvis justificationem praecedant..., eam nec producunt nec *(de condigno)* merentur » [55].

455. **Objic. 2.** Justificatio in Scripturis saepe tribuitur fidei, nulla alia conditione requisita : ergo sola fides sufficit. **Resp.** Ne unus quidem est locus Scripturae in quo *soli fidei* tribuatur justificatio [56]; *specialius* vero ei tribuitur *a)* « quia fides est salutis *fundamentum* et radix omnis justificationis » [57], *b)* quia ab aliis dispositionibus *praesupponitur,* et eas *revocat* [58], et *c)* quia *metonimice* nomine fidei (objectivae) intelliguntur omnia dogmata, praecepta, instituta divina, omniaque media salutis [59]. Porro e testimoniis quae objiciuntur, alia sunt mere *affirmantia,* alia *universalia,* alia *excludentia* opera. Testimonia *affirmantia* justitiam ex fide [60] nihil evincunt contra necessitatem aliarum dispositionum, quia affirmatio unius non est negatio alterius, et adaequata ratio justificationis non debet sumi ex uno alterove testimonio, sed ex complexu totius revelationis. Testimonia *universalia,* quae scil. justitiam tribuunt omni credenti [61], explicanda sunt de fide *viva* quae *per charitatem operatur* [62]. Testimonia *excludentia* virtutem operum [63] docent inutilitatem *legalium* et operum *naturalium* [64]; si enim agitur de operibus gratia elicitis, Jacobus docet quod *ex operibus justificatur homo* [65], et Paulus celebrat fidem Abraham, Isaac, Jacob, etc., quia in magnis periculis et in poenis impleverunt divina praecepta [66].

456. **Objic. 3.** Dicit Apostolus : *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem* [67] : ergo fides est initium et finis justificationis, extra quam proinde nihil quaerendum est. **Resp.** Verba Apostoli multipliciter explicari queunt. « Exponit AUG. [68] *ex fide* annunciantium evangelium *in fidem* obedientium evangelio : exponunt alii, *ex fide* Prophetarum in *fidem* Apostolorum : alii *ex fide* obscura et latente in V. T. *in fidem*

---

[55] CORNELY in *Rom.* p. 186-7.

[56] C. MAZZELLA, n. 1085.

[57] CONC. TRID. sess. 6 cp. 8; IGNAT. M. *ad Eph.* n. 14; AUG. ep. 105 *ad Sixtum; De bono persev.* c. 2; in *Ps.* **31**. enar. 2 n. 3; *De Verbis Apost.* 16 (158) n. 6; etc.

[58] *Praesupponitur,* quia spes, timor, amor, etc., quae sunt dispositiones ad justificationem, innituntur supernaturali cognitioni Dei, quae est ex fide; *revocat,* quia, qui credit, ex notitia bonitatis et severitatis Dei inducitur ad ejus amorem et timorem. Cf. BELLARM. *De Just.,* I, c. 13.

[59] FRANZ. *De Sacram.* th. 8 p. 86.

[60] Act. **15**. 9; Rom. **1**. 17; **5**. 1; Gal. **3**. 11; Hebr. **10**. 38, etc.

[61] Joan. **3**. 15; Act. **10**. 43; **13**. 19; 1 Joan. **5**. 1 coll. Hebr. **11**. 6.

[62] Gal. **5**. 6; 1 Tim. **5**. 8; Jac. **2**. 2-6.

[63] Rom. **3**. 28; **14**. 23; Eph. **2**. 8-9, etc.

[64] CORNELY, *Int. in Sacr. S.,* Diss. III, § 5 n. 4.

[65] Jac. **2**. 2-6.

[66] Hebr. **11**. 20-39.

[67] Rom. **1**. 7.

[68] AUG. *De Spirit et Lit.* c. 11.

manifestam et revelatam in T. N... : alii *ex fide* imperfecta *in fidem* perfectam, et caritate formatam. Quae postrema expositio confirmatur ex similibus phrasibus [69], quae significant progressum et incrementum ejusdem rei » [70].

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS INFUSIS.

457. **Capitis divisio.** Gratia, ut fert commune adagium, naturam imitatur; sicut ergo ex substantia animae fluunt potentiae, ita gratiae animam exornanti « additur nobilissimus omnium virtutum comitatus » [1], quo in supernaturali ordine perficiuntur potentiae. De natura, numero et proprietatibus virtutum, necnon de donis Spiritus S., quibus illae in proprio munere complentur, agendum est. Porro duae quaestiones occurrunt, altera de generica ratione virtutis et doni, altera de singulis : de prima pauca delibabimus, in altera parumper immorabimur, maxime ut Modernistarum errores de fide impugnemus. Integrum tractatum octo articulis absolvemus : — 1 *De virtutibus,* — 2 *de donis Spiritus S.,* — 3 *de fidei natura et formali objecto,* — 4 *de ejus objecto materiali,* — 5 *de proprietatibus fidei,* — 6 *de munere Ecclesiae et rationis in re fidei,* — 7 *de spe,* — 8 *de caritate.*

ART. 1 - DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

458. **Potentia, dispositio, habitus, virtus.** Praecipuum accidens, quo substantia perficitur quoad *esse secundum,* est qualitas substantiam determinans ad aliquem modum essendi vel agendi [2]. Porro qualitatis quatuor extant species [3], quarum praecipuae sunt *potentia* et *habitus:* illa proxime fluit a natura, primo et per se ordinatur ad operationem, et est indifferens ad bonum et malum [4]; hic ab extrinseco accipi potest, ordinatur saltem remote ad perfectionem substantiae [5], potentias praesupponit et ad unum determinat.

---

[69] Ps. **83**. 8; **99**. 5; **145**. 10; Luc. **1**. 50; 2 Corinth. **3**. 18.

[70] BELLARM. *De Justit.,* I, c. 20.

[1] CATECH. ROM. pars. 2 c. 2 n. 51.

[2] TIL. PESCH, *Inst. Logic.,* n. 1512.

[3] Scil. *habitus, potentia, passio, forma.* S. THOM. 1-2 q. 49 a. 2.

[4] Definitur *principium quo proximum ad operandum primo et per se a natura ordinatum.* SCHIFFINI, *Princ. Philos.* n. 546.

[5] Habitus *entitativus* ordinatur proxime ad substantiam, remote ad operationem; *operativus* proxime ad operationem, remote ad substantiam quam modificat.

Si modificatio substantiae vel potentiae non est firma dicitur *dispositio*, si est difficulter mobilis vocatur *habitus* [6]; unde habitus definitur *qualitas permanens et difficulter mobilis, qua homo bene vel male se habet spectata primario vel natura ipsius vel operatione* [7]. — *Virtus*, quae a *vi* vel *viro* derivatur, aliquando sumitur de quacumque perfectione vel facultate agendi [8], imo de quovis effectu maxime miraculoso [9], sed communius intelligitur « animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus » [10]; est scil. habitus operativus inclinans potentiam ad actus secundum rationem; et quia ratio ordinat operationes agentis ad suam perfectionem, quam homo maxime assequitur bonitate morali [11]; virtus proprie loquendo est *habitus operativus moraliter bonus*, seu « bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur » [12].

459. **Virtus acquisita et infusa.** In omni actioni maxime immanenti, uti experientia ipsa docet, agens modificatur acquirens ex repetitione actuum dispositionem eum inclinantem ad eorumdem actuum repetitionem. « Cum igitur ratio *multoties* inclinat virtutem appetitivam (voluntatem) in aliquid unum, fit quaedam *dispositio firma* in vi appetitiva, per quam inclinatur in unum, et ista dispositio sic firmata est *habitus virtutis* » [13]. Quod si intellectus et voluntas propriis operationibus efficere valent virtutes, quae ex origine dicuntur *acquisitae;* profecto Deus, qui animae illabitur, potest immediate in potentias animae inducere virtutes, quae item ex origine vocantur *infusae*, et subdividuntur in infusas *per accidens* et *per se*, prout nostra operatione possunt acquiri vel non, eo quod alterius sint rationis ac speciei. Nostra quaestio est de *virtutibus per se infusis*.

460. **Quomodo differant virtutes acquisitae ab infusis.** Differunt *origine et natura*. Differunt ORIGINE, *a)* quia virtutes acquisitae producuntur nostra operatione, infusae, utpote supernaturales, a solo

---

[6] S. THOM. 1-2 q. 49 a. 2 ad 3.

[7] MAZZELLA, *De Virt. Inf.* n. 5.

[8] Ps. **32**. 6; 16; Judith. **4**. 13; 19; 27.

[9] Joël. **2**. 22; Matth. **7**. 22; Marc. **6**. 5; Act. **8**. 13; 1 Corinth. **2**. 4.

[10] AUG. *Quaes. 83*, q. 31 n. 1; *De Morib. Eccl.*, I, c. 6 n. 9.

[11] S. THOM. 1-2 q. 55 a. 3; 65 a. 2.

[12] S. THOM. 1-2 q. 55 a. 4 ex AUG. *C. Jul.*, IV, c. 3; *De Lib. arb.*, II, c. 19. — *NB.* S. THOM. ex AUG. (epist. 105 et enar. 26 in Ps. **118**) addit : *quam Deus in nobis sine nobis operatur;* sed hoc pertinet ad virtutes infusas, quarum perfectio est a gratia.

[13] S. THOM. *De Virt.* q. 1 a. 9; 1-2 q. 51 a. 2.

Deo *efficienter* sunt : *b)* quia virtutes acquisitae *successive* acquiruntur et sunt inter se *independentes* [14]; *infusae* intime *connectuntur gratiae* cum qua *simul omnes* [15] infunduntur; etenim « sicut ab essentia animae effluunt ejus potentiae, quae sunt operum principia, ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus » [16]. Differunt NATURA, *a)* quia « habitus distinguuntur *specie* secundum ea, ad quae ordinantur; non enim est eadem specie sanitas hominis et equi, propter diversas naturas ad quas ordinantur... Et per hunc modum differunt virtutes morales [17] infusae, per quas homines bene se habent in ordine ad hoc quod sint *cives sanctorum et domestici Dei;* et aliae virtutes acquisitae secundum quas homo bene se habet in ordine ad res humanas » [18]. *b)* Acquisitae *per se* pertinent ad praedicamentum qualitatis, infusae *reductive* tantum, siquidem non ordinantur ad perfectionem *propriam* substantiae, sed ad hoc quod substantia proprietates Dei quodammodo participet [19]. *c)* Acquisitae insuper supponunt potentiam proportionatam ad actum [20], cui conferunt *facilitatem* agendi; infusae non praesupponunt potentiam, sed eam constituunt; nec conferunt *facilius* agere, sed ipsum *posse agere.* « Ratio est clara, quia (virtutes infusae) sunt id quo primo constituitur homo potens agere secundum convenientiam illius superioris naturae cujus per gratiam particeps effectus est. Nam antequam his intrinsecis principiis instruatur anima, possibile quidem est, ut agat supernaturaliter sub influxu transeuntis virtutis Dei, ipsa tamen ad operationem supernaturalem, qua talem, se habet mere ut instrumentum, et ideo non possidet in se operativam potentiam, quae primo ex infusione praedictorum principiorum ei accedere intelligitur. Et hoc est quod consueverunt significare theologi, cum dicunt virtutes infusas dare *simpliciter posse,* pro quanto scil., non secus ac potentiae, ipsum posse non praesupponunt, sed afferunt, suamque vim ab antecedenti operum exercitio minime accipiunt, sed eam congenitam habent et actibus praeviam » [21].

---

[14] Hoc patet de virtutibus *intellectualibus* (S. THOM. 1-2 q. 58 a. 4 et 5; q. 65 a. 1 ad 3); siquidem dari potest philosophus, qui non sit musicus, et patiens ac magnanimus mathesis artis expers : quoad virtutes *morales* distinguendum est; siquidem gradu *imperfecto* separatim acquiruntur et consistunt, *perfecto* simul inveniuntur, eo quod in prudentia fundentur. S. THOM. 1-2 q. 65 a. 1; AMBR. *De Parad.* c. 3; in *Luc.*, V, c. 6; *De Offic.* c. 9; HIER. *epist.* 127; AUG. *De Trin.*, VI, c. 4; GREG. M. *Moral.*, I, c. 39.

[15] S. THOM. *IV Dist.* 14 q. 1 a. 2 sol. 2.

[16] S. THOM. 1-2 q. 110 a. 4 ad 1.

[17] Idem valet de *theologicis.*

[18] S. THOM. 1-2 q. 63 a. 4.

[19] BILLOT, p. 32.

[20] Nam si efficiuntur actibus potentiae, ejus capacitatem agendi praesupponunt.

[21] BILLOT, p. 33.

461. **An virtutes infusae afferant facilitatem agendi supernaturaliter.** Distinguendum est : nam « facilitas operandi opera virtutum potest esse ex duobus, scil. *ex consuetudine praecedente,* et hanc facilitatem non tribuit virtus infusa statim in sui principio. Et iterum *ex forti adhaesione ad objectum virtutis,* et hanc est invenire et in virtute infusa statim in sui principio » [22]. Si igitur fit quaestio non de innata propensione ad terminum, quae est in omni potentia, sed de vera *facilitate* agendi, dicendum est quod virtutes infusae ex se eam non afferunt, unde inveniri possunt in habente propensionem ad vitium oppositum. Quod si agitur non de facilitate inducta ab habitu infuso, sed de alia habitum infusum comitante, certum est eam frequenti repetitione actuum supernaturalium obtineri ; experientia enim hoc testatur et mystici saepe docent. Verum de entitate hujus inclinationis ad opera salutaria dissentiunt theologi. Qui enim supernaturalitatem habituum derivant *ex solo principio,* cum BILLOT docent « quod per frequentationem actuum virtutis infusae generatur *habitus* (naturalis) quo facilitas exercitii eorumdem acquiritur, et quod huic habitui ad augmentum vel diminutionem sive corruptionem quod attinet, applicanda sunt omnia principia, quae generatim de habitibus acquisitis valent » [23]. Qui e contra habitus supernaturales nobiscum specificant etiam *ex objecto* [24], negant exercitio actuum supernaturalium acquiri habitus inclinantes ad repetitionem illorum [25], et facilitatem bene agendi repetunt ex remotione impedimentorum et ex dispositionibus appetitus sensitivi [26]. Nonne etiam in naturalibus, cum removentur impedimenta communia similibus habitibus, acquisitionem unius habitus sequitur facilitas exercitii alterius? [27]. Ergo etiam in supernaturalibus sine habitibus proprie dictis haberi potest facilitas ad repetitionem actuum supernaturalium ex permanentia specierum, ex remotione impedimentorum et ex subordinatione concupiscentiae ad rationem, quae non habitu virtutis, sed potius physica dispositione appetitus sensitivi efficiatur.

462. **Virtutes theologicae, morales, cardinales.** Licet aliquo modo omnes virtutes infusae habeant Deum pro objecto formali [28] et sic dici queant theologicae, non tamen omnes pariter in Deum

---

[22] S. THOM. *IV Dist.* 14 q. 2 a. 2 ad 5.

[23] BILLOT, p. 50 sqq.

[24] Supra n. 352.

[25] Nam habitus hujusmodi, nec naturales, nec supernaturales forent : non *supernaturales* quia acquisiti, non *naturales* quia actibus supernaturalibus effecti.

[26] MAZZELLA, p. 41-8.

[27] Sic v. g. philosophus aptior est studio theologiae quam physicus ; pictor magis idoneus sculpturae quam musicus, etc.

[28] Nam objectum attingunt prout innotescit *lumine fidei,* ac proinde ob auctoritatem Dei revelantis.

ordinantur. Quaedam enim per prius respiciunt bonitatem creatam, Deum vero secundario tantum, prout haec bonitas a Deo est et ad Deum ducit; aliae per prius ordinantur in Deum ex quo solo honestatem et perfectionem suam mutuantur: illae dicuntur *morales,* hae per antonomasiam *theologicae;* inter morales vero quae sunt principaliores, et dirigunt operationem aliarum, vocantur *cardinales.*

463. **Quomodo virtutes augeantur et amittantur: an imminuantur.** Virtutes infusas non generari actibus nostris, sed infundi a Deo cum gratia in qua radicantur, jam vidimus: atqui res iisdem causis augentur quibus producuntur: ergo sicut gratia AUGETUR *effective* a Deo et *dispositive* ab homine receptione sacramentorum et bonis operibus, ita et virtutes meliorem radicationem seu intensionem accipiunt effective a Deo et dispositive a sacramentis et bonis operibus. Et quia meritum aequaliter respicit omnes virtutes [29]: omnes virtutes simul et pariter augescunt; quod patet etiam ex eorum radice, siquidem fluunt a gratia, cui necessario intensitatis gradu debent proportionari. — Quod attinet ad AMISSIONEM, per se loquendo omnes virtutes perire deberent amissa gratia; siquidem, everso fundamento, tota domus ruit, et gratia, ut millies diximus, virtutum infusarum est radix et fundamentum: de facto tamen Deus, qui in Eucharistia servat accidentia sine subjecto, in peccatore, pereuntibus ceteris virtutibus [30], servat *fidem* et *spem,* quae amittuntur tantum peccatis directe oppositis, scil. fides peccato infidelitatis [31], spes peccatis infidelitatis et desperationis aut praesumptionis, prout fusius explicatur in theologia morali [32]. Hinc CONC. TRID.: « S. q. d. amissa per peccatum gratia simul et *fidem* semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva... a. s. » [33]. — Quod attinet ad DIMINUTIONEM repetenda sunt quae diximus de diminutione gratiae, scil. virtutes infusas non imminui operatione humana, neque subtractione divina. Non imminuuntur opera-

---

[29] V. g. actus *castitatis* primo et per se non meretur augmentum virtutis castitatis, sed vitae aeternae; ac proinde gratiae cui vita aeterna retribuitur: atqui gratia est radix omnium virtutum, ipsâque auctâ omnes virtutes debent augeri: ergo.

[30] S. THOM. 2-2 q. 54, coll. 1-2 q. 65 a. 2.

[31] DURANDUS apud *Hergenr.* V, 70, negat peccato infidelitatis semper fidem amitti; sed certe confundit fidem internam cum ratione membri Ecclesiae (vol. 1, n. 309).

[32] Cf. BILLOT, *th. 24,* p. 339 sqq.; *th. 29,* p. 367 sqq.

[33] CONC. TRID. sess. 6, cn. 28. « Sine caritate, inquit AUG. *De Trin.* XV, c. 18, n. 32, fides potest *esse,* sed non *prodesse* ». Cf. S. THOM. 2-2 q. 4 a. 4.

tione humana, quia ab homine non pendent in *fieri* et *conservari;* non imminuuntur subtractione divina, quia Deus sua dona removet tantum ex demerito seu peccato, et non est peccatum quod mereatur imminutionem virtutum : non mortale quia meretur eorum corruptionem; non veniale quia deordinatio circa medium non opponitur virtutibus quae ad finem bene disponunt. Quod si venialia habitus virtutum non imminuunt, auferunt tamen vel imminuunt facilitatem bene agendi [34] : imo ipsa virtus dici potest quodammodo diminui, prout inducitur « *dispositio ad corruptionem* ipsius, quae fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis » [35].

464. **Errores — Veritas.** REFORMATORES ex doctrina de sola fide iustificante *spem* et *charitatem* non agnoverunt [36] : SCOTISTAE virtutes theologales admittunt sed *morales* negant [37]. — **Veritas.** Dari tres virtutes theologales constat de fide ex CONC. TRID. docente quod in justificatione « cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo... fidem, spem, et charitatem » [38] : dari etiam virtutes morales, etsi *de fide* non habeatur, tenendum est ex INNOC. III et CONC. VIEN. quae praeter fidem et caritatem recensent *alias* virtutes, et ex CATECH. ROM. qui loquitur de « nobilissimo omnium virtutum comitatu » [39].

THES. 52. *Simul cum gratia infunduntur a Deo — 1 tres virtutes theologicae et — 2 plures virtutes morales — 3 inter quas eminent quatuor cardinales.*

465. **Prima pars.** *In justificatione cum gratia sanctificante infunduntur tres virtutes theologicae, scil. fides, spes et caritas.* Nam **Scriptura** docet quod *nunc manent fides, spes, charitas, tria haec* [40] : cum vero « *tria haec* nominantur, non tantum a charismatibus, sed a reliquis quoque Spiritus S. donis ita distinguuntur, ut eas arctissime inter se cohaerere et completam quamdam classem constituere dicendum sit, cui aliud ejusdem ordinis et dignitatis donum addi nequeat » [41]. — **Patres** affirmant cum ORIG. quod « prima salutis initia et ipsa fundamenta *fides* est; profectus vero

---

[34] Haec *facilitas,* ut vidimus n. 460, est acquisita, unde cessatione ab actu, imminuitur.

[35] S. THOM. 2-2 q. 24 a. 10. Scil. venialibus homo disponitur ad mortale.

[36] Supra n. 287.

[37] SCOTUS in *III Dist.* 36 q. 1, n. 28.

[38] CONC. TRID. sess. 6, cp. 7; cn. 28.

[39] INNOC. III c. *Majores* de Bapt.; CONC. VIEN. *De Sum. Trinit.* etc.; CATECH. ROM. p. 2, c. 2, n. 51.

[40] 1 Corinth. **13.** 13.

[41] CORNELY in *h. l.* p. 409.

et augmenta aedificii *spes* est; perfectio autem et culmen totius operis *charitas* est » [42]. — **Ex ratione.** Nam homo ad Deum finem supernaturalem ordinari debet secundum intellectum et voluntatem. Jamvero « quantum ad intellectum adduntur homini quaedam principia supernaturalia, quae divino lumine capiuntur, et haec sunt credibilia de quibus est *fides*. Secundo vero est voluntas, quae ordinatur in illum finem et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad *spem*, et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in ultimum finem, quod fit per *charitatem* » [43]. Ergo.

466. **Secunda pars.** *Praeter theologales dantur plurimae virtutes morales.* Nam **Scriptura** docet quod Deus a justo aufert *cor lapideum* eique tribuit *cor carneum* [44] : atqui cor lapideum constituitur pravis dispositionibus seu vitiis, cor carneum virtutibus efficitur, quas Deus infundit : ergo. Hinc Apostolus affirmat quod *non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis* [45] : ubi vides virtutem *(fortitudinem)* et sobrietatem *(temperantiam)* comparari *dilectioni*, quae profecto est virtus infusa. — **Patres** cum AUG. docent *cardinales* nobis virtutes donari [46]; imo alias plurimas, nam « sanctitas *pietatis*, incorruptio *castitatis*, modestia *sobrietatis*, semper haec tenenda sunt... quia intus sunt omnes istae virtutes... Quis autem sufficit omnes numerare? *Quasi exercitus* est imperatoris » [47]. — **Ratio** est quia in ordine naturali praeter virtutes naturales, quae respiciunt principia, dantur virtutes acquisitae quibus bene disponimur ad conclusiones : ergo etiam in supernaturalibus praeter virtutes theologicas, quae respiciunt Deum totius ordinis supernaturalis principium et finem, dari debent virtutes morales quibus bene ordinamur in iis quae sunt ad Deum [48].

467. **Pars tertia.** *Virtutes principales seu cardinales sunt quatuor.* Nam **Scriptura** de sapientia ait quod « sobrietatem *(tem-*

---

[42] ORIG. in *Rom.* **4**; AUG. *De doct. Chr.* I, c. 37, 39; *Enchir.* c. 3, 4; GREG. M. *Moral.* I, c. 7.

[43] S. THOM. 1-2 q. 63 a. 3. — Fide Deum *cognoscimus*, spe diligimus ut *bonum nostrum*, caritate amamus ut *bonum in se*.

[44] Ezech. **11**. 19-20.

[45] 2 Tim. **1**. 7.

[46] BASIL. in *Ps.* **29**. n. 5; AMBR. *De Parad.* c. 3, n. 14, 18; AUG. *Enar.* in *Ps.* **83**, n. 11.

[47] AUG. in 1 *Joan.* tr. 8, n. 1; PROSP. *C. Collat.* c. 9 (alias 19); GREG. M. in *Ezech.* hom. 5.

[48] S. THOM. 1-2 q. 63 a. 3.

perantiam) et *prudentiam* docet et *justitiam* et virtutem *(fortitudinem)*, quibus utilius nihil est in vita hominibus » [49]. — **Patres** cum Aug. docent: « Virtus habet partes quatuor: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam » [50]. — **Ratio.** « Nam objectum virtutum moralium est *bonum honestum*. De bono autem honesto debet homo imprimis recte judicare, id quod fit per *prudentiam*. Porro debet ordinem rationis servare in prosecutione bonorum creatorum, et hoc fit per *temperantiam;* dein debet superare difficultates, quae retrahunt a prosequendo bono rationis, et hoc fit per *fortitudinem;* tandem debet ordinem rationis servare erga alios, et hoc fit per *justitiam* » [51].

Art. 2 - De donis Spiritus Sancti.

468. **Quid donum Spiritus S.** Agentes de necessitate gratiae, diximus *naturam* ad observandam legem naturalem habere quidem potentiam physicam sed, attentis magnis difficultatibus, ex concupiscentiae aestu, debilitate arbitrii et diaboli tentationibus, egere auxilio gratiae, ut de facto eam impleat. Etiam in ordine supernaturali quid simile accidit. Gratia et virtutibus homo potestatem accipit eliciendi ex determinatione sui liberi arbitrii opera salutaria; in fuga tamen mali et in prosecutione boni etiam justo occurrunt graves difficultates, quae vinci nequeunt sine speciali interventu Spiritus S.; sicut ergo ad connaturalia habenda auxilia ordinaria justus recipit *virtutes*, quae sunt titulus ad illa, ita ut connaturale habeat auxilium extraordinarium ad vincendas tentationes et ad heroicas virtutes exercendas, recipit in justificatione *dona Spiritus S.*, « quorum formalis effectus est justare et veluti aptare facultates ad Spiritum S. ut ad proprium motorem, in quacumque differentia seu genere spiritualium motionum. Ex quo fit ut homini instructo hujusmodi habitibus, *debitae* jam *sint* spirituales inspira-

---

[49] Sap. **8.** 7.

[50] Aug. *Quaest. 83*, q. 31, n. 1; *De mor. eccl.* 1, c. 15, n. 25; Ambr. *De Parad.* c. 3, n. 14, 18; in *Luc.* c. 6, n. 62.

[51] Pesch, n. 8 ex S. Thom. 1-2, q. 60 a. 2; q. 61 a. 2.

tiones et quidem de lege constanti atque ordinaria [1]. Fit etiam ut superni instinctus jam recipiantur tamquam in mobile appropriato, subintrando cum ea connaturalitate et familiari persuasibilitate, quae non potest abesse ubi Spiritui moventi similis est animae dispositio » [2]. Dona itaque Spiritus S. sunt : *habitus supernaturales quibus facultates animae disponuntur ad prompte obediendum motionibus Spiritus S.* [3].

469. **Quot dona Spiritus S., et quomodo in actum veniant.** Septem esse dona Spiritus S. constat ex Isaia, sic autem solent distribui, ut quatuor tribuantur intellectui, tria voluntati. Ad INTELLECTUM ordinantur *intellectus* quo movemur ad meliorem intelligentiam fidei; *sapientia* qua movemur ad contemplanda divina et ad judicandum quod adhaerere Deo bonum est; *scientia* qua movemur ad aestimandas creaturas deficientes rivulos pulchritudinis Dei, appetibiles quidem si ducunt ad Deum, contemptibiles vero si a summo bono avertunt; *consilium* quo in agibilibus movemur ad judicandum de his quae fugienda vel agenda sunt in via salutis. Ad VOLUNTATEM ordinantur *pietas* qua inclinamur ad exhibendum Patri nostro Deo cultum, proximo vero auxilium et honorem propter reverentiam Dei; *fortitudo* qua disponimur ad actus heroicos et ad spernenda pericula et errores quibus a via salutis retrahimur; *timor* quo voluntas fortificatur contra delectabilium illecebras, ne eat post concupiscentias suas [4]. — De usu donorum nil certi statui potest, siquidem *Spiritus ubi vult spirat* [5], in genere tamen dici potest quod pendet ab externis circumstantiis, v. g. auditionis vel lectionis verbi Dei, gravis tentationis, peculiaris utilitatis Ecclesiae, etc., et licet coarctari nequeat ad actus heroicos [6], hos quoque comprehendit,

---

[1] *Jus*, de quo agimus, non est ad gratias *efficaces*, sed ad praecisive *sufficientes*, juxta beneplacitum Spiritus S., qui singulis dividit prout vult.

[2] BILLOT, *th.* 7, p. 179.

[3] PESCH, n. 114 opinatur dona a virtutibus distingui *ratione*, sed communius et verius tenetur distingui *re*.

[4] BILLOT, *th.* 7, p. 181 sqq.; VALENTIA apud *Mazzella*, n. 266. — *NB.* TANQUEREY, *De grat.* n. 181, donorum distinctionem repetit ex ordine ad virtutes theologales et cardinales.

[5] Joan. **3**. 8.

[6] « Dona excedunt communem perfectionem virtutum, non quantum *ad genus operum*, eo modo quo consilia praecedunt praecepta, sed quantum *ad modum operandi*, secundum quod homo movetur ab altiori principio ». S. THOM. 1-2 q. 68 a. 2 ad 1. Scil. exercitium virtutum pendet a libero arbitrio, donorum a motione Spiritus S., qui potest etiam movere ad actum remissum. Quia tamen specialis interventus Dei perfectionem affert, ceteris paribus, actus proveniens a donis nobilior est actu solius virtutis; « et hoc est quod quidam dicunt quod dona perficiunt homines ad *altiores* actus quam sint actus virtutum ». S. THOM. 1-2 q. 68 a. 1.

pertingens ad extases [7] et ea quae sunt supra sexum et aetatem [8], vel supra regulas ordinariae prudentiae [9].

THES. 53. *Justus cum virtutibus infusis accipit etiam dona Spiritus S.*

470. Nam **Scriptura** docet gratia nos incorporari Christo [10], *de cujus plenitudine omnes nos accepimus* [11] : atqui Isaias de Christo prophetavit : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* [12] : ergo. — **Patres** existentiam et numerum septenarium donorum Spiritus S. *a)* saepe testantur [13], *b)* eorumque infusionem (seu melius augmentum) tribuunt confirmationi. « Post fontem (baptismum) superest, inquit AMBR., ut perfectio (confirmatio) fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus S. infunditur, spiritus sapientiae et intellectus... *septem quasi virtutes* Spiritus » [14]. *c)* AUG. dona Spiritus S. comparat beatitudinibus [15] ; *d)* CHRYS. vero, HIER. et CYRIL. deducunt ex nostra unione ad Christum ; siquidem « ut consortes eramus et haeredes malorum, quae protoplasto primumque condito homini acciderunt, sic etiam eorum, quae per dispensationem extiterunt secundis generis nostri primitiis, i. e. Christo, erimus participes » [16]. **Ratio** sequitur ex praedictis. Scil. justus non habet in suo libero arbitrio vires sufficientes ad superandas difficultates, quae in via salutis occurrunt, neque ad heroicas virtutes exercendas, sed ad hoc eget speciali auxilio Spiritus S. habitibus virtutum non debito : ut ergo fiat undequaque perfectus, recipere debet habitus, qui sint titulus exigitivus hujus auxilii : atqui hi sunt dona Spiritus S., siquidem sicut « *virtus infusa* efficit animam connaturale principium actuum salutarium, (ita) *donum* (efficit) connaturale receptivum divinorum instinctuum » [17] : ergo.

---

[7] *Contemplatio* est ex communioribus actibus donorum et distinguitur in orationem *quietis*, unionis *simplicis*, unionis *extaticae*, et unionis *consummatae*. BILLOT *De Virt.* p. 185.

[8] V. g. quae egit S. Catharina pro redditu RR. PP. ad Urbem.

[9] V. g. cum S. Apollonia sponte in ignem paratum prosiliit.

[10] Supra n. 433.

[11] Joan. **1**. 16.

[12] Isai. **11**. 2.

[13] AUG. *De doctr. Chr.* II, c. 7 ; GREG. M. *Moral.* I, c. 28 et 32.

[14] AMBR. *De Sacram.* III, c. 2, n. 8 ; in *Ps.* **118**. serm. 3, n. 21.

[15] AUG. *De serm. mont.* I, c. 4, n. 11.

[16] CYRIL. Alex. in *Isai.* **11**. 2 ; CHRYS. in *Ps.* **44**. n. 2 ; HIER. in *Isai.* **11**. 2.

[17] BILLOT, *th.* 7, p. 180.

ART. 3 - DE FORMALI OBJECTO FIDEI.

471. **Ignorantia, dubium, opinio, certitudo, scientia, fides.** Hi sunt diversi status mentis respectu veritatis [1]. Cum mens nullam habet rei notitiam, esse dicitur in *ignorantia,* quae accipit nomen *inscitiae* si notitia non pertinet ad convenientem perfectionem subjecti, cujus capacitatem praetergreditur [2]. Cum mens objectum percipit, adest *cognitio,* diversa tamen prout mens veritati adhaeret, vel inter affirmationem et negationem haeret. Cum hoc contingit, adest *dubium,* quod dicitur negativum si nullae rationes occurrunt, *positivum* si rationes sunt, sed tam infirmae vel contrariae ut mens unum eligere nequeat. Cum motivis perpensis intellectus veritati adhaeret, locum habent opinio et certitudo: *opinio* si veritatem amplectitur cum formidine errandi, *certitudo* si absque formidine [3]. Quod si non firmitatem assensus, sed motivum ejus consideras, duplex status mentis exurgit, scil. *scientia* [4] cum mens ad assentiendum movetur ab evidentia [5], *fides* cum movetur ab auctoritate. « Fides, inquit S. THOM. cognitio quaedam est, in quantum intellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoscibile. Sed haec determinatio ad unum non procedit ex visione credentis, sed ex visione ejus, cui creditur. Et sic, in quantum deest visio, deficit a ratione cogni-

---

[1] Non consideramus statum mentis respectu erroris, quia fides est essentialiter vera.

[2] Sic v. g. agricolae est sola *inscitia* eorum quae artem medicam spectant: sacerdos imparatus ad confessiones excipiendas vel verbum Dei annuntiandum est in *ignorantia culpabili* eorum, quae spectant ad suum officium: qui in infidelitate nascitur, et evangelizatorem non audivit, invenitur in *ignorantia inculpabili* fidei.

[3] Certitudo dispescitur in objectivam, subjectivam et formalem: certitudo *objectiva* est claritas objecti quae nata est movere mentem ad firmum assensum; *subjectiva* est firmitas assensus praecisione facta a motivis sufficientibus vel non, quibus est inducta; *formalis* est assensus firmus praestitus veritati sufficienter propositae. Agimus de certitudine formali.

[4] *Scientia* lato sensu dicitur de quavis cognitione evidenti, presse vero est *cognitio per causas;* quod si cognitio causarum progreditur usque ad Deum, attingens objectum prout ad ultimum finem ducit vel abducit, dicitur *sapientia.*

[5] Duplex est evidentia generans scientiam, scil. *immediata* pro primis principiis, *mediata* pro conclusionibus. Si evidentia innititur legibus physicis parturit certitudinem *physicam,* si constanti praxi entium liberorum *moralem,* si essentialibus principiis rerum *metaphysicam.*

tionis quae est in scientia; nam scientia determinat ad unum per visionem et intellectum principiorum »[6]. Fides ergo est *firmus mentis assensus veritati praestitus ob testantis auctoritatem.*

472. **Qua ratione mens adhaereat formali objecto fidei.** Omnes catholici fatentur auctoritatem Dei revelantis esse objectum formale fidei, seu motivum quo credimus dogmata[7], sed quomodo mens adhaereat primae veritati seu auctoritati Dei rivelantis valde disputatur. BILLOT aestimat nos credere Deo, sicut credimus homini; ita ut differentia inter actum fidei theologicae et fidei naturalis se habeat tantum *ex parte principii*[8]. C. MAZZELLA differentiam sumit etiam ex parte *objecti formalis,* prout mens aliter credit Deo quam hominibus[9]: in fide scil. humana motiva credibilitatis sunt *causa* assensus qui determinatur ab *evidentia mediata*[10] cui commensuratur firmitas assensus[11]; in fide theologica motiva credibilitatis sunt mera *conditio,* qua posita, mens virtute gratiae immediate adhaeret primae veritati; unde etiam firmitas assensus non commensuratur evidentiae motivorum, sed infinite superat, et fides non potest resolvi in scientiam mediatam[12].

473. **Errores — Veritas.** *Naturam* fidei corrumperunt REFORMATORES post GNOSTICOS[13] confundentes cum fiducia propriae justificationis[14], RATIONALISTAE dicentes instinctivum dictamen rationis practicae, emanans a sensu dignitatis humanae, et impellens ad assentiendum veritatibus religiosis[15], MODERNISTAE constituentes

---

[6] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 13 ad 3.

[7] *Revelationem* quidam distinguunt in *activam,* quae est actus voluntatis Dei revelantis, et *passivam,* quae est signum seu verbum continens et notificans nobis divinam sententiam: primam pertinere dicunt ad *objectum formale,* alteram esse conditionem *sine qua non.* BILLOT, *th.* 9, p. 216.

[8] BILLOT, p. 72 sqq.

[9] Cf. MAZZELLA, n. 761-849; PESCH, n. 171; TEPE, n. 662-686.

[10] Scil. fide humana credimus homini, quatenus *intuemur* ipsum habere *evidentiam* rei dictae.

[11] Scil. juxta gradum *cognitionis* auctoritatis humanae, est gradus assensus qui homini loquenti praestatur.

[12] BILLOT negat fidem humanam resolvi in scientiam mediatam, quia assensus non datur *evidentiae testimonii,* sed *auctoritati loquentis* (p. 205-6). At curnam assentior auctoritati loquentis? Nonne quatenus mihi constat de ejus scientia et veracitate? Neque hujusmodi notitia est merum praeambulum, siquidem ei commensuratur aestimatio auctoritatis et firmitas assensus.

[13] HERGENR. *St. Un. d. Ch.* I, p. 207.

[14] LUTH., CAL., HODGE, etc. apud *C. Mazzella,* n. 576 sqq.

[15] KANT fides est « approbatio veritatum religiosarum (moralium) propter exigentiam practicam, ut homo servet suam dignitatem »: WEGSCHEIDER « sensus quidam necessitatis internae... quo animus in cogitandis rebus divinis tenetur et persuasio inde informata de veritate idearum ad religionem spec-

in peculiari facultate [16] apprehendente exigentias et experientias divini [17]. **Veritas** jam definita a CONC. TRID., confirmata est in VATIC. docente fidem « virtutem esse supernaturalem qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest » [18].

THES. 54. *Fides — 1 non est instinctivus quidam sensus exigentiarum religiosarum, — 2 neque fiducia de propria justificatione, sed — 3 actus intellectus, quo — 4 sub influxu voluntatis et — 5 auxilio gratiae — 6 assentimur veritatibus revelatis ob auctoritatem Dei revelantis.*

474. **Prima pars.** *Fides non est instinctivus sensus exigentiarum religiosarum.* Nam **Scriptura** notitiam veritatum fidei non tribuit studio exigentiarum nostri animi, sed auditioni verbi Dei, secundum illud Apostoli : *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt ? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo autem audierunt sine praedicante ?* [19]. Item docet quod fidei objectum aufugit sapientiam principum hujus saeculi [20], et perspicaciam cordis humani [21], *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum* [22] : atqui perceptio exigentiarum nostrae naturae, non excedit aciem cordis, nec pertinet ad divinam revelationem : ergo. **Rationis** argumenta inde deducuntur quod fides instinctiva rationalistarum ordinem su-

---

tantium » : HERMES « status certitudinis seu persuasionis de veritate rei cognitae, in quem statum inducimur per necessarium assensum rationis theologicae vel per necessarium consensum rei practicae ». Apud *C. Mazzella,* n. 583.

[16] ANONYM. *Il Progr.* p. 114-5 ait : « I fatti religiosi racchiudono significati misteriosi che la pura scienza non può cogliere : la fede con le sue *facoltà singolari* penetra quei significati e riesce a viverli... (ed) elaborando il suo soggetto lo *trasfigura* e *sfigura*... dal punto di vista conoscitivo ». Alias hanc facultatem fidei dicit *sensum illativum* (p. 97), *experientiam* (p. 95), vel *intuitionem religiosam* (p. 109), *necessitatem instinctivam* spiritus sani (p. 121). Cf. LABERTHONNIÈRE, TYRREL, et etiam SEMERIA apud *Carbone,* De Modern. doct. p. 243-4.

[17] Cf. Vol. 1, n. 19.

[18] CONC. VATIC. *Dei Filius,* cp. 3; TRID. sess. 6 cp. 6; cn. 10 et 12.

[19] Rom. **10.** 14 sqq.

[20] *Loquimur... sapientiam non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur.* 1 Corinth. **2.** 6.

[21] *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* L. c. 9.

[22] L. c. 10.

pernaturalem evertit, et indifferentismum religiosum inducit. *Evertit ordinem supernaturalem* quia doctrina eruta ab exigentiis naturae non est ei indebita [23]: *inducit indifferentismum,* docentem « religionem quamlibet, ethnicorum minime exceptam, ut veram habendam » [24], quia omnis religio *respective* proponitur ab instinctu religioso et sacra experientia.

475. **Secunda pars.** *Fides theologica non est fiducia de propria justificatione.* Nam **Scripturae** negant hominem posse assequi certitudinem de propria justitia [25], unde praecipiunt ut cum *metu et tremore salutem nostram* operemur [26]: objecta vero credenda omnino diversa a nostra justificatione assignant, dicentes Abraham credidisse quod *futurus erat pater multarum gentium* [27], eunuchum reginae Candacis credidisse *Filium Dei esse Jesum Christum* [28], nos autem credere debere quod *Deus est et inquirentibus se remunerator sit* [29], totumque Evangelium, secundum illud: *Praedicate Evangelium... qui crediderit ...salvus erit* [30]. — **Ratio** sumi potest ex analogia inter fidem humanam et divinam; in humanis enim quisque distinguit fidem a fiducia, licet scientia et veracitas promittentis, quae pertinent ad objectum formale fidei, sint etiam fundamentum fiduciae.

476. **Tertia pars.** *Fides est actus intellectus.* Nam **Scriptura** non solum docet quod fide *credimus, intelligimus, cognoscimus* [31], qui profecto sunt actus mentis, sed expresse docet fide captivari *intellectum* [32]. **Patres** affirmant quod « fides oculus est conscientiam illuminans et intelligentiam pariens » [33] quippe « credere nihil aliud est, quam *cum assentione cogitare* » [34]. **Ex ratione.** Nam fidei objecta, ut constat experientia, percipimus compositione et divisione specierum intelligibilium [35]; repugnat autem species intelligi-

---

[23] Cf. Vol. 1 n. 27.

[24] PIUS X, Enc. *Pascendi.* In *Il Progr.* p. 17 aiunt: « Tutte le religioni rispecchiando il grado di cultura e di evoluzione sociale dei popoli, fra i quali ciascuna di essa è diffusa, provocano un'*esperienza utile e sana* », quapropter christianismo comparantur ut « il meno perfetto e il perfetto ».

[25] Supra n. 444.

[26] Phil. **2**. 12.

[27] Rom. **4**. 17.

[28] Act. **8**. 37.

[29] Hebr. **11**. 6.

[30] Marc. **16**. 15-6.

[31] Hebr. **11**. 6; 3; Joan. **17**. 3 sqq.

[32] 2 Corinth. **10**. 5.

[33] CYRIL. Hier. *Catech.* 5 n. 4; 10.

[34] AUG. *De Praedest. Sanct.* c. 2 n. 5; *De Spir. et Litt.* c. 31 n. 54.

[35] Vol. I n. 69, 74.

biles, quibus mens intelligit etiam profana, recipi in potentia ab intellectu distincta [36]. Accedit quod juxta conditionem intellectus est notitia fidei; amens enim dogmata non cognoscit, et qui natura et studio ceteris acie mentis praestat, theologicis disputationibus est aptior: mens ergo est facultas qua fidei cognitiones acquiruntur.

477. **Quarta pars.** *Intellectus in assensum fidei voluntatis imperio debet moveri.* Nam **Scriptura** ponit in potestate hominis credere et non credere, et in fide agnoscit meritum [37]: atqui libertas ad voluntatem pertinet, meritum vero libertatem subaudit: ergo. Hinc Apostolus fidem exhibet uti *obedientiam* [38], ex quo « jure merito colligitur fidem solo actu intellectus non constare, sed voluntatis quoque subjectionem postulare » [39]. **Patres** communissime docent *a)* quod « fides est voluntaria animi assentio » [40]; « nam credere et obedire est in nostra potestate » [41]. *b)* Imo ex libertate assensus meritum nostrae fidei desumunt. « Credere, inquit AMBR., aut non credere *voluntatis est.* Neque enim quis cogi potest ad id, quod manifestum non est, sed invitatur... Quam ob rem assentiens praemiis afficiendus est, sicut et Abraham, qui quod non vidit credidit » [42]. **Ratio** est manifesta, nam intellectus est facultas necessaria quae non determinatur *per se* nisi ab evidentia objecti; quia ergo in fide supernaturali non adest evidentia rei creditae, fides « est actus intellectus secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum » [43].

478. **Quinta pars.** *Actus fidei theologicae sine gratia non elicitur.* Nam in **Scripturis** Christus dixit: *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [44]: atqui fide accedimus ad

---

[36] S. THOM. 2-2 q. 4 a. 2.

[37] Marc. **16**. 15-6; Joan. **3**. 18-9; Act. **8**. 37; Rom. **4**. 1 sqq.; Gal. **2**. 16 sqq.; Hebr. **10**. 38 sqq.; 1 Joan. **3**. 23, etc.

[38] *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium* (graec. *obedientiam*) *Christi.* 2 Corinth. **10**. 5; **9**. 13; Act. **6**. 7; Rom. **1**. 5; **10**. 16.

[39] CORNELY in 2 *Corinth.* p. 263.

[40] THEOD. *Graec. aff.* serm. 1; CLEM. Alex. *Strom.*, II, c. 2; V, c. 1; BERNARD. *De Cons.*, V, c. 3.

[41] CLEM. Alex. *Strom.*, VII, c. 3; AUG. in *Joan.* tr. 26. 2; *De Spir. et Litt.* c. 31 sqq.

[42] AMBR. *in Rom.* **4**. 4; ORIG. in *div. lib. S. Script.* hom. 2; IREN. *Adv. haer.*, VI, c. 37; 62; HIL. in *Ps.* **118** lit. 10 n. 12, etc.

[43] S. THOM. 2-2 q. 4 a. 2; *De Verit.* q. 14 a. 1; in *Boët.* De Trin. I, c. 1 q. 1 or. 3 a. 1 ad 4.

[44] Joan. **6**. 44.

Deum secundum illud : *Credere... oportet accedentem ad Deum* [45] : ergo dicendum cum Apostolo : *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est* [46]. **Ratio** sumitur ex praedictis de necessitate gratiae ad initium salutis [47] ; fides enim est medium ad vitam aeternam, unde in eodem ordine supernaturali constituitur. Accedit quod fide intellectus immediate adhaeret Deo, eique ultra motivorum evidentiam assentitur : atqui naturaliter assensus fidei motivorum firmitatem superare non deberet : ergo. Quod si gratiam uti sanantem consideras, necessariam invenies ut contra omnis generis difficultates mens altissima mysteria firmissime et irremovibiliter teneat.

479. **Sexta pars.** *Fides est actus quo revelationem amplectimur ob auctoritatem Dei revelantis.* Nam **Scriptura** a ratione objecti formalis seu motivi assensus fidei *a)* excludit evidentiam objecti, docetque nos *b)* credere Deo *c)* scienti et veraci, *d)* cujus testimonium majus est testimonio hominum : atqui haec proponunt auctoritatem Dei revelantis tamquam motivum assensus fidei : ergo. MINOR vix eget explicatione *a)* cum enim intellectus firmiter tantum veritati certae adhaerere debeat, si *non movetur ab evidentia* objecti, moveri debet ab auctoritate scientis : *b) credere alicui* est vox technica qua exprimimus assensum praestitum ob auctoritatem loquentis ; si ergo fide *credimus Deo,* profecto revelata amplectimur ob auctoritatem ejus : *c)* de *scientia et veracitate* nil est dicendum, siquidem exhibent ipsam formalem rationem auctoritatis loquentis : *d)* idem valet de *receptione testimonii* quod communi dictione significat amplecti sententiam alicujus ex praecognita ejus scientia et veracitate. MAJOR *probatur per partes. a)* Et primo quidem a motivo fidei excludi evidentiam objecti, docent testimonia quae affirmant nos credere *mysteria abscondita* quae *nemo principum hujus saeculi cognovit* [48] et fidem definiunt *argumentum* [49] *non apparentium* [50]. *b)* Fide nos credere Deo, patet ex Abraham qui in figura nostri *credidit Deo et reputatum est illi ad justitiam* [51].

---

[45] Hebr. **11**. 6.

[46] Eph. **2**. 8.

[47] Supra n. 378.

[48] 1 Corinth. **2**. 7-8.

[49] Graece ἔλεγχος *demonstratio* seu *convinctio,* ut saepe legit AUG.

[50] Graece οὐ βλεπομένων i. e. *eorum quae non videntur.* Hebr. **11**. 1.

[51] Gen. **15**. 6 coll. Rom. **4**. 3, 23, 24 ; 1 Joan. **5**. 10.

c) Fidem inniti scientiae et veracitati Dei docent Christus et Joan.; ille enim pro motivo fidei adducit Nicodemo suam scientiam : *quod scimus loquimur et quod vidimus, testamur*[52]; hic fundat in Dei veracitate, siquidem qui *accipit ejus testimonium signavit quia Deus verax est*[53]. *d)* Nos tandem credere ob testimonium Dei, innuit Paulus cum testatur Galatas accepisse Evangelium *per revelationem J. C.* et cum Thessalonicenses laudat quia Evangelium receperunt *non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei*[54]; expressis autem verbis docet JOAN., cum ait : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*[55]. — **Patres** non secus a Scriptura docent *a)* fidem esse de non visis[56], eâque *b)* nos credere Deo[57] ob ejus sublimem attestationem[58], dignitatem[59] et auctoritatem[60], « tot ac tantis ab eo pignoribus acceptis »[61]; *c)* unde judicant infidelem, qui non « credit esse vera quae promittit Deus, qui verax est »[62]. — **Ratio.** Nam fides divina in generica sua ratione convenire debet cum fide humana, ex qua nomen accepit : atqui fides humana est assensus mentis praestitus loquenti ob ejus auctoritatem[63] : ergo « in fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil aliud est quam *veritas prima*. Non enim fides... assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinae fides innititur tamquam medio »[64].

---

[52] Joan. **3.** 11.

[53] Joan. **3.** 33. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum : quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* 1 Joan. **5.** 10.

[54] Gal. **1.** 11 sqq.; 1 Thess. **2.** 13.

[55] 1 Joan. **5.** 9; Hebr. **1.** 1-2; 2 Petr. **1.** 19; 1 Joan. **5.** 6.

[56] « Quid est fides, nisi credere quod non vides? ». AUG. in *Joan.* tr. 40 n. 9; tr. 79 n. 1; AMBR. *De exc. frat.*, II, n. 89; GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 8.

[57] « Cui magis de Deo quam Deo credam? » AMBR. *epist.*, II, c. 12 n. 7; in *Luc.*, IV, n. 71; AUG. *De Spir. et Litt.* c. 32 n. 55.

[58] ATHAN. *Quod unus sit Christus.*

[59] CHRYS. in *Gen.* **15.** 6 hom. 39 n. 5.

[60] « Divinae auctoritati humana cedat infirmitas ». AUG. *De Trin.* I; LEO M. *De Nat.* serm. 7 c. 1.

[61] THEOPH. *ad Autolyc.*, I, n. 8.

[62] CYPR. *De mort.* c. 6.

[63] Ne confundas quaestionem scholasticam cum quaestione fidei : in quaestione fidei consideratur *objectum formale* per se inspectum, et sic generice fides humana et divina conveniunt, cum utraque innitatur auctoritati loquentis; in quaestione scholastica attenditur *modus* quo mens adhaeret objecto formali et sic fides divina et humana, juxta praedicta n. 472, differunt.

[64] S. THOM. 2-2 q. 1 a. 1.

480. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Scriptura fides est *fidelitas* seu constantia in servandis promissis [65], *certitudo* conscientiae [66] et *fiducia* [67]: non est ergo assensus praestitus revelationi ab auctoritatem Dei revelantis. **Resp.** Cum fidei nomen non effertur de assensu dato ob auctoritatem loquentis, improprie sumitur. Revera *fidelitas* dicitur fides *causative,* quatenus excitat fidem ejus cui aliquid promittitur, nos autem « de fide loquimur quam *adhibemus,* cum aliquid credimus, non quam damus cum aliquid pollicemur » [68]. In epist. *ad Rom.* **14.** 23 fides « significat quidem *firmam persuasionem,* qua non haesitantes judicamus nos hic et nunc licite agere » [69], sed hoc fit *synecdoche* nomen specificum sumendo generice de firmitate assensus, qui in fide theologica eminet. « Nomen *fiduciae* hoc principaliter significare videtur quod aliquis spem concipiat ex hoc quod credit verbis alicujus auxilium promittentis » [70]; unde vocatur fides *metonimice,* causa scil. sumpta pro effectu.

481. **Objic. 2.** Objectum formale movet potentiam ad actum: atqui auctoritas Dei revelantis non movet intellectum, qui potest dissentire: ergo. **Resp.** Intellectus necessario movetur ab objecto evidenti, sed sub influxu voluntatis potest determinari ad assentiendum objecto non evidenti, quemadmodum quotidiana docet experientia.

482. **Objic. 3.** Influxus voluntatis in assensum intellectus irrationalem reddit actum fidei, et inducit voluntarismum reprobatum in Modernistis: ergo nequit admitti. **Resp.** Influxus voluntatis irrationalem reddit actum intellectus si agitur de scientia, vel si voluntas caeco modo movet; sed in fide theologica non agitur de scientia, influxus autem voluntatis praesupponit notitiam motivorum, quae fidem reddunt credibilem et credendam. Porro toto coelo distat influxus voluntatis, de quo agimus, a voluntarismo modernistarum; in hoc enim voluntas non supponit notitiam objecti sed causat [71], in sententia a nobis proposita voluntas mere inclinat intellectum ad assentiendum revelationi jam cognitae: ibi motus voluntatis est necessarius [72] et determinatus ab exigentiis naturae; hic est liber et suadetur a motivis credibilitatis.

---

[65] Deut. **32**. 4; Matth. **25**. 21; Rom. **3**. 3-4; 1 Corinth. **4**. 2; 1 Tim. **5**. 12.

[66] Rom. **14**. 23.

[67] Matth. **9**. 22; Jac. **1**. 6.

[68] AUG. *De Spir. et Litt.* c. 31 n. 54.

[69] CORNELY *in Rom.* p. 726.

[70] S. THOM. 2-2 q. 129 a. 6.

[71] « Ciascuno di voi ha l'esperienza di ciò che egli è interiormente... *null'altro che volontà...,* e di agire come agiamo, vale a dire conoscendo l'oggetto della nostra azione ed il risultato che vogliamo ottenere (scil. cognitio non est ratio dirigens voluntatem, sed terminus seu effectus ejus) ». MURRI, *La vita relig.* Disc. 13 p. 122 sqq.; LE ROY, *Dogme et critique.*

[72] Nam confundunt voluntatem cum *sensu,* eamque saepe vocant *instinctum.* Cf. MURRI apud *Carbone* l. c. p. 95 sqq.

483. **Objic. 4.** « Evangelio non crederem, inquit AUG., nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas » [73]: ergo motivum fidei non est auctoritas Dei revelantis, sed Ecclesiae. **Resp.** AUG. non loquitur de formali objecto fidei, sed de medio, quo infallibiliter innotescit objectum materiale seu revelatio [74], loquitur scil. de his quae pertinent ad praeambula fidei. Quomodo vero sine circulo vitioso constet auctoritas Ecclesiae ex Scripturis historice inspectis et ex mirabili sua propagatione et conservatione, ostendimus in trac. *de Ecclesia* [75].

ART. 4 - DE OBJECTO MATERIALI FIDEI.

484. **De objecto materiali fidei distinctiones plurimae.** Objectum fidei distinguitur in objectum *quod* creditur et *de quo* creditur: hoc dicitur *objectum attributionis* et subdividitur in *principale* et *secundarium;* illud dicitur simpliciter objectum materiale fidei, et dividitur in articulos *fundamentales* et *non fundamentales,* necnon in veritates *explicite* et *implicite revelatas* [1]. OBJECTUM ATTRIBUTIONIS PRINCIPALE est Deus *principium et finis* [2] omnium, qui *universa propter semetipsum operatus est* [3], de quo Apostolus ait: *Accedentes ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [4]; unde AUG. dicebat quod « fidei unum et primum, ac maximum officium est, ut *in Deum* credatur » [5]. OBJECTUM ATTRIBUTIONIS SECUNDARIUM est Christus et anima nostra; de Christo enim *Scripturae omnes et prophetae testimonium perhibent* [6], utpote de quo *in capite libri scriptum est* [7]; unde dicebat TERTUL.: « Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur » [8]: de anima nostra Apostolus dicit quod *omnis Scriptura... utilis est... ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* [9] et Petr.: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* » [10]; unde « Scripturae sunt paedagogus docens homines salutaria » [11], « quae

---

[73] AUG. *De util. credendi* c. 17.

[74] Vol. 1 n. 348.

[75] Vol. 1 n. 165-6, 187.

[1] Veritatibus revelatis ea proxime accedunt quae sunt *cum revelatis connexae,* et subdividuntur in *facta* et *textus dogmaticos;* at hae veritates non sunt objectum fidei divinae, sed ecclesiasticae tantum, juxta praedicta. Vol. 1 n. 374 sqq.

[2] Apoc. **1.** 8.

[3] Prov. **16.** 4.

[4] Hebr. **11.** 6.

[5] AUG. *De Civ. Dei,* IV, c. 20.

[6] Joan. **5.** 39; Act. **10.** 43.

[7] Ps. **39.** 8.

[8] TERTULL. *C. Marc.,* III, c. 2; AUG. *C. Faust.,* XVI, c. 22.

[9] 2 Tim. **3.** 15 sqq.

[10] 1 Petr. **1.** 9; Luc. **1.** 77; Act. **13.** 26.

[11] CLEM. Alex. *Strom.* 1; TERTUL. *De cultu foem.* c. 2.

(enim) sacrae litterae proponunt credenda per fidem, tendunt ad salutis bonum; quippe ea sunt aut praecepta, aut monita, aut exempla salutaria, aut bonitas Dei et Christi, quam salutariter cognoscamus, diligamus, sequamur » [12]. — ARTICULI FUNDAMENTALES intelliguntur principaliores veritates ad quas ceterae referuntur, quaeque sunt explicite credendae, ut mysterium SS. Trinitatis, incarnationis Christi, etc.; NON FUNDAMENTALES ad priores coordinantur et sine illorum revelatione opus elevationis et redemptionis hominis consisteret, v. g. quod Christus sit natus Bethlehem, quod Petrus ter Christum negaverit, etc. Veritates EXPLICITE REVELATAE illae dicuntur quae clare et in terminis extant in deposito revelationis; IMPLICITE REVELATAE quae in illis continentur tamquam pars in toto, vel ex illorum collatione innotescunt, ita ut ratio eas non concludat additis principiis naturalibus, sed ex meliori consideratione et analysi ipsius veritatis revelatae vel, si agitur de veritate contenta in Scripturis, ex studio codicum originalium, ex contextu, ex parallelismo verbali et reali et his similibus, juxta ea quae in schola exegesis biblicae traduntur.

485. **An auctoritas Dei revelantis sit objectum materiale fidei.** Simpliciter loquendo debet affirmari, quia Deus revelavit suam existentiam, scientiam et veracitātem [13], sed si agitur de singulo actu fidei, discrepant auctores. Quidam affirmant, quia aestimant objectum *formale* pertinere simul ad *materiale;* unde cum ex auctoritate Dei credo *incarnationem,* dicunt me credere etiam *Deum esse,* esse *locutum* et esse *scientem et veracem,* non secus ac cum video corpus luminosum video lucem, qua percipitur [14]. Alii melius negant [15], quia si auctoritas Dei revelantis esset objectum *quod creditur,* credi deberet per se vel per ipsam auctoritatem Dei revelantis: atqui primum destruit actum fidei, qui est assensus praestitus ob auctoritatem loquentis; alterum inducit circulum vitiosum vel progressum in infinitum: ergo in actu fidei auctoritas Dei revelantis non est objectum materiale fidei, seu id *quod* creditur, sed objectum formale seu *quo* creditur.

486. **An veritates naturaliter evidentes credi possint.** Nullum dubium si veritates hujusmodi adhuc latent intellectum, quia ei nondum sufficienter propositae, vel quia in praesenti non occurrunt argumenta convincentia [16]; sed si agitur de veritatibus in praesenti

---

[12] C. MAZZELLA, n. 298.

[13] Cf. Hebr. **11**. 6; Joan. **3**. 11; 33; 1ª **5**. 10.

[14] SUAREZ, *De Fide* disp. 3 sect. 6-13; LUGO, *De Fide* disp. 1 sect. 6 n. 82; TEPE, III, n. 663.

[15] C. MAZZELLA, n. 773 sqq.; BILLOT, *th.* 16 p. 281 sqq.

[16] Hoc contingit de pluribus veritatibus respicientibus divinam immutabilitatem, aeternitatem, omnipotentiam etc.

evidentibus disputant auctores. THOMISTAE [17] negant, quia fides est argumentum *non apparentium;* quia in coelo mysteriorum visione fides evacuatur, quia Patres docent quod, « quae apparent, jam fidem non habent sed agnitionem » [18], et quia intellectus, qui evidentia quiescit, non potest fide in eodem objecto non quiescere [19]. Sed communior [20] sententia affirmat ne objectum fidei majus sit in simplici fideli quam in theologo, qui certe debet credere *unum esse Deum verum et vivum, creatorem ac Dominum coeli et terrae,* quod *Ecclesia catholica credit* et confitetur [21], et quia assensus fidei, utpote *firmior* quovis assensu scientiae, ab inferiori non debet evacuari. Nec obstat coelesti visione fidem cessare, etenim « fides et visio patriae sunt *de eodem* et *secundum* idem medium (seu motivum), quia fides assentit veritati primae propter se et similiter visio gloriae » [22]; scientia et fides e contra sunt secundum diversa motiva. Quod autem Billot adducit de *quiete animi,* aequivocatione laborat, siquidem fides excludit quietem animi in *assensu fidei,* sed non excludit quietem quae sit ex *scientia* concomitante.

487. **Errores — Veritas.** Objectum fidei corruperunt REFORMATORES quoad necessitatem salutis coarctantes ad *articulos fundamentales* [23]: eos imitati sunt MODERNISTAE fidem objectivam dicentes *practicas* [24] *experientias religiosas plebium* [25]. **Veritas** definita est in CONC. VATIC.: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et

---

[17] Apud *C. Mazzella,* n. 382; BILLOT, th. 11 p. 236 sqq.

[18] GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 8; ATHAN. *C. Apoll.,* II, n. 11; CHRYS. in *Hebr.* hom. 21 n. 2; AUG. in *Joan.* tr. 40 n. 9; *Enchir.* n. 2.

[19] BILLOT *th. 11* p. 240-1.

[20] Hanc tenent ALBERT. M., ALEX. HAL., BONAV., DURAND., ALTIS., VALENT., LUGO, SUAREZ, KILBER, etc. apud TEPE n. 708, qui eis adhaeret; C. MAZZELLA, n, 394 sqq.; HURTER, I, n. 615; PESCH, n. 402 sqq.; SCHIFFINI, *De Virt.* n. 78.

[21] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1 et 2.

[22] S. THOM. *III Dist.* 31 q. 2 a. 1 sol. 1 ad 4.

[23] JURIEU, *Le vrai système de l'Eglise,* etc. apud *C. Mazzella,* n. 538.

[24] « Oggetto (revelationis) non è stato tanto la conoscenza astratta della divinità, quanto l'istruzione pratica di venerare Dio e conformare alla norma suprema della sua volontà la nostra vita ». ANON. *Il Prog.* p. 43.

[25] Apud PIUM X Enc. *Pascendi;* Decr. *Lamentabili* prop. 21, 22, 26. MODERNISTAE in *Il Progr.* docent quod fides est « patrimonio dell'esperienza religiosa cattolica » (p. 11, 82, 84, 85 et passim), atque « preferiscono vedere ad ogni istante l'opera latente di uno spirito informatore, anzichè... ammettere una rivelazione subitanea delle verità del *Credo* » (p. 20, 79).

ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur »[26].

THES. 55. *Fide theologica omnia credenda sunt quae in thesauro revelationis continentur.*

488. Nam in **Scripturis** legimus: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ...qui non crediderit, condemnabitur*[27]: atqui *Evangelium* sensu scripturistico[28], a Christo ipso explicato[29], est complexus totius revelationis: ergo. Hinc APOSTOLUS de *Hymenaeo,* qui resurrectionem jam factam blaterabat, dixit circa fidem *naufragasse*[30], et generatim de *haeretico* ait quod *proprio judicio* est *condemnatus*[31]. — **Patres** de haereticis, qui unam doctrinam revelatam negabant, cum TERT. dicebant: « si haeretici sunt, christiani esse non possunt »[32]. CYPR. arguit ex *Scripturis;* siquidem in Evangelio Christus « omnes omnino haereticos, qui secum non essent et secum non colligentes gregem suum spargerent, adversarios suos esse ostendit, dicens: *Qui non est mecum contra me est* »[33]. AUG. *intrinsecam* rationem contra Manichaeos adducit dicens: « Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, *vobis potius quam Evangelio* creditis »[34]. GREG. Naz. doctrinam illustrat *exemplo:* « Nil, ait, periculosius his haereticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, tamquam veneni gutta veram illam ac simplicem fidem dominicam et exinde apostolicam traditionem inficiunt »[35]. « **Ratio est,** quia species cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti, qua sublata, species habitus remanere non potest »[36]: atqui formalis ratio fidei est auctoritas Dei revelantis quae aeque pro qualibet revelata veritate adest: ergo, negato assensu alicui veritati revelatae, destruitur fides.

---

[26] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3; TRID. sess. 6 cn. 14.

[27] Marc. **16**. 15-6.

[28] Evangelium juxta etymologiam et antiquiorem usum (Isai. **40**. 9; **61**. 1; Rom. **1**. 16; 1 Corinth. **15**. 1; Gal. **1**. 7; **2**. 7; Phil. **4**. 3; Col. **1**. 23; 1 Thess. **1**. 5; 2 Tim. **2**. 8, etc.) dicit *bonum nuntium* nostrae salutis. CORNELY, *Int. in Sacr.* Diss. VII, § 1 n. 1.

[29] *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Matth. **28**. 30.

[30] 1ª Tim. **1**. 19 coll. 2ª **2**. 18.

[31] Tit. **3**. 10-11.

[32] TERTUL. *De praescr.* c. 37; ATHAN. *C. Arian.* or. 1 n. 3; AMBR. in *Luc.*, VII, c. 101.

[33] CYPR. Epist. I, cp. 6 *ad Magnum.*

[34] AUG. *C. Faust.*, XVII, c. 3.

[35] GREG. Naz. *De fide* sub init.

[36] S. THOM. 2-2 q. 5 a. 3.

489. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Sunt plures revelationes privatae quas credere non tenemur : ergo non omnes veritates revelatae sunt fidei objectum. **Resp.** Ut revelatio credi possit, debet proponi : hoc autem factum quidem est de revelatione catholica tradita Ecclesiae, quae illam ut verbum Dei nobis exhibet, sed non fit de revelationibus privatis, juxta praedicta in tr. *De Fontibus revelationis* [37].

490. **Objic. 2.** Finis fidei, ut docet PETRUS, est *salus animarum* [38] : quae ergo ad salutem animarum non pertinent, non sunt objectum fidei : atqui plura sunt revelata quae ad animarum salutem non ordinantur, siquidem pertinent ad historiam et scientias naturales : ergo. **Resp.** Ad salutem animarum indirecte possunt pertinere ea quae supernaturalium expositionem juvant, vel quae ostendunt divinam sapientiam, potentiam et bonitatem [39], hujusmodi autem sunt plures veritates ordinis naturalis.

491. **Objic. 3.** Diversitas objectorum diversitatem actuum debet inducere; non aeque ergo credenda sunt quae directe ordinantur ad salutem, et alia quae indirecte tantum ad illam pertinent. **Resp.** Diversitas actuum non petitur ab objecto materiali sed a formali; quia ergo omnia revelata pari ratione pertinent ab objectum formale fidei, pariter sunt credenda : diversitas non respicit onus credendi, sed modum proponendi. Quia scil. error materialis circa veritates directe respicientes salutem animarum corrumperet cultum Dei et exercitium virtutum, averteretque a consecutione ultimi finis, divina providentia diligenter curat ut haec *terminis propriis* manifestentur [40], *recte percipiantur* a saniori Ecclesiae parte et *incorruptae* servetur in Scriptura et Traditione : quia e contra error in ceteris, quae veluti per accidens spectant ad revelationis thesaurum, prava consectaria non habet, et sola extraordinaria providentia innumerisque miraculis posset impediri, Deus non prohibet quominus veritates hujusmodi vocabulis haud scientificis proponantur [41], a Patribus saepe praepostere intelligantur [42], et amanuensium incuria vel oscitantia corrumpantur [43].

---

[37] Vol. 1 n. 492.

[38] 1 Petr. 1. 9.

[39] Vol. 1 n. 545.

[40] Metaphorae faciles et obviae profecto non repugnant.

[41] Cum spectantia ad scientias physicas proponantur prout sensibus percipiuntur, cavendum est ne hypotheses scientificas pro revelatione obtrudantur. CORNELY, *Intr. in Sacr. S.* Diss. 3 § 6 n. 2; BILLOT, th. 10 § 3 p. 231.

[42] Non tamen proponendo quasi *dogmata*, sed uti *scientificas* expositiones.

[43] Hinc authentia *Vulgatae* communiter explicatur de his quae *ad fidem et mores pertinent.* CORNELY, *l. c.* Diss. 2, § 18, n. 3.

492. **Objic. 4.** Repugnat aliquem damnari quia credere noluit quod canis Tobiae praecurrerit et, quasi nuntius adveniens, blandimento suae caudae gavisus sit [44]: ergo etiam in fide datur parvitas materiae, nec omnia revelata de necessitate salutis sunt credenda. **Resp.** Gravitas culpae non pensatur ex objecto materiali, sed ex formali; unde negare doctrinam quamlibet revelatam, est negare auctoritatem Dei. Profecto si Jacob dicebat *qui offendit in uno, reus est omnium* [45], quia scil. spernit legislatorem a quo universa lex est data; a fortiori qui negat unam veritatem revelatam. negat omnes, siquidem non agnoscit auctoritatem Dei revelantis, a quo universa fides pendet.

ART. 5 - DE PROPRIETATIBUS FIDEI.

493. **Quae fidei proprietates.** Nomine proprietatum veniunt qualitates essentiam tam proxime sequentes, ut sine illis non consistat: sex autem in fide solent assignari; scil. quod sit *necessaria, vera, firmissima, obscura* et *libera.*

494. **Errores — Veritas.** *Necessitatem* fidei negaverunt PELAGIUS, ZWINGLIUS et RATIONALISTAE [1], essentialem *veritatem* ejusque *immutabilitatem* impugnarunt MODERNISTAE [2], *firmitatem* non agnovit DURANDUS [3], *obscuritatem* corruperunt RATIONALISTAE confundentes cum ignorantia [4], *libertatem* non agnoverunt FATALISTAE et MODERNISTAE [5]. — **Veritas.** *Necessitas* fidei, jam definita in CONC. ARAUS. et TRID., est proposita in VATIC.: « Sine fide impossibile est placere Deo... ideo nemini umquam sine illa contingit justificatio » [6]: *absoluta veritas* docetur a CONC. TRID. affirmante certi-

---

[44] Tob. **11.** 9.

[45] Jac. **2.** 10.

[1] Apud *C. Mazzella,* n. 857.

[2] TYRRELL, *Litt. confident. ad magist. anthrop.* dicit *symbolum* fidei « *errare* procul dubio tum propter excessum, tum propter defectum et fallere; ibi veritas aeque reperitur ac error » (Cf. vol. 1, n. 553): quoad *immutabilitatem* vide quae diximus de evolutionismo fidei *l. c.* n. 497: certitudinem vero fidei Modernistas *postponere scientiae,* vel inde patet quod docent posse historice statui quae fidei pugnant. DECR. *Lamen.* pr. 23-4.

[3] Apud *Hergenr.* V, p. 70. *NB.* Post KILBER, TANQUEREY, *De Fide,* n. 123 excipit certitudinem *metaphysicam;* sed confundit *firmitatem* assensus praesentis cum *immutabilitate* respectu futuri.

[4] Hinc BAYLE et LEIBNITZ (apud C. MAZZELLA, *De Relig.* n. 113), dicebant esse *contra* rationem quae sunt *supra* eam.

[5] De FATALISTIS, vol. 2, n. 462, de MODERNISTIS, supra n. 287.

[6] CONC. VATIC. *Dei Filius,* cp. 3.

tudini fidei « non posse subesse falsum » [7] : *immutabilitas* est definita in CONC. VATIC. : « S. q. d. fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia ; a. s. » [8] *firmitas* assensus proponitur a CON. VATIC. docente quod « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur » [9] : *obscuritas* definitur a CONC. VATIC. cum inter objecta fidei connumerat mysteria : « S. q. d. in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri... a. s. » [10] : de *libertate* post CONC. TRID. legimus in VATIC. : « S. q. d. assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci... a. s. » [11].

THES. 56. *Assensus fidei est* — 1 *de necessitate salutis*, — 2 *essentialiter verus*, — 3 *immutabilis et* — 4 *firmissimus*, — 5 *obscurus, et* — 6 *liber.*

495. **Prima pars.** *Fides ad salutem est necessaria.* Nam **Scriptura** docet quod *qui non crediderit condemnabitur* [12], et *sine fide impossibile est placere Deo* [13]. — **Patres** profitentur cum FULG. quod sine fide « nulla potest prodesse, imo nec esse, conversio..., sine fide omnis labor hominis vacuus est » [14]. Rationem vero tantae necessitatis inde desumunt quod fides est salutis *initium* [15], scil. « *prima* (gratia, quae) datur, unde impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur » [16], illud unde *incipit* omne meritum » [17]. IREN. rem illustrat exemplo. Sicut, inquit, oleaster non insertus in bonam olivam manet infructuosus, « sic et homo non assumens per fidem spiritus insertionem perseverat quod erat ante » [18]. — **Ratio** est quia « nil volitum, quin praecognitum » : non potest ergo homo tendere in vitam aeternam, nisi ea cognoscat quae ducunt in vitam aeternam : atqui haec sola fide attinguntur, siquidem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* [19] : ergo.

---

[7] CONC. TRID. sess. 6, cp. 9.
[8] CONC. VATIC. *Dei Filius*, § 4, cn. 3.
[9] CONC. VATIC. *l. c.* cp. 3.
[10] CONC. VATIC. *l. c.* § 4, cn. 1.
[11] CONC. TRID. sess. 6, cp. 6 ; cn. 4 ; VATIC. § 3, cn. 5.
[12] Marc. **16**. 16.
[13] Hebr. **11**. 6.
[14] FULG. *De Fide ad Petr.* n. 1.
[15] FULG. *l. c.* ; supra n. 455.
[16] AUG. *De Praed. Sanct.* c. 7.
[17] AUG. *De grat. Chr.* c. 32.
[18] IREN. *Adv. haer.* V, c. 10, n. 2.
[19] 1 Corinth. **2**. 9.

496. **Secunda pars.** *Assensus fidei est essentialiter verus.* Nam error vel esset ex parte Dei nescientis aut decipientis, vel ex parte hominis assensum praebentis existimatae revelationi: atqui non *ex parte Dei,* qui est omniscius [20] et summe verax [21], unde « absurdum est Deum in suis verbis mentiri » [22], quippe « si mentiri posset, si fallere, si falli..., non esset omnipotens » [23]: non *ex parte hominis* quia, inculpabili ignorantiâ assentiens errori quasi dogmati, habet meritum ex pio credulitatis affectu [24], sed non elicit actum fidei: quia ergo « ratio formalis objecti fidei est veritas prima: nihil potest cadere sub fide nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest, sicut nec *non ens* sub ente, nec *malum* sub bonitate » [25].

497. **Tertia pars.** *Assensus fidei est immutabilis.* Nam mutatio vel contingeret ex parte objecti quod processu temporis evolutione aliter se haberet, vel ex parte habitus fidei qui, etiam negata aliqua veritate revelata, consisteret: atqui primum repugnat, quia *veritas Domini manet in aeternum* [26]; unde Paulus dicebat quod *non est aliud Evangelium... sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* [27]: alterum vero nequit admitti, quia fide omnes veritates revelatae sunt credendae [28]: ergo [29].

498. **Quarta pars.** *Fidei assensus firmitate adhaesionis alios omnes praecellit.* Nam firmitas actus proportionatur principio eli-

---

[20] Vol. 2, n. 160 sqq.

[21] Num. **23**. 19; Joan. **3**. 33; Rom. **3**. 4; Hebr. **6**. 17-8; 1 Joan **2**. 21.

[22] ATHAN. *De Inc. Verb.;* DIONYS. *De divin. nom.* c. 7; ANSEL. *Cur Deus homo,* 1 c. 12.

[23] AUG. *De Symb.* I; CHRYS. in *Symb.* hom. 1.

[24] PESCH, n. 363.

[25] S. THOM. 2-2 q. 1 a. 3.

[26] Ps. **116**. 2.

[27] Gal. **1**. 7-8.

[28] Supra n. 488.

[29] Assensus fidei non tantum est immutabilis *in se,* sed etiam *in subjecto,* quatenus inculpabiliter ab eo recedere ex animo (seu formaliter) nequimus. Ratio est quia Spiritus S. « eos quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi ». CONC. VATIC. *Dei Filius,* cp. 3; § 3, cn. 6.

cienti et objecto formali : atqui actus fidei elicitur gratia quae vires efficacissimas addit naturali virtuti, et innititur primae veritati quae est radix omnis veri : ergo. Hinc CLEM. Alex. dicebat quod « est fides praestantior scientia et ejus criterium »[30]; BASIL. vero et AUG. volebant quamlibet naturalem rationem, utcumque acutam, cedere fidei, quia quisque « nosse debet Domini verba fide esse digniora quam suam ipsius persuasionem »[31].

499. **Quinta pars.** *Assensus fidei est obscurus.* Nam in **Scripturis** inter objecta fidei recensentur *mysteria quae abscondita sunt*[32], et fides dicitur *argumentum non apparentium*[33], qua scil. « per auctoritatem divinam convincitur intellectus ad assentiendum his quae non videt »[34]. **Patres** ajunt : « Quid est fides, nisi credere quod non vides »[35]; « neque enim fides evidenter apparens fides dici poterit »[36]; et fides « non habet meritum si humana ratio praebet experimentum »[37]. **Ratio** est manifesta, siquidem fides non habet pro objecto formali evidentiam rei creditae, sed auctoritatem Dei revelantis, quae *in se* non videtur.

500. **Sexta pars.** *Fidei assensus est liber.* Nam **Scripturae** non solum enarrant quod, Paulo praedicante, *quidam irridebant... quidam vero viri, adhaerentis ei, crediderunt*[38], sed credere ponunt in libertate hominis, ut patet ex verbis missionis apostolorum : *Euntes praedicate...: qui crediderit..., qui non crediderit*[39]; unde et praemium promittunt credentibus et poenam comminantur non credentibus, secundum illud : *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam — Nunc* (quia credere noluerunt) *excusationem non habent de peccato suo*[40]. — **Patres** cum IREN. docent quod « non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus »[41]. Hinc AUG. : « Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accipere sacramentum

---

[30] CLEM. Alex. *Strom.* II, n. 4.

[31] BASIL. *Moral. regul.* 8; AUG. *epist.* 143, n. 7; S. THOM. *De Verit.* q. 14 a. 1 ad 7; C. MAZZELLA, n. 610; PESCH, n. 365 sqq.

[32] 1 Corinth. **2**. 7.

[33] Hebr. **11**. 1.

[34] S. THOM. in *h. l.* lect. 1.

[35] AUG. in *Joan.* tr. 40, n. 9; IREN. *Adv. haer.* II, c. 45; HIL. *De Trin.* VIII; BERNARD. *De Cons.* V, c. 6.

[36] ATHAN. *C. Apol.* II, c. 11.

[37] GREG. *M. in Evang.* hom. 26, n. 1.

[38] Act. **17**. 32-4.

[39] Marc. **16**. 16.

[40] Rom. **4**. 3. — Joan. **15**. 22.

[41] IREN. *Adv. haer.* IV, c. 62; CLEM. Alex. *Strom.* V, c. 1; ORIG. hom. 2 in *divers. S. Script.*

potest nolens, credere non potest nisi volens »[42]. — **Ratio** sumitur ex praedictis. Cum enim intellectus necessario non moveatur nisi ab evidentia, et objectum fidei sit obscurum, assensus fidei sequitur determinationem voluntatis : atqui voluntas est potentia libera quae assensum potest determinare vel non determinare : ergo assensus fidei est liber.

501. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** « Pura illa divinae veritatis lux, qua ducimur, haud pertingere ad nos aliter queit, quam per turbidum vitrum colore expressum symboli ejusdem »[43] : ergo in objecto fidei ex debilitate nostrae mentis errores esse queunt. **Resp.** Modernistae hic, uti saepius, obliviscuntur omnipotentiae et providentiae Dei, cujus est non solum recta loqui, sed facere ut ejus dicta recte percipiantur et integre serventur[44].

502. **Objic. 2.** Veritas suâ naturâ est mutabilis, utpote quae in subjecto viventi vivit : ergo etiam fides processu temporum mutari debet. **Resp.** Quam stulte veritas vivere dicatur, diximus in tr. *de Fontibus revelationis*[45].

503. **Objic. 3.** Licet objectum formale fidei sit ipsa veritas; haec tamen non innotescit nisi motivis credibilitatis : atqui motiva credibilitatis minus certa sunt, quam veritates ordinis physici et metaphysici : ergo. **Resp.** Motiva credibilitatis non pertinent ad objectum formale fidei[46], sed sunt praeambula et conditiones, quibus positis, mens immediate adhaeret auctoritati Dei revelantis[47] : firmitas ergo fidei non ex certitudine motivorum, sed ex dignitate Dei revelantis metiri debet.

504. **Objic. 4.** Quo firmior est assensus, eo etiam est irremovibilior : atqui facilius quis recedit ab assensu fidei, quam ab assensu scientiae : ergo. **Resp.** *Dist. maj.* ceteris paribus *conc.*, secus *nego.* Non est paritas inter assensum fidei et scientiae : in *scientia* adhaesio mentis determinatur ab objecto quod, si evidenter apparet, contrarias cogitationes excludit; in *fide* assensus movetur ab extrinseco, et ideo objectum, manens obscurum, contrarias opiniones admittit, et sic occasiones praebet recedendi ab assensu qui, sicut fuit liber in *fieri*, ut ut firmissimus, et in *conservari* liber manet.

---

[42] AUG. in *Joan.* tr. 26, n. 2; *De Praed. Sanct.* c. 5, n. 10.

[43] TYRRELL, *Epist. confident. ad mag. anthr.*

[44] Vol. 1, n. 75.

[45] Vol. 1, n. 502.

[46] Motiva credibilitatis cum motivo fidei confundens, HERMES habebat fidem pro conclusione rationis. *Hergenr.* VII, 547.

[47] Supra n. 479.

ART. 6 - DE MUNERE RATIONIS IN RE FIDEI.

505. **Quaestionis ratio.** Consideravimus actum fidei in se ipso : manet ut dicamus de via qua ad fidem amplectendam procedimus, et de mediis quibus ipsa servatur, scil. de praeambulis et propugnaculis fidei ; haec autem revocantur ad medium externum et authenticum quod est *Ecclesia,* et ad intrinsecum seu privatum quod est *ratio.* De munere Ecclesiae sufficienter diximus in tr. *de Ecclesia,* cum ostendimus eam esse *medium ordinarium* quo fides innotescit, *organum authenticum* quo proponitur, *magisterium infallibile* quo a falsis doctrinis defenditur ; manet ergo ut de habitu inter fidem et rationem breviter disseramus.

506. **Quae fidei praeambula.** Assensus fidei ut vidimus, elicitur ab intellectu sub imperio voluntatis : id quo intellectus disponitur ad credendum, et quo voluntas inclinatur ad assensum praecipiendum, constituunt praeambula fidei quae audiunt judicium *credibilitatis* et judicium *credenditatis.* Judicium CREDIBILITATIS respicit intellectum, et absolvitur cognitionibus existentiae, scientiae et veracitatis Dei revelantis, necnon secutae revelationis quibus fidei objectum integratur et intellectui proponitur. Judicium CREDENDITATIS respicit voluntatem et est judicium practicum de morali necessitate fidei, quod scil. Deo loquenti debetur assensus mentis tum propter summam ejus bonitatem, tum propter accepta beneficia, tum propter comminationem poenarum quae assensum renuenti imminent.

507. **Quomodo haec fidei praeambula innotescat.** Ut vidimus in tr. *De Deo* [1] duplex datur demonstratio : altera *vulgaris* seu relativa, *philosophica* altera seu absoluta : illa omnibus est facilis, haec difficilior sed magis convincens. *Demonstratio vulgaris,* etsi multipliciter contingere possit, ordinarie procedit ex auctoritate humana ; etenim « regula prudentiae fert ut in iis necessariis, quae per nosmetipsos videre non valemus, stemus auctoritati eorum quos naturalis rerum cursus eruditiores assignavit, modo scil. nihil in contrarium occurrat quod ab eorum ductu conscientiam revocet. Et hinc est quod pueri etiam et rudes prudenter credunt fide humana ea, quae de historia revelationis a parentibus vel parocho aliisve magistris accipiunt, et sic judicium pro suo captu suaque conditione certum sibi efformant, quod christiana doctrina sit, tamquam a Deo orta, credibilis et credenda » [2]. *Demonstratio philosophica* petitur ex prophetiis et miraculis ordinis

[1] Vol. 2, n. 44.

[2] BILLOT, *th. 17,* p. 301.

physici et moralis, necnon ex mundi visibilis existentia, collata cum quibusdam principiis primis per se evidentibus. Ex his, ut vidimus in trac. de *Deo uno* [3], apodictice probatur existentia Dei sub rationibus primi motoris et causae universalis, necnon entis necessarii et perfectissimi, ex quibus concluditur infinita Dei sapientia et veracitas; ex illis, ut ostendimus in trac. de *Religione et Ecclesia* [4], probatur existentia revelationis et Ecclesiae divinitas. Quod autem non tantum sit *possibile* credere Deo, sed etiam *debitum*, sequitur imprimus ex notitia revelationis; per se enim patet quod debet audiri qui *prior dilexit nos* [5] et *pretiosa promissa donavit* [6], condemnationemque comminatus est non credentibus Evangelium [7]. Idem evincitur ex principiis rationis; siquidem recta ratio docet Deum loqui ut audiatur, praecepta vero Dei esse implenda amore bonitatis ejus et timore suae justitiae.

508. **Errores — Veritas.** *Necessitatem* vel saltem *certitudinem credibilitatis* fidei impugnarunt MODERNISTAE dicentes « assensum fidei ultimo inniti in congerie probabilitatum » [8]: *oppositionem inter rationem et fidem* passim blaterant TRADITIONALISTAE et RATIONALISTAE [9]: *independentiam rationis a fide* saepe docent SEMIRATIONALISTAE et MODERNISTAE [10]. **Veritas.** *Certitudinem motivorum* fidei est definita in CONC. VATIC. « S. q. d. revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse... aut miracula certo cognosci non posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; a. s. » [11]: *necessitatem* hujus judicii constat ex PIO IX docente quod « humana ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut *certo* sibi constet Deum esse loquutum » [12]: rationem *non repugnare* fidei definivit CONC. VAT.: « Etsi fides sit supra

---

[3] Vol. 2, n. 49 sqq., 155 sqq., 195.

[4] Vol. 1, n 146 sqq.

[5] 1 Joan. **4**. 10.

[6] 2 Petr. **1**. 4.

[7] Marc. **16**. 16.

[8] DECR. *Lamentabili*, pr. 25; SCHILLER, *Fede, ragione, relig.*

[9] NEOPERIPATETICI, saec. 15 et 16, BAYLE, LEIBNITZ. Accesserunt LUTHER., KEMNIT. aliique apud *C. Mazzella*, n. 1059; TRADITIONALISTAE apud *Hergenr.* VII, p. 547; MODERNISTAE in *Decr. Lament.* pr. 3, 23, 24.

[10] ABELARDUS (apud *Hergenr.* IV, p. 202); HERMES, *Method. praemis. posit intr. in chr. theol.*, FROHSCHAMMER, *De Lib. scient.* p. 30; BALTZER, BRAUN, ACHTERFELD (apud *Hergenr.* VII, p. 547-8, 763); LIBERALES apud *Syll. Pii IX*, pr. 8-14; E. FRONSINI in *Coenob.*; MURRI, *La vita relig.* Disc. 11, p. 106; ANON. in *Il Prog.* p. 64, 95, 121, 132 et passim.

[11] CONC. VATIC. *Del Filius*, § 3, cn. 3, 4.

[12] PIUS IX, Enc. *Qui pluribus;* INNOC. XI, *Decr. 2 Mart. 1679*, pr. 21.

rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest »[13]: *independentiam* tandem rationis a fide pluries est proscripta a RR. PP. et iterum damnata in CONC. VATIC.: « S. q. d. disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; a. s. »[14].

THES. 57. *Judicium de credibilitate et credenditate fidei, quod — 1 ejus assensum debet praecedere, — 2 certum esse necesse est.*

509. **Prima pars.** *Judicium credibilitatis et credentitatis fidei ejus assensum praecedere debet.* « Quis enim, inquit AUG., non videat prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid nisi prius cogitaverit esse credendum »[15]. Profecto repugnat assensus fidei si objectum credendum, vel motivum ob quod credendum est ignoratur: atqui obiectum credendum continetur in *revelatione,* motivum est *auctoritas* Dei revelantis (existentia, scientia, veracitas et locutio Dei) ex quorum notitia integratur judicium credibilitatis fidei: ergo. — At solum judicium credibilitatis non sufficit; assensus enim fidei imperari debet a voluntate, quae movetur ab appetito boni et timore mali; oportet ergo ut judicio credibilitatis addantur motiva quae ostendunt assensum fidei esse bonum et debitum; atqui hoc praestatur a judicio credenditatis: ergo assensus fidei praesupponit etiam judicium de ejus credenditate.

510. **Secunda pars.** *Judicium credibilitatis et credenditatis certum esse debet.* Nam « voluntas fidem imperans debet esse prudens; secus nec esset honesta, nec supernaturalis, nec ullus certe teneretur fidem imprudenter imperare: atqui voluntas non prudenter imperaret fidem, si judicium praecedens de credibilitate non esset certum: ergo »[16]. Et sane assensus fidei non est quicumque, sed firmissimus; nec rei indifferentis, sed a quo pendet aeternitas: atqui in re magni momenti et immutabili ducimur certis doctrinis: ergo.

---

[13] CONC. VATIC. *l. c.* cp. 4.

[14] CONC. VATIC. § 4, cn. 2; § 3, cn. 1; GREG. XI, cont. *Raym. Lullum,* pr. 26, 27; GREG. XVI, Enc. 15 aug. 1832; PIUS IX, epist *ad ep. Monac.* 11 Dec. 1862; LEO XIII, Enc. 4 aug. 1879; PIUS X, Enc. *Pascendi;* Decr. *Lament.* pr. 5, 8, 24, etc.

[15] AUG. *De Praed. sanct.* c. 2, n. 5.

[16] C. MAZZELLA, n. 739.

THES. 58. 1 *Nulla datur veri nominis oppositio inter fidem et scientiam,* — 2 *quae non est independens a fide* — 3 *cui famulatur et a qua fovetur.*

511. **Prima pars.** *Nulla datur fidei et scientiae veri nominis oppositio.* Nam ratio et fides sunt a Deo : atqui *non... est dissentionis Deus sed pacis* [17] : ergo. « Principiorum, inquit S. THOM., naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, quum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium; non igitur a Deo esse potest. Ea igitur quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitione esse contraria » [18].

512. **Secunda pars.** *Scientia a fide non est independens sed ei subditur.* Nam Deus omnia *in mensura, et numero, et pondere disposuit* [19], scientia itaque et fides debent coordinari, ita ut inferior praestantiori subordinetur; multo magis quod, stante unitate potentiae, in qua subjectantur [20], et doctrinarum nexu [21], error unius alterius corruptionem inducere potest [22] : atqui fides praestat scientiae nobilitate objecti, siquidem patefacit quod *oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit* [23]; praestat puritate doctrinae, quia infallibili Ecclesiae magisterio incorrupta servatur; praestat firmitate assensus, quia primae veritati immediate innititur [24] : ergo scientia subditur fidei, in qua « nos..., fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cetera in saecularibus litteris » [25].

513. **Tertia pars.** *Scientia et fides sibi mutuo opitulantur.* Nam « in sacra doctrina, philosophia possumus tripliciter uti. Primo ad *demonstrandum* ea, quae sunt praeambula fidei, quae necessaria sunt in fidei scientia, ut ea quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse unum, et hujusmodi de Deo vel de creaturis..., quae fides supponit. Secundo ad *notificandum per aliquas*

---

[17] 1 Corinth. **14**. 33.

[18] S. THOM. *Cg.* I, c. 7.

[19] Sap. **11**. 21.

[20] Supra n. 476.

[21] Etiam GÜNTHER, *Symposion Peregrini*, p. 365, fatetur « nullam scientiam esse absolute ab omnibus aliis separatam, et propter hunc nexum organicum in unaquaque disciplina posse occurrere oppositionem contra objectum theologiae ».

[22] Cf. Vol. 1 n. 385.

[23] 1 Corinth. 2. 9.

[24] Supra n. 479.

[25] AUG. *De Civ. Dei*, XVIII, c. 40.

similitudines ea, quae sunt fidei, sicut AUG. in libris *De Trinitate* utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandam Trinitatem. Tertio ad *resistendum* his quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria »[26]. — Nec minora juvamina ex fide mutuatur philosophia, quae illius ope saepe *veritatis viam* detegit, *securius* in investigatione procedit et *ad profundiora* descendit. Profecto divinae revelationi « tribuendum est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint »[27]. Quot ethnicorum errores circa mundi originem, animae immortalitatem et divinam providentiam, fidei splendoribus profligati sunt! Nonne mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis Verbi, praesentiae Christi sub speciebus, philosophicas notiones de *natura* et *persona,* de *substantia* et *accidente* ad accuratiorem determinationem adduxerunt? Adde difficillimis inquisitionibus mentem valde exerceri et aciem suam exacuere. « Fides christiana, inquit LEO XIII, cum Dei auctoritati nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae conjungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit »[28].

514. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si ad assensum fidei requireretur judicium *certum* de credibilitate ejus, qui motivis non expensis credidit, ab assensu recedere deberet quousque de eorum firmitate certitudinem esset assecutus[29]: atqui hoc repugnat: ergo. **Resp.** *Neg. maj.;* nam ad credendum sufficit certitudo vulgaris, quae omnibus adest, siquidem Ecclesia tanta veritatis luce fulget, « ut ipsa veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute »[30].

---

[26] S. THOM. *Super Boët de Trin.* q. 2. a. 3.

[27] CONC. VATIC. *Dei Filius,* cp. 2.

[28] LEO XIII, Enc. *Aeter. Patris.*

[29] Sic arguit HERMES apud *C. Mazzella,* n. 1070.

[30] CONC. VATIC. *l. c.* cp. 3.

515. **Objic. 2.** In religione tenemur sequi tutiora: ergo probabiliori, et non tantum certae fidei, adhaerere debemus. **Resp.** Cum haeretico religio catholica apparet *probabilior* non eam debet statim amplecti, sed tenetur inquirere quousque moraliter certa appareat [31].

516. **Objic. 3.** Qui vel leviter scientificas conclusiones de mundi origine et aetate, de specierum efformatione, et de astrorum motu, pluresque philosophiae theses comparaverit cum doctrinis fidei et theologicis assertionibus, facile inveniet invicem pugnare: ergo ratio fidei contradicit. **Resp.** Contraditio est mere apparens; siquidem non est inter fidem et scientiam, sed inter utriusque *cognitionem nostram;* unde ad errorem nostrae mentis detegendum et amovendum procedere oportet. Qua in re « nil temere est affirmandum sed caute omnia tractanda... (nec) incognitum pro cognito asserendum » [32]; saepe enim quod *fidei* dicitur, est quorumdam theologorum sententia, saepius quae nomine *scientiae* obtruduntur, sunt errores cultorum ejus [33].

517. **Objic. 4.** Investigandi libertas summe juvat scientiarum progressum: atqui dependentia a fide coarctat libertatem investigandi: ergo nocet progressui scientiarum [34]. **Resp.** Etiamsi progressui scientiae obstaret ejus dependentia a fide, hujus praeeminentia non infirmaretur, siquidem damnum scientiae rependeretur majori bono; sed negandum est suppositum, siquidem fides coartat tantum libertatem *errandi,* quod summe juvat assecutionem veritatis, scientiarum omnium finis. Scientiae non magis obstat fides, quam nautae noceat pharus signans aditum porti.

518. **CONCLUSIO. Analysis actus fidei.** Cum quaeritur de modo quo ad actum fidei procedimus, distinguere debemus actus qui pertinent ad praeambula fidei ab iis quibus ipsa fides perficitur. Ad praeambula fidei pertinent actus, quibus via vulgari vel scientifica efformatur judicium speculativum et practicum credibilitatis et credentitatis revelationis: ad actum fidei pertinet assensus praestitus ob auctoritatem Dei revelantis, qui elicitive est ab intellectu, imperative a voluntate. In actu *elicito* ab intellectu non habemus pluralitatem actualem vel virtualem actuum, sed unum simplicem, quo mens immediate adhaeret auctoritati Dei revelantis uti objecto formali *quo* credit, et veritati revelatae uti objecto materiali *quod* credit: *imperium voluntatis,* est a libero arbitrio sub influxu judicii practici credenditatis aucto motione gratiae praevenientis (pii credulitatis affectus) et consequentis (gratiae efficacis), qua imperii

---

[31] Cf. C. MAZZELLA, n. 744.
[32] AUG. in *Gen.* op. imp. n. 29-30.
[33] Cf. Vol. 1 n. 552, 564 sqq.
[34] MODERNISTAE in Decr. *Lament.* pr. 57.

actus perficitur. Cetera quae a nonnullis congeruntur ad actum fidei in plures subalternos solvendos, ad minus inutilia sunt, ac tyronum mentes frustra vexant.

ART. 7 - DE SPE.

519. **Quid spes.** METAPHORICE spes dicitur de *bono* quod speramus [1], de *Deo* a quo speramus [2], et de *entibus irrationalibus* prout intrinsecum suae perfectionis principium habent [3]: ANALOGICE dicitur de *irascibili* prout ductu rationis vel instinctus movetur ad consecutionem rei arduae: PROPRIE est *motus voluntatis in bonum, futurum, arduum et possibile.* « Manifestum est, inquit, S. THOM., quod sperare importat motum quemdam appetitivae virtutis tendentis in bonum, non quidem jam habitum sicut gaudium et delectatio, sed tamquam assequendum, sicut etiam desiderium et cupiditas. Differt tamen spes a desiderio in duobus.Primo quidem, quia desiderium est communiter cujuscumque boni..., spes autem est boni ardui, quod difficile est assequi... Secundo quia desiderium est alicujus boni absolute... sed spes tendit in aliquod bonum sicut in id quod est possibile adipisci... Ergo sic in objecto spei quatuor considerantur. Primo quidem quod sit *bonum,* per quod differt a timore. Secundo quod sit boni *futuri,* per quod differt a gaudio vel delectatione. Tertio quod sit boni *ardui,* per quod differt a desiderio. Quarto quod sit boni *possibilis,* per quod differt a desperatione » [4].

520. **In quo differat spes naturalis a theologica.** In SPE NATURALI objectum *appetibile* innotescit lumine rationis, *possibilitas* assequendi radicatur in virtute agentis, *arduitas* est relativa ad gradum virtutis et ad difficultates quae opponuntur: in SPE THEOLOGICA *objectum* est a fide, quae est « substantia sperandarum rerum » [5], *possibilitas* est ab auxilio Dei, *arduitas* est absoluta, quae scil. respectu virium naturalium attingit veram impossibilitatem physicam vel moralem [6].

521. **Quae observanda in objecto spei.** *Deum* prout est *nobis bonum* esse OBJECTUM FORMALE fidei omnes dicunt; quomodo vero hoc

---

[1] Tit. **2**. 13.
[2] Ps. **70**. 5.
[3] Job. **14**. 7.
[4] S. THOM. *De Spe* a. 1.
[5] Hebr. **11**. 1.
[6] *Physica* si agitur de opere salutari, *moralis* si de servanda lege naturali.

contingat non conveniunt. SUAREZ constituit in Dei bonitate relativa [7], VASQUEZ in auxilio Dei [8], communius [9] in utroque, siquidem, ut ait S. THOM., « spes facit tendere in Deum sicut in bonum quoddam finale adipiscendum, et sicut in quoddam adjutorium efficax ad subveniendum » [10]. His autem integratur objectum formale, siquidem nec *arduitas* [11] objecti materialis, nec *merita nostra* ad illud pertinent. Profecto objectum formale est ratio quae *movet* ad actum, *arduitas* retrahit opponens difficultates quae assecutioni rei desideratae obstant [12]: *merita* autem sunt dispositiones ad gloriam, unde reducuntur ad causam *materialem* omnino remotam a ratione objecti formalis, et absunt a peccatore, qui tamen spe non privatur [13]. In OBJECTO MATERIALI distinguendum est objectum principale a secundario: illud constituitur bono supremo, cujus possessione omne desiderium expletur; hoc resultat ex bonis inferioris ordinis quibus felicitatis status initiatur et possessio boni principalis paratur. *Objectum principale* spei est possessio Dei [14], ad *objectum secundarium* non solum pertinent bona spiritualia, ut gratiae et merita, sed etiam temporalia, imo utilitates aliorum. Etiam *bona temporalia* esse objectum spei inde constat quod « quaecumque bona non debemus petere nisi in ordine ad beatitudinem aeternam. Unde et spes principaliter quidem respicit beatitudinem aeternam; alia vero, quae petuntur a Deo, respicit secundario in ordine ad beatitudinem » [15]. *Aliis* quoque nos posse *bona sperare,* inde patet quod amore bonum aliorum fit nostrum. « Spes, inquit, S. THOM., directe respicit proprium bonum, non autem quod ad alium pertinet. Sed praesupposita unione amoris ad alterum, jam aliquis potest sperare et desiderare aliquid alteri sicut sibi, et secundum hoc aliquis potest sperare alteri vitam aeternam (ceteraque bona), in quantum est ei unitus per amorem » [16].

522. **Errores — Veritas.** *Spem* distinctam a fiducia non agnoverunt REFORMATORES, qui cum BAJO, JANSENIO aliisque *honestatem* amoris concupiscentiae, cui innititur, negaverunt: *necessitatem* spei impugnarunt QUIETISTAE perfectionem hominis consti-

---

[7] SUAREZ, *De Spe.* Disp. 1 sect. 3 n. 3; SYLV. in 2-2 q. 17 a. 4 ad 2.

[8] VASQUEZ, tom. 2 disp. 30; GONET, disp. 9 a. 3 et thomistae generatim.

[9] C. MAZZELLA, n. 1130 sqq.; PESCH n. 492 sqq.; BILLOT, *th.* 26 p. 353 sqq.; TEPE, n. 763.

[10] S. THOM. 2-2 q. 17 a. 6 ad 3.

[11] Objectum formale dixerunt *arduitatem* RICARD. et BONAV. apud *Tournely,* Theol. Mor., III, c. 1 a. 2 sect. 2.

[12] S. THOM. 1-2 q. 23 a. 2; q. 25 a. 3 ad 2; C. MAZZELLA, 1130; PESCH. n. 485.

[13] BILLOT, *th.* 26 p. 357.

[14] Disputant theologi an objectum formale spei sit *Deus,* vel potius *Dei possessio:* verius tenetur esse possessionem, Deum tamen connotantem. Cf. PESCH, n. 477.

[15] S. THOM. 2-2 q. 17 a. 2 ad 2.

[16] S. THOM. 2-2 q. 17 a. 3.

tuentes in indifferentia circa propriam beatitudinem : *certitudinem* spei *ex parte Dei* non agnoverunt (saltem implicite) REFORMATORES et JANSENIANI negantes universalitatem voluntatis salvificae et gratiam sufficientem : *certitudinem ex parte nostra* iterum blaterarunt REFORMATORES ex falsa doctrina de certitudine et inamissibilitate justitiae [17]. **Veritas.** *Honestas* spei colligitur ex CONC. TRID. quod eam enumerat inter virtutes infusas [18], et damnat impugnantes bonitatem operum ex ea procedentium : « S. q. d. justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur, a. s. » [19] : *necessitas* proponitur ab eodem CONC. cum describens justificationis modum, recenset spem, quae cum caritate infunditur [20] : *certitudo ex parte Dei* cum ait quod justi « in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere debent. Deus enim nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere » [21] : *incertitudo ex parte nostri* cum addit : « Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, et cum timore et tremore salutem suam operentur » [22].

THES. 59. *Objectum* FORMALE *spei constituitur* — 1 *bonitate Dei respectiva et* — 2 *ejus virtute auxiliatrice :* MATERIALE — 3 *principale est aeterna beatitudo quae consistit in possessione Dei,* — 4 *ad secundarium vero pertinent plurima bona maxime spiritualia.*

523. **Prima pars.** *Ad objectum formale spei pertinet bonitas Dei respectiva.* Nam spes est virtus theologica cujus proinde objectum formale est Deus, qui potest considerari ut *verum* et ut *bonum,* bonum autem ut *in se* et ut *nobis* [23] : atqui Deus uti *verus* attingitur fide, uti *bonum in se* diligitur caritate : ergo uti *bonum nobis* movet nostram spem quae, ut ait S. THOM., « facit tendere in Deum sicut in quoddam finale bonum adipiscendum » [24].

524. **Secunda pars.** *Formale objectum spei integratur Dei auxilio.* Nam spes non est solum de bono arduo, sed possibili : atqui solo divino auxilio possibile est consequi Deum, et ea habere,

---

[17] Cf. n. 443.

[18] CONC. TRID. sess. 6 cp. 7.

[19] CONC. TRID. sess. 6 cn. 31 ; cp. 11 ; *Prop.* 10 damn. ab ALEX. VIII, a. 1690.

[20] CONC. TRID. sess. 6 cp. 6 et 7 ; sess. 14 cp. 4.

[21] CONC. TRID. sess. 6 cp. 13.

[22] CONC. TRID. *l. c.*

[23] Cf. S. THOM. *Cg.* III, c. 63.

[24] S. THOM. 2-2 q. 17 a. 6 ad 3 ; cf. a. 5.

quae sunt media ad aeternam felicitatem : ergo. « Spes, inquit S. THOM., habet rationem virtutis ex hoc ipso, quod homo inhaeret auxilio divinae potestatis ad consequendam vitam aeternam. Si enim inniteretur humano auxilio, vel suo vel alterius ad consequendum perfectum bonum absque auxilio divino, hoc esset vitiosum... Igitur sicut per quoddam medium (homo) assentit his, quae creduntur... ita etiam formale objectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata » [25]. Hinc SCRIPTURAE constanter fundamentum spei in Domino constituunt [26], atque expresse revocant ejus auxilium et fidelitatem dicentes : *Deus adjutor meus et sperabo in eum* [27] ; et iterum : *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem : fidelis enim est qui repromisit* [28].

525. **Tertia pars.** *Principale objectum materiale spei est Deus supernaturali beatitudine possidendus.* Nam **Scripturae** Deum promittunt uti praemium : *Ego... merces tua magna nimis* [29]. — *Quid mihi est in coelo ? et a te quid volui super terram ?... Deus cordis mei, et pars mea in aeternum* [30]. Imo in possessione Dei reponunt ultimam nostram perfectionem, siquidem *cum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est* [31]. — **Patres** cum AUG. ajunt : « Magna felicitas !... Praemium Dei ipse Deus est... *Mihi adhaerere Deo bonum est.* Hoc est totum bonum » [32]. — **Ratio** est quia « oportet effectum esse causae proportionatum. Et ideo bonum, quod proprie et principaliter a Deo sperare debemus, est bonum infinitum quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis, nam infinitae virtutis est ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita aeterna, quae in fruitione ipsius Dei consistit » [33].

---

[25] S. THOM. *De Spe* q. 1 a. 1 ; 2-2 q. 17 a. 1 ; a. 2 ; a. 6 ad 3.

[26] *Beatus vir qui sperat in eo.* Ps. **33**. 9 ; **72**. 28 ; **77**. 7 ; **83**. 13 ; Prov. **16**. 20 ; 1 Corinth. **15**. 19 ; 2 Tim. **4**. 10 ; 1 Petr. **1**. 21, etc.

[27] Ps. **17**. 3 ; **61**. 7-9.

[28] Hebr. **10**. 23.

[29] Gen. **15**. 1. In vers. graec. et aliis pron. *ego* non conjungitur mercedi ; quia tamen solus Deus potest omne desiderium satiare, subintelligitur.

[30] Ps. **72**. 25-6.

[31] 1 Joan. **3**. 2-3 ; Isai. **61**. 10.

[32] AUG. Enar. in *Ps.* **72** n. 32 ; *in Ps.* **102**. n. 8 ; GREG. Nyss., HIER., AMBR. apud *Lorin.* in Ps. **72**. 26.

[33] S. THOM. 2-2 q. 17 a. 2.

526. **Quarta pars.** *Ad objectum secundarium spei pertinent alia bona maxime spiritualia.* Nam **Scriptura** suadet ut *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* [34]. **Patres** docent quod « nemo potest agere poenitentiam nisi speraverit indulgentiam » [35]; et quod « ea ad spem pertinent, quae oratione dominica continentur » [36], oratione autem dominica « imploramus primo adventum regni Dei, et deinde omnia quae vel per se vel per accidens ad hujusmodi finem nos ordinant » [37]. — **Ratio** est quia ad eamdem virtutem pertinent finis et media in illum ordinata, bona autem in genere et spiritualia in specie sunt media ad aeternam felicitatem consequendam.

THES. 60. *Quatuor sunt proprietates spei, scil.: — 1 honestas, — 2 necessitas, — 3 certitudo ex parte Dei, et — 4 incertitudo ex parte nostra.*

527. **Prima pars.** *Spes moraliter bona est aestimanda.* Nam **Scriptura** praemium promittit bene agentibus [38], et suadet ut intuitu praemii vitemus mala et operemur bona, secundum illud : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula* [39]. — **Ex Patribus** GREG. Nys. ait : « Nonnullis fit etiam salus per timorem, quando intuentes ad minas supplicii gehennae, separamur a malo. Sunt etiam aliqui qui propter spem mercedis repositam iis, qui pie vixerint, se recte et ex virtute gerunt, non caritate bonum possidentes, sed expectatione remunerationis » [40]. Et AUG. « Noli facere (opus bonum) nisi propter vitam aeternam. Ideo fac et securus facies; hoc enim mandavit Deus » [41]. — **Ratio** confirmat; nam spe obsequium praestamus Deo cui innititur spes nostra; amor vero concupiscentiae, qui est radix spei, est bonum, siquidem honestum est se ipsum ordinate diligere.

---

[34] Hebr. **4**. 16.

[35] AMBR. *De Poenit.* c. 1.

[36] AUG. *Enchir.* c. 114.

[37] BILLOT, *th.* 25 p. 352 ex S. THOM. 2-2 q. 83 a. 9.

[38] *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Apoc. **2**. 10; Rom. **8**. 18, etc.

[39] Luc. **16**. 9; Ps. **118**. 112; 1 Corinth. **9**. 25; Gal. **6**. 9; Colos. **3**. 23 sqq.; 1 Petr. **5**. 4.

[40] GREG. Nyss. *in Cant.* hom. 1.

[41] AUG. in *Ps.* **120**. n. 10; GREG. Naz. *Or.* 40 n. 13; BASIL. Prooem. *in Reg.* n. 3; GREG. M. *in Evang.* hom. 37.

528. **Secunda pars.** *Spes necessitate medii et praecepti requiritur ad salutem.* Nam **Scriptura** docet fidem esse *substantiam rerum sperandarum* [42]; fides ergo tendit in spem tamquam medium in finem, medium autem necessitate non praecellit finem suum. Hinc spem connumerat cum ceteris justorum actibus, dicens quod sicut justi esse debent *odientes malum, adhaerentes bono, caritate fraternitatis invicem diligentes... Domino servientes,* ita esse debent *spe gaudentes* [43]: imo spem praecipit [44] eique speciali modo tribuit salutem, secundum illud Apostoli: *Spe salvi facti sumus* [45]; *qui* enim *sperat in Domino, sanabitur* [46]. — **Ex Patribus** AUG. ait: « Ipsa spes peregrinationi *necessaria est*... Et spes, quae hic est, *ad justitiam pertinet* peregrinationis nostrae » [47]. CYPR. arguit ex oratione dominica; cum enim dicimus *adveniat regnum tuum,* « desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat atque ut in eo regnare mereamur » [48]. AMBR. derivat ex praecepto poenitentiae et studio virtutum; nam « nemo potest bene agere poenitentiam, nisi qui speravit indulgentiam » [49], « studia (vero) virtutum sine remuneratione tepescunt » [50]. — **Ratio** est quia datur praeceptum Deum orandi ad obtinendam gratiam: atqui oratio supponit spem obtinendi quod petimus [51]: ergo. Ceterum fides manifestat promissiones divinas et Dei bonitatem ac fidelitatem, caritas vero unionem cum Deo desiderat: atqui ex notitia promissionum et fidelitatis Dei connaturaliter exurgit spes obtinendi promissa, desiderium vero unionis supponit spem possidendi quem desideramus: ergo spes conjungitur fidei et caritati earum necessitatem mutuans.

529. **Tertia pars.** *Spes ex parte Dei est certissima.* **Ex Scripturis.** Nam *non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* [52]: atqui spes ex parte Dei fundatur in ejus

---

[42] Hebr. **11**. 1.

[43] Rom. **12**. 9; 1 Thess. **5**. 8; Tit. **2**. 11, etc.

[44] *Divitibus hujus saeculi praecipe non ...sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* 1 Tim. **6**. 17; 1 Petr. **1**. 13.

[45] Rom. **8**. 24; 1 Joan. **3**. 3.

[46] Prov. **28**. 25; Ps. **90**. 14.

[47] AUG. serm. 158 c. 8 n. 8; serm. 27 n. 1; *De catech. rud.* c. 4 n. 8; BERNARD. *De dilig. Deo* c. 14-5; *De Ann.* serm. 3 n. 3.

[48] CYPR. *De orat dom.*; AUG. serm. 57 de div.

[49] AMBR. *De Poenit.*, I, c. 1 n. 4.

[50] AMBR. in *Luc.*, V, c. 1.

[51] *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo,... in fide nil haesitans.* Jac. **1**. 5-6.

[52] Num. **23**. 19.

veracitate et immutabilitate : ergo. Hinc legimus quod *spes non confundit* [53], quod *nullus speravit in Domino et confusus est* [54]; Apostolus autem spem comparat *anchorae tutae et firmae* [55]. — **Ex Patribus** AUG. clamat : « Firmissime sperate quod non videtis; patienter expectate quod nondum habetis, quia veracem promissorem Christum fidelissime retinetis » [56]. CHRYS. vero commentans verba Apostoli, ait : « Anchoram non dixit absolute sed *firmam* et *stabilem,* ut ostendat securitatem eorum, qui ea fulciuntur ad salutem » [57]. — **Rationem** jam indicavimus : spes scil. innititur virtuti Dei auxiliatoris, quae indefectibilis est.

530. **Quarta pars.** *Spes ex parte nostra est incerta.* Nam spes futurae gloriae ex parte nostri fundatur in statu justitiae et in perseverantia : atqui utrumque est nobis incertum [58] : ergo ex parte nostri spes non est certa, sed qui se « existimant stare videant, ne cadant, et cum timore et tremore salutem suam operentur » [59]. « Quia, inquit AUG., non est in me firmitas mihi, nec est mihi spes de me... Ergo quoniam ad me conturbata est anima mea, quid restat nisi humilitas, ut de se ipsa anima non praesumat? » [60]. Et HIER. : « Ne beatum dixeris quempiam ante mortem; quamdiu vivimus in certamine sumus; quamdiu in certamine, nulla est certa victoria » [61].

ART. 8 - DE CARITATE.

531. **Quid caritas.** Etymologice *caritas* derivatur a *caro* seu pretioso, « eo quod sub inaestimabili pretio, quasi carissimam rem ponat amatum » [1]; unde significat speciem supremam amoris. Porro *amor* in sua generica ratione est motus facultatis appetitivae in bonum [2]; et dividitur in rationalem et irrationalem prout sequitur

---

[53] Rom. **5.** 5.

[54] Eccl. **2.** 11; Ps. **22.** 4; **24.** 2-3; **30.** 2; **124.** 1, etc.

[55] Hebr. **6.** 18-19.

[56] AUG. serm. 157 n. 6.

[57] CHRYS. in *Hebr.* hom. 11 n. 2; AUG. Enar. in *Ps.* **15** n. 3; in *Ps.* **91.** n. 2; BERNARD. in *Ps.* **90,** serm. 10 n. 5-6; S. THOM. 2-2 q. 18 a. 4.

[58] Supra n. 444 et 385.

[59] CONC. TRID. sess. 6 cp. 13.

[60] AUG. enar. in *Ps.* **41** n. 12.

[61] HIER. *C. Pelag.,* II; LEO. M. serm. 28 c. 3; BERNARD. in *Cant.* serm. 54 n. 9 sqq.; *De Sept.* serm. 1.

[1] S. THOM. *III Dist.* 27 q. 2 a. 1. Alii derivant a χάρις gratia (unde et scribitur charitas cum *h)* quia est quaedam *benevolentia.*

[2] S. THOM. 1-2 q. 26 a. 1.

cognitionem intellectivam vel sensitivam. Caritas, utpote suprema species amoris, sequitur cognitionem intellectivam et vocatur *dilectio,* quae « addit supra amorem electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat » [3]. Verum non omnis dilectio est caritas; amor enim electivus esse potest concupiscentiae et benevolentiae, prout ejus motivum est utilitas amantis vel bonitas quae in amato invenitur: atqui magis aestimatur amatum cum appetitur *propter se,* quam cum appetitur *ob utilitatem amantis:* ergo caritas, « quae addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur magni pretii aestimatur » [4], proprie est *amor benevolentiae,* quo amatum diligitur ob bonitatem ejus. Caritas ergo theologica est amor benevolentiae erga Deum, quo scil. *Deus super omnia propter se ipsum diligitur:* si hujusmodi amor respicit divinam bonitatem quae innotescit lumine rationis, caritas est naturalis, si consequitur cognitionem fidei est supernaturalis, et potest definiri: *virtus qua Deus super omnia propter seipsum diligitur ut finis ultimus supernaturalis in quem omnia ordinanda sunt.*

532. **De his quae caritatis habitui comitantur.** Sicut fides habet praeambula, et spes conditiones, ita caritas habet suum praerequisitum et corollarium: *praerequisitum* est conjunctio ad Deum, *corollarium* est possessio Dei [5]. Ad amorem praerequiritur *conjunctio cum Deo* quia, ut notat S. THOM., amor benevolentiae *ad alium,* imitatur amorem benevolentiae *ad se;* unde amans se habet ad amatum quasi ad seipsum, appetens amato quae appeteret sibi [6]; ut autem aliquis bonum alterius reputet quasi suum, ei debet conjungi; unde « dato per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi » [7]. Corollarium divini amoris est *desiderium possidendi* Deum [8]; amor enim benevolentiae est amor amicitiae, qui exigit redamationem et praesentiam amati. Licet ergo desiderium possidendi Deum in quantum est nostra felicitas non pertineat ad caritatem [9], ei tamen

---

[3] S. THOM. *l. c.* a. 3.

[4] S. THOM. *l. c.*

[5] Ne confundas hoc *corollarium* cum *objecto formali,* naturam enim caritatis corrumperes.

[6] S. THOM. *III Dist.* 27 q. 2 a. 1.

[7] S. THOM. 2-2 q. 26 a. 13 ad 3; 1 p. q. 60 a. 5 ad 2. Cf. BILLOT, p. 375 sqq.

[8] Falso supponitur fruitionem amati semper sequi commodum et utilitas amantis; mater enim filio infirmo vult adesse, licet inde poenarum satis perferat. PESCH, n. 544.

[9] Dicimus in quantum *bonum nostrum;* si quis enim possessionem Dei considerat uti medium laudandi Deum in aeternum, etiam caritate potest appetere. Cf. SALMANTICENSES *apud Pesch* n. 602; BILLOT, *th.* 31 p. 585.

non repugnat, sed eam potius consequitur. Unde AUG.: « Caritatem voco motum animi ad *fruendum Deo propter se ipsum* et se atque proximo propter Deum » [10]. Et CHRYS.: « Hoc amor est, hoc dilectio; si ita amemus, nec praesentia nec futura quidquam esse prae amore illo putabimus, et hinc regnum consequemur, in ejus amore laetantes » [11]. Similiter BERNARD.: « Non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit » [12].

533. **An diligere Deum ob beneficia accepta pertineat ad caritatem.** Solutio pendet a generaliori quaestione de modo quo Deus caritate attingitur; licet autem SALMANTICENSES [13] negent divina attributa separatim inspecta posse diligi caritate, merito RIPALDA [14] affirmat. Profecto propria ratio amoris benevolentiae in eo est quod amatum non diligatur ratione utilitatis quae inde nobis provenit, sed ratione perfectionis quae in ipso est: atqui Deus potest diligi *ratione sui* etiamsi ad unam tantum perfectionem, puta ad infinitam ejus sapientiam vel majestatem animus convertatur: ergo divina attributa, etiam separatim inspecta, sunt objectum caritatis. Hoc autem posito, quid vetat ut *ex gratitudine Deum* diligamus? Sane « habet gratitudo pro termino, *cui bene vult,* ipsum benefactorem, cujus interna benignitas manifestatur externis beneficiis. Jamvero *benignitas* est perfectio benefactoris in se amabilis, non solum in quantum alteri commodum affert, sed etiam quatenus in se bona est. Beneficia igitur externa inducunt ad considerandam et aestimandam hanc perfectionem benefactoris, ex qua consideratione et aestimatione motivum exurgit amandi benefactorem propter hanc suam perfectionem. Atqui is, qui Deum amat ob ejus benignitatem, ut haec est interna perfectio divina, elicit actum caritatis theologicae » [15]. Ergo. Hinc SCRIPTURA et PATRES tamquam motivum diligendi Deum non exhibent tantum absolutam Dei perfectionem, sed etiam beneficia, quibus a Deo cumulati sumus, et maxime amorem quo nos dilexit. Sic enim legimus: *In omni virtute dilige eum, qui te fecit* [16]. — *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* [17]. Et AUG.: « Si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amoris invitatio quam praevenire amando... Propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligebat Deus, et ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem... inar-

---

[10] AUG. *De doctr. chr.*, III, n. 16.
[11] CHRYS. in *Rom.* hom. 5 n. 7.
[12] BERNARD. *De dilig. Deo* c. 7 n. 17
[13] SALMANT. *De carit.* Disp. 2 dub. 2 n. 14.
[14] RIPALDA, *De carit.* Disp. 35 sect. 1 et 10.
[15] PESCH, n. 558; S. THOM. 2-2 q. 27 a. 3.
[16] Eccli. **7**. 32; **47**. 10; Ps. **17**. 2, 3, 50.
[17] 1 Joan. **4**. 19; **4**. 7; Rom. **8**. 35-7; 2 Corinth. **5**. 14-15.

desceret » [18]. Similiter BERNARD. : « Dignus plane (Deus), qui redametur, praesertim si advertatur, quis, quos, quantumque amaverit » [19].

534. **Caritatis unitas** potest considerari in amore Dei et hominum, et in amore viae ac patriae. *Amor Dei et proximi unus* est; quia habitus et actus specificantur ex objecto formali; ratio vero qua proximum et nos ipsos amamus supernaturali amore amicitiae est ipsemet quo Deum diligimus : imo sanior theologorum pars tenet non dari aliam virtutem supernaturalem, qua proximum amicitia diligamus; siquidem bonum supernaturale non est amabile nisi in ordine ad Deum [20]. — *Caritas patriae et viae* iterum una est, quia viator a comprehensore non differt objecto amato sed cognitione ejus, cognitio autem non constituit amorem sed est ejus praerequisitum [21]. « Quando inquit S. THOM., imperfectio alicujus rei non est de ratione speciei ipsius, nihil prohibet idem numero quod prius fuit imperfectum, postea perfectum esse, sicut homo per augmentum perficitur, et albedo per intensionem. Caritas autem est amor, de cujus ratione non est aliqua imperfectio : potest enim esse habiti et non habiti, et visi et non visi. Unde caritas non evacuatur per gloriae perfectionem, sed eadem numero manet » [22], secundum illud Apostoli : *Caritas nunquam excidit* [23]. Quod si specie non differunt, differunt perfectione. Nam *a)* in patria caritas est *inamissibilis,* in via quolibet peccato mortali amittitur : *b)* in patria Deus *semper actu* diligitur, in via saepius solo habitu : *c)* in patria actus caritatis *intensitate* habitum aequat, in via saepius est remissior : *d)* in patria amor est *purus,* ita ut alia a Deo semper et solum diligantur in ordine ad ipsum, in via caritatis auro saepe miscetur lutum inordinati affectus, quo creaturae diliguntur praeter Deum : *e)* in patria amor est *vividior,* ita ut probabiliter nullus actus perfectissimi viatoris aequet actum minimi comprehensoris : *f)* in patria amor est *dulcis* sed *sine merito,* in via difficultatibus, timoribus et angustiis premitur, sed habet meritum vitae aeternae : *g)* in patria caritatis amicitia est *manifesta,* in via mutuus amor et bonorum communio non clare, nec certo apparet. Simpliciter ergo loquendo caritas patriae, quae ultimum complementum assecuta est, *perfectior* est caritate viae [24].

---

[18] AUG. *De Catech. rudib.* c. 4. n. 563.

[19] BERNARD. *De dil. Deo.* Cf. S. THOM. et S. IGNAT. apud *Pesch.*

[20] PESCH, n. 617-9. Hinc vides quantum aberrent ii qui caritatis actum vix possibilem aestimant; si enim non diligimus Deum, nec proximum diligimus vero amore benevolentiae.

[21] SUAREZ, *De caritate.* Disp. 3, sect. 3, n. 2.

[22] S. THOM. 1-2 q. 67 a. 6.

[23] 1 Corinth. **13**. 8.

[24] S. THOM. 1-2 q. 67 a. 6 ad 3; 2-2 q. 44 a. 6; *De Verit.* q. 29 a. 3 ad 5; C. MAZZELLA, n. 1327 sqq.; PESCH, n. 596 sqq.; BILLOT, *th.* 32, p. 389 sqq.

535. **Errores — Veritas.** *Naturam* caritatis corruperunt *excessu* JANSENISTAE dicentes eam excludere desiderium aeternae felicitatis [25], *defectu* BOLGENI et BALLERINI affirmantes Deum diligi caritate etiam cum amatur uti bonum nostrum [26]: *efficaciam* et *necessitatem* non agnoverunt REFORMATORES justitiam a sola fide *repetentes* [27]: *excellentiam* imminuerunt AMERICANISTAE virtutes activas praetulentes passivis [28]. — **Veritas.** Pro *necessitate* caritatis potest adduci CONC. TRID. docens quod « fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit » [29]: *excellentiam* caritatis contra Americanistas vindicavit LEO XIII [30]: de *natura* caritatis contra Quietistas sunt prop. damnatae ab INN. XII [31], et contra Bolgeni verba CAT. ROM.: « Caritas Dei ex ipso pendet, Deus enim *per se* et non alterius causa diligendus est » [32].

THES. 61. — 1 *Objectum* FORMALE *caritatis est divina bonitas in se ipsa,* — 2 MATERIALE *autem principale est Deus, ad secundarium vero pertinent* — 3 *proximus et* — 4 *nosmetipsi, imo indirecte* — 5 *creaturae irrationales.*

536. **Prima pars.** *Formale objectum caritatis est divina bonitas in se ipsa.* Nam in **Scripturis** amor, quo Deus est diligendus, dicitur *amicitiae* [33] et *summus* [34]: atqui « non quilibet amor, habet rationem *amicitiae,* sed amor, qui est cum benevolentia, quando scil. sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus » [35]; non est autem *specifice summus* [36] amor concupiscentiae, siquidem « magis amamus Deum amore amicitiae quam amore concupiscentiae, quia

---

[25] Supra n. 287.

[26] V. BOLGENI, *Della carità o amor di Dio,* 1788; A. BALLERINI, *Opus Theol. Mor.* De carit. n. 6 sqq.

[27] Supra n. 287.

[28] Apud *Hergenr.* VII, p. 765.

[29] CONC. TRID. sess. 6, cp. 7.

[30] LEO XIII ad *Card. Gibbons,* 22 Jan. 1899.

[31] INN. XII, *12 Mart.* 1699, pr. 1, 2, 5, 6, etc.

[32] *Sapientia... infinitus thesaurus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* Sap. **7.** 14; Judith. **8.** 22; Ps. **138.** 17; Isai. **41.** 8; Joan. **14.** 15; Jac. **2.** 23.

[33] CATECH. ROM. p. 4, c. 4, n. 4; pr. 15 ex dam. ab Alex. VIII.

[34] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Matth. **22.** 37; Deut. **6.** 5, etc.

[35] S. THOM. 2-2 q. 23 a. 1.

[36] *Totalitas* mentis et cordis exprimit gradum summum; atqui non in *intensitate,* quia caritatis actus suscipit magis et minus: ergo in specie seu qualitate dilectionis.

majus est in se bonum Dei, quam bonum quod participare possumus fruendo ipso »[37] : ergo. — **Patres** docent cum GREG. Naz. « sublimius assurgere qui summo bono conjungi *propter ipsum summum bonum* exoptant, non autem propter honores in altero aevo reconditos »[38]. Et clarius AUG. : « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo *propter ipsum* »[39]. Etiam CHRYS. vult « omnia *propter Christum* agenda non propter mercedem »[40], et BERNARD. affirmat quod « causa diligendi Deum Deus est... : verus amor *praemium non requirit* sed meretur »[41]. — **Ratio** est quia oportet distinguere objectum formale caritatis ab objecto formali spei : atqui diligere Deum uti bonum nostrum pertinet ad spem : ergo. « Denique oportet ut sit aliqua virtus theologica attingens Deum sub ratione finis ultimi, seu boni supremi super omnia diligendi, ad quod scil. glorificandum cuncta referantur. Haec autem virtus non est fides, quae attingit Deum sub ratione veri. Neque etiam spes, quae etsi attingat Deum sub ratione boni, non tamen boni absoluti, et nondum importat amorem quo Deum plus quam nosmetipsos diligimus[42]. Nulla igitur virtus est praeter caritatem respiciens Deum ut finem simpliciter ultimum, cui glorificationis gratia volumus esse omnia nostra, et quidquid in nobis perfectionis ac beatitudinis esse potest »[43].

537. **Secunda pars.** *Primarium objectum caritatis est Deus.* Nam si motivum caritatis est bonitas Dei in seipsa, principale objectum caritatis est illud in quo ratio divinae bonitatis primo et per se invenitur : atqui hic est Deus : ergo maximum et primum mandatum est : *Diliges Dominum Deum tuum*[44].

538. **Tertia pars.** *Caritate diligendus est proximus.* **Ex Scripturis.** Nam *si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt,*

---

[37] S. THOM. 2-2 q. 26 a. 3 ad 3.

[38] GREG. Naz. hom. 3.

[39] AUG. *De doct. chris.* III, c. 10, n. 16. Quid sit *frui* dicit I, c. 4 : « Frui est inhaerere alicui rei *propter seipsam* ».

[40] CHRYS. in *Rom.* hom. 9.

[41] BERNARD. *De dilig. Deo,* I, c. 1 ; c. 9 n. 26 ; c. 12 n. 34 apud *Mazzella,* n. 1262.

[42] Ne sic intelligas quasi *spe* diligamus nos plus quam Deum, foret enim peccatum ; sed quia spe nondum diligimus Deum supremo amore *benevolentiae,* quo naturaliter nos ipsos diligimus.

[43] BILLOT, *th.* 31 p. 384.

[44] Matth. **22.** 37, etc.

Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum [45]. In testimonio agi de caritate qua Deus diligitur, patet ex usu ejusdem vocis, ex comparatione utriusque amoris, et ex eorum nexu, siquidem ratio diligendi proximum non est bonitas proximi, sed divinum praeceptum, et similitudo Dei quae in proximo relucet. Hinc Apostolus caritati Dei tribuit officia erga proximum, quippe *caritas patiens est, benigna est,* etc. [46]. — **Patres** cum CHRYS. generatim docent « dilectionem Dei cum nostra complicatam et quasi catena annexam (esse). Ideo (Scriptura) aliquando *duo* dicit praecepta, aliquando *unum;* neque enim potest qui alteram accipit, alteram non habere » [47]. Quod vero attinet ad caritatem erga peccatores, dicunt quod « omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus : et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum » [48]. — **Ratio** est quia filii et imagines reputantur quid unum cum patre : atqui omnes homines, utut mali et inimici nostri, sunt filii et imagines Dei : ergo diligendi sunt eodem amore quo Deus diligitur [49].

539. **Quarta pars.** *Caritate nosmetipsos diligere debemus.* Nam in **Scripturis** amor sui exhibetur uti regula amandi proximum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* [50] : atqui, ut vidimus proximus diligendus est caritate theologica : ergo. — **Ex Patribus** AUG. ait : « Non est hic tui dilectio praetermissa : dicitur enim ut diligas proximum *sicut teipsum* » [51] ; explicans vero modum diligendi proximum, ait : « Ea est regula dilectionis, ut quae *sibi* vult bona provenire et illi velit ; et quae accidere *sibi* mala non vult, et illi nolit » [52]. — **Ratio** est, quia amor Dei sese extendit, « ad ea quae sunt Dei ; inter quae est etiam ipse homo, qui caritatem habet ;

---

[45] 1 Joan. **4.** 20-21 ; 12 ; Matth. **22.** 29 ; Joan. **13.** 34.

[46] 1 Corinth. **13.** 4 sqq. — *NB.* CORNELY in *h. l.* p. 392 ex contextu et ex Patribus ostendit sermonem esse de virtute theologica.

[47] CHRYS. in *Joan.* hom. 77 n. 1 ; CYRIL. Alex. in *Joan.,* XV, c. 12 ; GREG. M. in *Evang.* hom. 27 n. 1 ; AUG. *De Trnit.,* VIII, c. 8 n. 12.

[48] AUG. *De Docr. chr.* 1 c. 27 n. 28 ; GREG. M. in *Evang.* hom. 32 ; PROSP. *Sentent.* 267 ; BEDA *ad Gal.* **6.** Hoc sensu S. THOM. 2-2 q. 25 a. 11 docet quod etiam daemones sunt diligendi caritate.

[49] S. THOM. 2-2 q. 25 a. 1 coll. 1-2 q. 28 a. 1.

[50] Matth. **22.** 39.

[51] AUG. *De doctr. christ.,* I, c. 27.

[52] AUG. *De vera. relig.* c. 46 n. 87.

et sic inter cetera, quae ex caritate diligit quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum ex caritate diligit » [53].

540. **Quinta pars.** *Creaturae irrationales indirecte possunt diligi.* Nam caritas dicit amicitiam; « per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter: uno quidem modo amicus, ad quem amicitia habetur, alio modo bona, quae amico optantur. Primo ergo modo nulla creatura irrationabilis potest ex caritate amari... Possunt tamen ex caritate diligi creaturae irrationales sicut bona, quae aliis volumus, in quantum scil. ex caritate volumus eas conservari ad honorem Dei et utilitatem hominum » [54].

THES. 62. *Caritas, — 1 quae virtutum omnium est nobilissima, ceteras — 2 movet et — 3 informat.*

541. **Prima pars.** *Caritas virtutibus omnibus praestat.* **Ex Scripturis.** Nam virtus illa praecellit quae, aliarum finis et corona, hominem ducit ad ultimam perfectionem: atqui *finis praecepti est caritas* [55], *vinculum perfectionis* [56]: ergo. Hinc Apost.: *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec, major autem horum est caritas* [57]. **Ex Patribus** « Nil, inquit CHRYS., par caritati; major omnium est caritas... Cogitemus caritatem tesseram esse discipulorum Christi, et sine illa nihil valere alia » [58]. Et HIER.: « Quae alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum nisi caritas, sine qua virtutes ceterae non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa, quae bona sunt? » [59]. Similiter AUG.: « Nullum est isto dono excellentius » [60]: « adde caritatem, prosunt omnia; detrahe caritatem, nihil prosunt cetera. Quale bonum est caritas ista, fratres! Quid pretiosius? Quid luminosius? Quid securius? » [61]. **Ex ratione.** Nam cum virtutes specificentur ex objecto formali, virtutes *theologicae,* quae habent pro objecto formali Deum, praestant moralibus, quae creaturas respiciunt [62]: atqui inter virtutes

---

[53] S. THOM. 2-2 q. 25 a. 4.

[54] S. THOM. 2-2 q. 25 a. 3. Hoc specialiter valet de nostro corpore, « quia corpus aliquo modo est particeps beatitudinis » animae. S. THOM. *l. c.* a. 5 ad 2.

[55] 1 Tim. **1**. 6.

[56] Colos. **3**. 14.

[57] 1 Corinth. **13**. 13.

[58] CHRYS. in *Act.* hom. 40. n. 3-4.

[59] HIER. in *Gal.,* III, c. 5.

[60] AUG. *De Trin.* XV, c. 18 n. 32.

[61] AUG. serm. 138 c. 3; serm. 90 n. 8.

[62] AMERICANISTIS praeferentibus *virtutes activas,* quibus subvenitur indigentibus, jam respondit S. THOM. 2-2 q. 30 a. 4 quod « ei, qui supra se aliquem habet, majus est et melius conjungi superiori, quam supplere de-

theologicas caritas ceteris praestat : ergo. Revera praestat *spei*, quia haec attingit bonitatem Dei relativam, illa bonitatem absolutam et consequenter magis in ipso Deo manet : praestat *fidei* quia « in his, quae sunt supra hominem nobilior est dilectio quam cognitio ; perficitur enim cognitio, secundum quod cognita sunt in cognoscente ; dilectio vero, secundum quod diligens trahitur ad rem dilectam. Id autem quod est supra hominem, nobilius est in se ipso quam sit in homine, quia unumquodque est in altero per modum ejus, in quo est » [63].

542. **Secunda pars.** *Caritas virtutes omnes movet.* Licet enim non omnis actus virtutis debeat a caritate imperari [64], tamen ipsa dominium supra alias exercet, eorumque actus potest imperare secundum illud Apostoli : *Caritas patiens est, benigna est, caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa,* etc. [65]. Revera « omnis virtus vel potentia superior dicitur movere per imperium inferiorem pro quanto actus inferiores ordinantur ad finem superioris. Unde cum ad caritatis finem omnes aliae virtutes ordinentur, ipsa imperat actus omnium virtutum et exinde dicitur motor earum » [66].

543. **Tertia pars.** *Caritas est forma virtutum omnium.* Nam « in moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis... Manifestum est autem... quod per caritatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem ; et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum : et pro tanto dicitur esse forma virtutum » [67]. Ex excellentia et dignitate, quae sunt fructus informationis caritatis [68], sequitur actus cujusvis virtutis [69],

---

fectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem, qui habet Deum superiorem, *caritas* per quam Deo unitur, est potior quam *misericordia* per quam defectus proximorum supplet ».

[63] S. THOM. 1-2 q. 66 a. 6 ad 1.

[64] BERTI, tr. 9. Disp. 1 c. 1 n. 4 sqq. ad rationem meriti exigit ut virtutis actus imperetur a caritate, sed communissime negatur. Cf. C. MAZZELLA, n. 1345 ; PESCH, n. 639.

[65] 1 Corinth. **13**. 4-7.

[66] BILLOT, *th.* 32 p. 388 « Quia caritas habet pro objecto ultimum finem humanae vitae, scil. beatitudinem aeternam, ideo extendit se ad actus totius humanae vitae per modum imperii ». S. THOM. 2-2 q. 23 a. 4 ad 2 ; 1-2 q. 100 a. 10 ad 2.

[67] S. THOM. 2-2 q. 23 a. 8 coll. 7.

[68] *Meritum* per prius pertinet ad caritatem siquidem « meritum hominis et praemium Dei habent rationem mutuae communicationis bonorum, quae pertinent ad exercitum amicitiae ; amicitia autem formaliter constituitur per dilectionem». PESCH, n. 635.

[69] Revera ad rationem meriti CONC. TRID. sess. 6 cp. 16 ; cn. 32 non exigit nisi opus bonum elicitum a justo.

imo omnes ultimo fini non repugnantes [70], habere in justo meritum vitae aeternae. « Et sic comedere et libere, servato modo temperantiae, et ludere ad recreationem, servato modo eutrapeliae, quae medium tenet in ludis, meritorius erit in eo, qui caritatem habet, qua Deum ultimum finem vitae suae constituit... (Nam) non oportet, quod (opera bona) semper actu in finem illum (ultimum) reducantur, sed sufficit ad efficaciam merendi, quod in fines aliarum virtutum actu reducantur... Omnis autem actus in aliquod bonum tendens, nisi inordinate in illud tendit, habet pro fine bonum alicujus virtutis eo quod virtutes sufficienter proficiunt circa omnia, quae possunt esse bona hominis » [71].

APPENDIX.

De merito.

544. **Quid meritum.** MERITUM abstracte est *valor seu proportio operis ad retributionem;* in concreto est *opus mercede dignum;* sicut enim actus humanus, prout est in potestate voluntatis, habet rationem *laudabilis* vel *culpabilis,* et respectu finis rationem *boni* vel *mali; ita* in ordine justitiae, prout cedit in bonum vel malum alterius induit rationem *meriti,* seu proportionis ad mercedem [1]. Ex hoc patet meritum *etymologice* esse indifferens ad bonum et

---

[70] Si agitur de operibus naturaliter tantum honestis sed non elicitis intuitu ultimi finis, sunt duae sententiae. Qui supernaturalitatem actus derivant ex solo principio elicitivo et putant habitum infusum sola motione generali in actum deduci, affirmant: qui vero supernaturalitatem actus deducunt ex objecto formali et consequenter etiam ex influxu gratiae actualis, negant; siquidem actus entitative tantum ethice honesti ab habitu virtutum nequerunt ordinari in finem vitae aeternae. Primam sententiam docent vel innuunt SUAREZ, *De Grat.,* XII, c. 10 n. 14; PALMIERI, *De Grat.* c. 2. parerg. p. 268; SCHIFFINI, *De Grat.* n. 107; 369; 373 sqq.; BILLOT, *De Grat.* p. 89-90, 124 sqq.: alteram defendunt C. MAZZELLA, *De Grat.* 478 sqq. *De Virt.* 1351 sqq.; PESCH, *De Grat.* n. 409; TEPE, *De Grat.* n. 490; LÉPICIER, *De Grat.* q. 6 a. 4 p. 398.

[71] S. THOM. *II Dist.* 40 q. 1 a. 5; *De Malo* q. 9 a. 2. Vide Apostolum *ad Philip.* **4.** 8.

[1] S. THOM. 1-2 q. 21 a. 3, ubi notat opus cedens in bonum agentis non habere rationem meriti nisi « inquantum etiam hoc vergit in commune, secundum quod ipse est pars collegii ».

malum, et inveniri etiam in peccato quoad poenam; recepto tamen usu, post AUG.[2] sumitur in bonam partem, nomine *demeriti* imposito operi cui debetur poena[3]. Meritum datur *apud homines* et *apud Deum,* aliter tamen; nam homines ex opere meritorio consequuntur utilitatem, Deus autem ex opere nostro nihil acquirit[4]; apud homines meritum est *absolutum* et *independens,* apud Deum fundatur in *praecedentem suam voluntatem,* qua rerum relationes firmavit[5].

545. **Meriti distinctiones.** Meritum distingui solet in *naturale* et *gratuitum;* gratuitum in meritum *excellentiae* et *commune;* commune in meritum *de condigno* et *de congruo;* de congruo in meritum *infallibile* et *fallibile.* Meritum *naturale* provenit ex naturae viribus, dici solet humanum, et pro objecto habet bona naturalia: *gratuitum* non dicitur quasi retributio non sit debita, sed quia fundatur in praecedenti dono gratuito, scil. in gratia, et pro objecto habet bonum saltem reductive supernaturale. Meritum *excellentiae* est radix ceterorum, fundatur in gratia unionis, et est proprium Christi, juxta exposita in tr. *de Verbo Incar.: commune* fundatur in gratia quae nobis confertur ex meritis Christi. Porro « dicitur aliquis mereri *ex condigno,* quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum secundum rectam aestimationem; *ex congruo* autem tantum, quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur quod tantum decet »[6]; exemplum primi habes in milite strenue pugnanti respectu habito ad stipendium, exemplum secundi in eodem milite quoad donum, dignitatem aut nobilitatem quae, parta victoria, titulo liberalitatis ei retribuuntur a rege. Meritum de congruo dicitur *infallibile* si ex divina dispositione determinatum praemium semper confertur; *fallibile* si ordinarie tantum et praesuppositis quibusdam circumstantiis datur: exemplum primi habes in actu caritatis seu contritionis perfectae quoad justificationem, exemplum secundi in actibus aliarum virtutum quibus peccator remote praeparatur ad gratiam sanctificantem[7].

546. **Objectum meriti.** Quod attinet ad MERITUM DE CONDIGNO *a)* nota imprimis *gloriam* aliquando retribui meritis, aliquando non. Non

---

[2] AUG. *De grat. et lib. arb.* c. 5-6.

[3] Apud rhetores sensus est e converso, sed usus praefatam significationem firmavit. Cf. SCHIFFINI, n. 344.

[4] « Deus ex bonis nostris non quaerit utilitatem, sed gloriam, i. e., manifestationem suae bonitatis quod etiam ex suis operibus quaerit. Ex hoc autem quod eum colimus, nihil ei accrescit sed nobis; et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed inquantum propter ejus gloriam operamur ». S. THOM. 1-2 q. 114 a. 1 ad 2.

[5] S. THOM. 1 p. q. 21 a. 1 ad 3; 1-2 q. 111 a. 1 ad 2. Vol. 2 n. 504 *n.*

[6] S. THOM. *II Dist.* 27 q. 1 a. 3.

[7] C. MAZZELLA, *De Grat.* n. 1125-30.

datur ex meritis infantibus et amentibus qui sine libera cooperatione sanctificantur sacramentis, libertas enim est radix meriti proprie dicti : datur e contra ex meritis iis qui contritione perfecta vel attritione cum sacramento justificantur ; infusione enim gratiae opera illa evadunt meritoria vitae aeternae. « Praeparatio hominis ad gratiam habendam, inquit S. Thom., quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae : et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiae, quae jam habetur, sed *gloriae* quae nondum habetur [8] *b) Augmentum gloriae* esse objectum meriti directe vindicabimus in thesi. *c) Augmentum gratiae* sequitur augmentum praedicti juris ad gloriam ; gloria enim proportionatur lumini, quod est fructus gratiae. Sicut itaque habitus acquisiti repetitione actuum intesificantur, ita infusi exercitio virtutum divinitus augentur. « Illud, inquit S. Thom., cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus ; sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiae est vita aeterna. Progressum autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiae, secundum illud : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem* [9], qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni » [10]. *d)* Alter bonorum operum fructus est *satisfactio pro peccatis :* licet enim meritum per se non ordinetur ad reparationem violatae justitiae [11], quia tamen in praesenti secum fert aliquam poenalitatem [12], solvit debitum purgatorii, et « multo plus purgat quam poena post mortem inflicta » [13]. *e)* Ad meritum e contra de condigno non pertinent prima gratia sanctificans, gratiae efficaces et perseverantia, aliaque bona spiritualia et temporalia sibi vel aliis acquirenda. *Non pertinet prima gratia* sanctificans quia ipsa est fundamentum meriti de condigno, ac proinde in ipso ordine logico praesupponitur : *non pertinent gratiae efficaces* et *perseverantia,* quia, ut notat S. Thom. [14], sub merito non cadit quod est principium motus liberi arbitrii directi a Deo ; gratia autem efficax et perseverantia finalis sunt principium meriti et principium gloriae [15] : *non pertinent* saltem per se *bona temporalia* et *dona gratis data,* quia objectum proprium meriti est vita aeterna, ad vitam autem aeternam bona temporalia et

---

[8] S. Thom. 1-2 q. 112 a. 2 ad 1 ; C. Mazzella, *De Grat.* n. 1211 sqq. ; Pesch, n. 422 ; Schiffini, n. 355 ; Tepe, n. 516-9.

[9] Prov. **4.** 18.

[10] S. Thom. 1-2 q. 114 a. 8.

[11] S. Thom. *Supp.* q. 15 a. 1.

[12] Opera bona reducuntur ad *eleemosynam, jejunium* et *orationem,* haec autem sunt satisfactoria. S. Thom. *l. c.* a. 3.

[13] S. Thom. *IV Dist.* 47 q. 2 a. 3 s. 2 ad 5 ; *Dist.* 20 q. 1 a. 1 s. 3 ad 2.

[14] S. Thom. 1-2 q. 114 a. 9.

[15] Supra n. 385.

dona gratis data directe non ordinantur [16]: *non pertinent bona aliorum,* quia meritum procedit a motione gratiae, qua solus Christus factus est auctor salutis pro aliis, dum « unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiae ut *ipse* ad vitam aeternam perveniat » [17]. — OBJECTUM MERITI DE CONGRUO latissimum est, et, si excipiatur prima gratia, ad omnia se extendit. *a) Non respicit primam gratiam actualem,* quia sicut meritum de condigno fundatur in gratia habituali, ita meritum de congruo in actuali [18]; *b)* respicit tamen alias *gratias actuales* quia *initium* habet aliqualem proportionem cum *progressu,* unde si Nabuchodonosor debebat eleemosynis redimere peccata sua [19], nos actibus fidei et spei meremur gratias sufficientes ad actum contritionis: *c)* in actu contritionis perfectae est meritum de congruo infallibile ad *gratiam primam sanctificantem: d)* etiam *perseverantia finalis* a justo potest de congruo infallibiliter impetrari [20]: *e)* imo justus potest de congruo sibi impetrare *conversionem post lapsum,* uti docent BONAV., BELLARM., SUAREZ, SCOTUS, etc. [21]: *f) bona* quoque *temporalia* de congruo possunt mereri, nec solum prouti sunt media aliquando necessaria ad vitam aeternam, sed etiam « secundum se... in quantum homines moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda in quibus suum propositum consequuntur, Deo favente... licet interdum in iis non habeant homines rectam intentionem » [22]: haec autem bona temporalia et spiritualia de congruo possunt etiam *g) aliis, etsi non infallibiliter,* impetrari, prout congruit Deum implere voluntatem ejus qui suam in omnibus facit [23]. Horum omnium ratio petitur ex efficacia orationis cui Deus omnia repromisit [24].

547. **Quae meritorum reviviscentia.** Meritorum reviviscentia in eo est quod merita justorum [25], peccato mortificata, in justificatione redeant. Porro merita reviviscere omnes affirmant [26], sed *quomodo* reviviscant disputatur; alii enim dicunt redire ad *gloriam accidentalem* seu ad gaudium de bono opere [27]; alii redire ut novus titulus gloriae essentialis quae respondet gratiae receptae sacramento vel actu con-

---

[16] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 2; a. 10.

[17] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 6.

[18] Cf. quae diximus n. 311 sqq. de absoluta gratuitate primae gratiae.

[19] Dan. **4**. 24.

[20] Supra n. 385.

[21] Apud MAZZELLA, n. 1205. Cf. 2. Paral. **19**. 2; Ps. **70**. 9. S. THOM. *in Hebr.* **6** lect. 3; 1-2 q. 114 a. 7 videtur negare.

[22] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 10.

[23] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 6.

[24] Matth. **21**. 22; Marc. **11**. 24; Luc. **11**. 9; Joan. **14**. 13, etc. Cf. C. MAZZELLA, n. 1102 sqq.; PESCH, n. 425-33; TEPE, 519-22.

[25] Opera facta in peccato sunt *mortua,* unde reviviscere nequeunt.

[26] Cf. PESCH, *De Poen.* n. 324.

[27] THOMISTAE quidam apud *Suarez* Opusc. 5 disp. 2, sect. 1, n. 1.

tritionis [28]; alii redire ad *gloriam essentialem* superaddendam illae, quae obtinetur sacramento vel actu contritionis, *proportionaliter* tamen ad dispositiones poenitentis [29]; tandem communior sententia tenet reviviscere ad *totum praemium essentiale* [30], ita ut poenitentia homo resurgat ad totam gratiam praecedentem novo poenitentiae merito auctam. Ratio est quia PATRES et CONC. TRID. ad meritum simpliciter dictum non requirunt nisi decessum in gratia, nec suspicionem ingerunt de diverso modo quo meritum se habeat post reviviscentiam quam antea. Profecto peccatum obstabat efficaciae meritorum uti impedimentum; hoc igitur remoto, non secus ac prius merita debent operari gratiam et gloriam, secundum illud Zach.: *Miserebor eorum, et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos* [31].

548. **Errores — Veritas.** Post NICOLAITAS [32] et REFORMATORES [33] meritum bonorum operum corruperunt MODERNISTAE confundentes cum bona voluntate, quasi haec sibi sit sufficiens praemium [34]. **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « S. q. d. hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut justificatum bonis operibus... non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; a. s. » [35].

THES. 63. *Bonis justorum operibus — 1 inest meritum aeternae vitae, quod — 2 per peccatum amissum, poenitentiâ reviviscit.*

549. **Prima pars.** *Bonis justorum operibus inest meritum aeternae vitae.* Nam in **Scripturis** haereditas Dei, quae profecto

---

[28] BANNEZ in 2-2 q. 24 a. 6 dub. conc. 3; BILLOT, *l. c.* p. 110 ad 2.

[29] SCOTUS in *IV Dist.* 16 q. 2 a. 2; GONET, *De Poen.* disp. 6 a. 2, § 2, n 28; BILLUART, *De Poen.* diss. 3, a. 5, § 2.

[30] PESCH, *De Poen.* n. 340 adducit MAG. SENT., ALBERT. M., SCOT., omnes SCOTISTAS et DURAND., ex Thomistis CAN., MEDIN., e theol. soc. Jesu SUAREZ, VASQUEZ, LUGO, DE VALENT. quibus adhaeret. Addi possunt PALMIERI, *De Poen.* th. 19, p. 206 sqq.; HURTER, III, n. 274; TEPE, IV, n. 650-5; SCHIFFINI, *De Grat.* n. 381.

[31] Zach. **10.** 6.

[32] Impugnati sunt ab Apostolis PETR., PAUL., JUD., JOAN. apud *Hergenr.* I, p. 138.

[33] Non solum negabant meritum vitae aeternae, sed, ut vidimus n. 287, bona opera justorum dicebant peccata.

[34] « Il merito è la stessa volontà del bene ». MURRI, *La vita relig.* Disc. 30, n. 4, p. 293.

[35] CONC. TRID. sess. 6, cn. 32; cp. 16; cn. 16; CONC. ARAUS. II, cn. 18; LATER. IV, c. *Firmiter.*

est vita aeterna, vocatur *merces*[36], *bravium*[37], *remuneratio*[38], *retributio*[39], *corona*[40], quam *ex justitia*[41] Deus reddit[42] propter opera bona[43], et juxta eorum mensuram[44], non secus ac pro peccatis rependit poenam[45]: atqui *a)* « meritum et merces ad idem referuntur: id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis, quasi quoddam praemium ipsius »[46]; *b)* in communi locutione bravium et corona juxta operis excellentiam seu meritum retribuuntur; *c)* ex justitia non datur quod sine meritis seu gratis confertur; *d)* peccatoribus poena pro iniquitatum numero et gravitate rependitur: ergo vita aeterna meritis proprie dictis seu de condigno retribuitur. — **Patres** cum BASIL. docent quod « homo ex operibus justitiae salvatur »[47]. JUST. M. merita bonorum operum demeritis peccatorum comparat: « Fatum, inquit, ineluctabile illud esse dicimus, his qui bona eligunt, merita praemia tribui; his vero, qui contraria, debitam mercedem »[48]. Et AMBR.: « Nonne evidens est meritorum aut praemia aut supplicia manere? »[49]. AUG. ex gratia deducit meritum. « Nullane, ait, sunt merita justorum? sunt plane quia justi sunt, sed ut justi fierent merita non fuerunt »[50]. CYPR. ex meritis diversitatem praemii concludit. « Nusquam (enim) Dominus meritis nostris ad praemium

---

[36] *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* Matth. **5**. 12; **20**. 1-16; Prov. **11**. 18; Sap. **5**. 16; Eccli. **18**. 22; 1 Corinth. **3**. 8.

[37] *Ad destinatum prosequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu.* Phil. **3**. 14; 1 Corinth. **9**. 24.

[38] Hebr. **10**. 35; **11**. 6.

[39] Colos. **3**. 23-4.

[40] ***Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*** 2 Tim. **4**. 8; Jac. **1**. 12.

[41] 2 Tim. *l. c.*

[42] 2 Tim. *l. c.*; Matth. **16**. 27.

[43] *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum...; esurivi* ENIM, *et dedistis mihi manducare,* etc. Matth. **25**. 34 sqq.; **16**. 27; **19**. 29; 1 Tim. **4**. 8; Apoc. **7**. 14.

[44] *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem.* 1 Corinth. **3**. 8; Ps. **61**. 13; Matth. **16**. 27; Apoc. **22**. 12.

[45] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum.* 2 Corinth. **5**. 10; Joan. **5**. 29; Rom. **2**. 7-8; Gal. **6**. 8.

[46] S. THOM. 1-2 q. 114 a. 1.

[47] BASIL. *De Spir. S.* c. 24; Or. in *Init. Prov.*; ORIG. in *Rom.* II; TERTUL. *De resur. car.* c. 40 et 48; HILAR. in *Matth.* c. 5 et 6; AMBR. ep. 81 *ad Siric.*; *De Cain,* II, c. 9; AUG. *De morib. eccl.* c. 25.

[48] JUST. M. *Apol.* 1, n. 43; GREG. Nyss. or. 1 *De amand. paup.*

[49] AMBR. *De off.* I, c. 15.

[50] AUG. *epist.* 105 *ad Sixtum.*

deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione germinabit »[51]; quare IGNAT. M. romanos deprecabatur: « Sinite me bestiarum escam fieri, ut possim Deum mereri »[52]. — **Ratio** sumitur *ex proportione operum* ad vitam aeternam, cui congruit ut Deus ad praemium opera recipiat: *ex providentia Dei* qui, ut suaviter homines ad legis observantiam induceret, debuit poenis et praemiis legem suam sancire: *ex divino judicio*, si enim « nullum est meritum, vel bonum piorum vel malum impiorum... quomodo Deus judicabit mundum? »[53].

550. **Secunda pars.** *Remoto peccato, merita praecedentia reviviscunt.* Licet ex **Scripturis** meritorum reviviscentia probari non possit[54], constat tamen ex Traditione, siquidem **Patres** docent cum HIER., *quod* « quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursus non perdat ea, si ad pristinam fidem et antiquum studium revertatur »[55]. Probatur etiam ex **Conc. Trid.** quod ad fructum bonorum operum non requirit perseverantiam, sed quod homo opera eliciat in statu gratiae et in hac decidat[56]. Suadetur etiam **ratione**, siquidem Deus ita peccata remittit, quod *impietas impii non nocebit ei, in quocumque die conversus fuerit ab impietate sua*[57], valde autem noceret peccatum si merita mortificata non redirent; haberet enim poenam aeternam[58]. Adde merita non subjectari, ut gratia, in justo, sed subsistere moraliter in acceptatione divina: peccato ergo non destruuntur, sed ex obice existente in subjecto impeditur effectus: cum ergo contritione removetur obex, pristinum effectum consequi debent, sicut, remoto obice, reviviscit sacramentum. Bona opera, inquit S. THOM., « postquam actu esse desinunt... remanent in acceptatione divina. Sic autem rema-

---

[51] CYPR. *De eleem.*; IREN., *Adv. haer.* IV, c. 72.

[52] IGNAT. M. *ad Rom.* n. 4.

[53] AUG. ep. 214 *ad Valent.* n. 14.

[54] Citari solet Gal. **3**. 4 et Hebr. **6**. 10; sed non constat Apostolum loqui de *lapsis*, agere enim videtur de his, quos justos adhuc esse *sperat*. Cf. CORNELY *ad Gal.* p. 474-5; PADOV. *ad Hebr.* p. 211-2.

[55] HIER. in *Gal.* 1, c. 3; EPIPH. *Haer.* 59, n. 2; CHRYS. in *Gal.* **3**. 2.

[56] CONC. TRID. sess. 6, cp. 16; cn. 32.

[57] Ezech. **33**. 12.

[58] BILLOT, *De Poen.* p. 103 opponit virginitatem et innocentiam poenitentiâ non redire, sed nego paritatem, siquidem haec sunt in ordine physico, neque de eorum reviviscentia loquitur Traditio.

nent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera prout facta sunt acceptabit... Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis... Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam... Unde restat quod opera prius mortificata *recuperent* per poenitentiam *efficaciam perducendi* eum, qui fecit ea, *in vitam aeternam*, quod est ea reviviscere » [59].

THES. 64. *Ad meritum bonorum operum conditiones plurimae requiruntur, scil.* — 1 ex parte operis *bonitas, supernaturalitas et libertas,* — 2 ex parte agentis *status viae et gratiae* — 3 ex parte Dei *repromissio.*

541. **Prima pars.** *Ad rationem meriti requiritur bonitas, supernaturalitas et libertas operum* [60]. Requiritur BONITAS MORALIS, quia Deus justus et sanctus approbare non potest, peccata nec proinde pro eis praemium alicui rependere; quia vero actionis moralitas aestimatur ex *objecto,* ex *fine* et ex *circumstantiis,* in his omnibus rectitudo adesse debet; bonum enim, ut fert commune adagium, ex integra causa, malum ex quocumque defectu [61]. — Esse debet SUPERNATURALE, quia ejus objectum est supernaturale, nec opera naturalia proportionem habent ad ea quae sunt ordinis supernaturalis [62]. Quod vero attinet ad modum hujus supernaturalitatis, distingue inter justum et peccatorem. In peccatore supernaturalitas actus et

---

[59] S. THOM. 3 p. q. 89 a. 5.

[60] Quidam ad rationem meriti exigunt quod opus sit *arduum* et *non praeceptum*. At de *libertate morali* nil dicit Scriptura quae mercedem promittit etiam de opere praecepto (Matth. **5**. 10-2; **19**. 17; Luc. **6**. 35; 1 Corinth. **3**. 8; Gal. **6**. 2-8; Apoc. **22**. 12), et repugnat naturae praecepti, quod bonitatem obedientiae addens, meritum adauget (S. THOM. 1-2 q. 114 a. 1 ad 1; 2-2 q. 104 a. 1 ad 8; *Cg.* III, c. 138). *Arduitas* item non pertinet ad meritum, quod habet ordinem ad retribuentem et non ad agentem. Sicut ergo B. V. ex immunitate a formite concupiscentiae non amisit meritum bonorum operum; ita non imminuitur nobis praemium cum virtutum exercitio suavius fit jugum Christi. Per accidens tamen difficultas adauget meritum « in quantum videlicet in id, quod difficile est, majori attentione aliquis consurgit et cum majori conatu voluntatis ». (S. THOM. *II Dist.* q. 1 a. 4; 2-2 q. 27 a. 8 ad 3).

[61] Si circumstantia mala est extrinseca operi et finem bonum non excludit, imminuit sed non destruit meritum, ut patet de divite qui eleemosynam dat pauperi ut impleat divinum praeceptum et simul accipiat humanam laudem de bono opere.

[62] Supra n. 311.

respondens meritum de congruo esse nequeunt ab intrinseco principio, unde, omnibus consentientibus, repetenda sunt a gratia actuali qua peccator ad supernaturalem finem movetur. At in justo supernaturalitas potest provenire ex intrinseco principio gratiae sanctificantis, et ideo quidam inveniunt meritum vitae aeternae etiam in opere quod tendat in finem ethice tantum bonum, et sit elicitum solo influxu generali primi motoris [63]. Juxta praedicta nos aestimamus sufficere intentionem finis cujusvis virtutis ex motione gratiae actualis : de opere ethice tantum bono elicito sola generali motione idem affirmare non audemus [64]. — Esse debet LIBERUM, quia « ibi incipit genus morum ubi primo dominium voluntatis invenitur » [65], et quia damnata est prop. JANS. : « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » [66]. Revera **Scriptura** laudat justum quia *potuit transgredi et non est transgressus* [67], et **Patres** docent cum HIER. quod « liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas est, nec corona, nec damnatio est » [68].

552. **Secunda pars.** *Ad meritum requiritur ex parte agentis status viae et gratiae* [69]. REQUIRITUR STATUS VIAE, quia **Scriptura**

---

[63] Supra n. 543, *n. 70.*

[64] Supra n. 352. *NB.* Quod attinet ad praxim, nulla difficultas : nam, ut praetereamus intentionem, quo puriorem, augere meritum, intentio finis supernaturalis alicujus virtutis non esse debet *actualis* et *explicita,* sed sufficit *implicita et virtualis,* quae in justo, qui saepe renovat intentionem faciendi omnia in gloriam Dei, vix deesse potest.

[65] S. THOM. *II Dist.* 24 q. 3 a. 2; *De Malo,* q. 6 a. unic.

[66] *Prop. 3 Jans.* damn. ab INN. X.

[67] Eccli. **31.** 10. Cf. supra n. 331.

[68] HIER. *C. Jovin.* II, n. 3; AUG. *De Grat. et Lib. Arb.* c. 2, n. 2; BERNARD. in *Cant.* serm. 81, n. 6, etc. *NB.* Huic *libertati* obstare non videtur necessitas bene agendi quae procedit ex perfecta cognitione divinae bonitatis. Cf. supra n. 195.

[69] Ad augmentum gratiae, quidam maxime ex antiquis (S. THOM. 1-2 q. 52 a. 3; 114 a. 8 ad 3; 2-2 q. 24 a. 6; *I Dist.* 17 q. 2 a. 3; *II Dist.* 27 a. 5; SCOTUS *in IV Dist.* 22 ric. in 1 d. 17; CONRADUS ad 1-2 q. 24 a. 8; CAJET., BANNEZ in *h. l.;* BILLOT, *De Virt.* prol. II, § 2, p. 44; *De Poenit.* in q. 89, p. 101 sqq.; LÉPICIER, *De Grat.* q 6 a. 8 app. p. 425 sqq. qui eo progreditur, ut per ipsa sacramenta neget augeri gratiam tepide suscipientibus) requirunt quod actus sit intensior habitu; sed post CONC. TRID. communis fere sententia (SUAREZ, *De grat.* IX, c. 3, n. 23; SALMANT. *De carit.* disp. 5, d. 3, n. 53 sqq.; C. MAZZELLA, *De Virt.* n. 160 sqq.; PESCH, *De Virt.* n. 79; TEPE, III, n. 514; SCHIFFINI, *De Grat.* n. 369, II, p. 641) negat. Ratio est, quia SCRIPTURA (Matth. **10.** 42; 1 Corinth. **15.** 58) absolute pro-

vult ut *ante mortem* operemur justitiam [70]; quippe *facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum opera ejus* [71], dum post mortem non est tempus merendi, quia *venit nox, quando nemo potest operari* [72], nos autem *omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis,* scil. quae in mortali vita gessit [73]. **Ex Patribus** HIER. docet quod homines « viventes possunt bona opera perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de via » [74]. Et AUG. affirmat quod ipsa suffragia defunctis prosunt, prout « hoc meritum sibi quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei possint illa prodesse » [75]. **Ratio** est quia meritum praecedit judicium Dei : atqui *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium* [76] : ergo [77]. — REQUIRITUR STATUS GRATIAE [78]. Nam **Scriptura** docet quod *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis* [79] : atqui incorporatio ad Christum est per gratiam sanctificantem [80] : ergo. Hinc Apostolus ex divina

---

mittit praemium bene agentibus, CONC. vero TRID., (sess. 6, cp. 16; cn. 24 et 26) accurate conditiones meriti recentiens, nil dicit de intensitate gradus, sed absolute docet bene operantibus gratiam et gloriam a Deo retribui. Profecto etiam actus remissus habet meritum vitae aeternae, retribui ergo debet praemio gratiae quae est titulus aeternae felicitatis. Concedo omnino sanctum uno intenso virtutis actu plus mereri quam tepidum multis remissis, siquidem intensitas durationem et multitudinem actuum supplet; sed non intelligo quomodo fervor caritatis aeque debeat retribui cum ad brevem horam durat, et cum tota vita servatur; experientia enim docet haec valde inter se differre. Adde aliam sententiam ad spiritualem desidiam impellere, difficile est enim praecedentem fervorem novis actibus superare.

[70] *Ante obitum tuum operare justitiam.* Eccl. **14.** 17; **9.** 10; **18.** 19, 22.

[71] Eccl. **11.** 28; Luc. **16.** 9.

[72] Joan. **9.** 4; Eccl. **11.** 3; Luc. **16.** 22.

[73] 2 Corinth. **5.** 10; CORNELY, in *h. l.* p. 153.

[74] HIER. in *Eccl.* **9.** 4. PROSPER refert AUG. sententiam : « Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit ». Apud *Mazzella,* n. 1149.

[75] AUG. *De cura pro mort.* n. 1; *Enchir.* n. 110, etc.

[76] Hebr. **9.** 27.

[77] Ex his sequitur in Purgatorio et in Coelo non dari meritum proprie dictum. Beati, inquit S. THOM. *III Dist.* 18 q. 1 a. 2 ad 2, « non sunt in statu acquirendi secundum aliquid sui; et ideo nec *sibi* nec *aliis* merentur : quia quod impetrant modo nobis, contingit ex hoc, quod prius, dum viverent, meruerunt, ut hoc impetrarent ».

[78] Status gratiae requiritur ad meritum *de condigno:* ad meritum *de congruo* sufficit gratia actualis.

[79] Joan. **15.** 4.

[80] Supra n. 433.

filiatione deducit meritum aeternae gloriae [81], atque docet quod *si caritatem non habuero nihil mihi prodest* [82]. Profecto si justitiae, quae peccatum praecedunt, peccato mortificantur [83], a fortiori opera, quae a peccatore fiunt sunt mortua. **Ex Patribus** PROSP. ait : « Justificatus homo..., nullo praecedente bono merito, accipit donum, quo dono acquirat et meritum, ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi etiam per industriam liberi augeatur arbitrii » [84]. — **Ratio** est quia meritum supponit proportionem cum praemio : atqui proportionem cum vita aeterna, quae est praemium bonorum operum, non habet nisi qui est ordinatus in vitam aeternam, quod fit gratiâ : ergo [85].

553. **Tertia pars.** *Ad meritum bonorum operum requiritur divina promissio* [86]. Nam **Scriptura** vitam aeternam dicit coronam quam *repromisit Deus* [87]; **Patres** vero docent cum AUG. quod Deus « debitor factus est (nobis), non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit *promittendo* » [88]. — **Ratio** est quia condignitas, qua opus bonum habet proportionem cum vita aeterna, est tantum aptitudinalis et veluti in actu primo. Sicut ergo in humanis jus ad mercedem in actu secundo supponit acceptationem et repromissionem domini [89], ita in supernaturalibus jus ad aeternae gloriae pondus praesupponit divinam promissionem, qua Deus acceptare dignatus est opus nostrum ad aeternum praemium; multo magis

---

[81] Rom. **8**. 16.

[82] 1 Corinth. **13**. 3.

[83] *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem,... omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. **18**. 24.

[84] PROSP. *C. objec. Gal.* ob. 6; AUG. *De Spirit. et Litt.* c. 3, n. 5.

[85] Nec solum status gratiae est necessarius, sed, ceteris paribus, juxta suum gradum dignificat opera. C. MAZZELLA, n. 1157-8; PESCH, n. 417 qui citat *S. Thom., Suarez, Lugo, Ripalda;* TEPE, n. 515; LÉPICIER, q. 6, a. 8 ap. p. 422.

[86] Ex parte Dei assignantur duae conditiones : *ordinatio* quae opus salutare connectit cum retributione aeternae vitae, et *promissio* quae hanc ordinationem firmat, assignans determinatum gradum gloriae; quia tamen hae duae conditiones valde vicinae sunt, generatim de una *promissione* Dei instituitur quaestio. C. MAZZELLA, n. 160-2.

[87] Hebr. **6**. 12; Jac. **1**. 2; 2 Petr. **1**. 4.

[88] AUG. *Serm.* 158, n. 2; BERNARD. *De Grat. et Lib. Arb.* c. 14, n. 51 ait : « Promissum quidem *ex misericordia,* sed tamen *ex justitia* persolvendum ». Cf. CONC. TRID. sess. 6, c 16.

[89] V. g. qui suo marte alterius vineam foderet, non haberet jus ad mercedem, quae ex conventione titulo justitiae rependitur.

quod Deus non retribuit tantum mensuram justam, sed *bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem* [90]; *non* enim *sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* [91].

554. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Scripturis vita aeterna dicitur *haereditas:* ergo non est meritum. **Resp.** Non repugnat eamdem realitatem duplici titulo rependi, maxime si sint subordinati. Vita aeterna infantibus et amentibus confertur tantum titulo haereditatis; adultis vero, usum rationis habentibus, confertur quidem titulo filiationis, sed prout merito ipsi cooperantur propriae justitiae et augmento ejus; non secus ac in humanis filius adoptivus succedit patri titulo haereditatis, sed prout bonis operibus factus est dignus ut adoptaretur et in legali filiatione servaretur.

555. **Objic. 2.** Christus docet servo non deberi gratiam, quia ad opus tenebatur, nos autem esse servos inutiles [92]: ergo nostris operibus non debentur praemia. **Resp.** Christus non negat servis deberi mercedem, quam in parabola indicat dicens: *et post haec tu manducabis et bibes;* sed docet servum non posse gloriari apud semetipsum quasi rem indebitam praestiterit, quod speciali ratione contingit inter nos et Deum, cui non solum omnia debemus, sed apud quem non est meritum nisi dependenter a sua ordinatione et acceptatione, eo quod nostra merita sint sua dona [93], et ex his nihil utilitatis ei proveniat [94].

556. **Objic. 3.** Si vita aeterna retribueretur meritis, in operibus nostris fiduciam ponere deberemus: atqui *maledictus homo qui confidit in homine..., benedictus vir qui confidit in Domino* [95]: ergo. **Resp.** Scriptura non vetat nos expectare coronam, quae reposita est bene agentibus; sed prohibet fiduciam, quae humanae virtuti innitatur, sepositis meritis Christi, sine quo non est salus [96], et negato auxilio gratiae, a qua sufficientia nostra procedit [97].

---

[90] Luc. **6**. 38.

[91] Rom. **8**. 18. S. THOM. 1-2 q. 114 a. 3 ad 1 testimonium explicat de improportione passionum praecisione facta a fine supernaturali et a gratia, sed potest exponi de absoluta inaequalitate. C. MAZZELLA, n. 1172.

[92] Luc. **17**. 8-9.

[93] Cf. 1 Corinth. **4**. 7.

[94] Vol. 2, n. 199; KNAB. in *Luc.* p 482.

[95] Jerem. **17**. 5-7.

[96] Act. **4**. 12.

[97] 2 Corinth. **3**. 5.

CONCLUSIO.

557. **Gratia Dei mecum** [98]. Totius tractatus *de Gratia* summam praebent recitata verba Apostoli quae S. IGNATIUS LOYOLA sic commentatur : « Operam omnem gerendis admove quasi rerum successus omnis a te, nihil a Deo penderet, sic tamen Deo fide quasi tu nihil, Deus omnia solus sit facturus » [99]. Omnia profecto a Deo expectanda sunt quia sine ejus auxilio nec graves tentationes vincere, nec legem naturalem observare valemus, nec quidquam prout oportet agere vel cogitare possumus ; sicut enim palmes non potest ferre fructus a semetipso nisi manserit in vite, sic nos ad aeternam vitam fructificare non valemus nisi maneamus in Christo [100], qui factus est nobis... justitia et sanctificatio [101]. Christo igitur adhaereamus et per ipsum Patri qui, si proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, profecto et cum illo omnia nobis donavit [102], ut consortes suae naturae efficeremur [103]. Impotentia tamen nostra desidiae culpam non adducat ; qui enim non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis [104], omnia possumus in eo qui nos confortat [105]. Ut vita aeterna non donum solum sed et corona sit, quae « quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior » [106], Deus voluit ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus [107]. Dum ergo tempus habemus, operemur bonum [108] ; venit enim nox quando nemo potest operari [109]. Nil retrahat a zelo gloriae Dei, nil retardet ; non enim sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis [110]. Deum, qui prior dilexit nos [111], diligamus ex toto corde, in tota anima et in tota

---

[98] 1 Corinth. **15**. 10.

[99] BARTOLI, *Vita S. Ignat.* 1. 4. In THESAURO soc. J. *select. sent.* n. 2 ita legitur : « Sic Deo fide quasi rerum successus omnis a te, nihil a Deo penderet ; ita tamen iis operam omnem admove quasi tu nihil, Deus omnia solus sit facturus » : sed prior lectio est clarior.

[100] Joan. **15**. 4.

[101] 1 Corinth. **1**. 30.

[102] Rom. **8**. 32.

[103] 2 Petr. **1**. 4.

[104] 2 Corinth. **3**. 5.

[105] Philip. **4**. 13.

[106] IREN. *Adv. haer.* IV, c. 72.

[107] 2 Petr. **1**. 10.

[108] Gal. **6**. 10.

[109] Joan. **9**. 4.

[110] Rom. **8**. 18.

[111] 1 Joan. **4**. 10.

mente[112]. Sic jugum ejus fiet suave et onus leve [113]; fortis est enim ut mors dilectio [114], et « omnia saeva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor » [115], siquidem « hoc est magna merces et sufficiens remuneratio, gravia pati propter eum, qui amatur » [116]. « Percute igitur, Domine, percute obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuae, et altius ad intima penetra potenti virtute! Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen » [117].

---

[112] Matth. **22**. 37.
[113] Matth. **13**. 30.
[114] Cant. **8**. 6.
[115] AUG. *Serm.* 70, n. 3.
[116] CHRYS. in *Eph.* hom. 5, n. 1.
[117] LITURG. Or. *post Missam.*

A. M. D. G.

APPENDIX

DOGMATICA QUAEDAM MONUMENTA ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

JESUS CHRISTUS DEUS.

Jesu Christi divinitas in non paucis monumentis funerariis credita firmiterque proclamata a primaevis fidelibus fuisse evidentissime deprehenditur. Monumentorum autem alia Christum nominant eique Dei Dominique titulos tribuunt, exempli gratia:

ΕΝ ΘΕΩ ΚΥΡΙΩ ΧΡΙCΤΩ (ΖΗCΑΙC)

Id est: *In Deo Domino Christo (vivas)*
alia nomen Christi monogrammate repraesentant:

ΕΝ ΘΕΩ ☧ = *In Deo Christo (vivas)*

alia denique, et quidem praefatis plerumque antiquiora, loco nominis Jesu Christi, piscis figuram ejusve nomen graece conscriptum prae se ferunt.
Exempli gratia:

BETTONI IN PACE DEVS CVM SPIRITVM TVVM ΙΧΘΥϹ

Id est: (*Vivas*) *in pace, Bettoni, (ac) Deus piscis* (scil. *Jesus Christus Dei Filius Salvator) cum anima tua sit.* (Saec. IV, cœm S. Callisti).



Tab. I — (Coem. Priscillae).

Id est: *Claudius Philota dulcissimo fratri suo Theodoro fecit. Vivamus in Deo pisce* (scil. *Jesu Christo*, etc.).

Insuper, in picturis coemeterialibus, quae ab ineunte saeculo secundo ad quartum usque egrediens temporis spatium complectuntur, Christus princeps figura est, licet ut Bonus Pastor, aut in Matris gremio appareat. Etenim, iuxta has picturas, *Eum* Magorum spectat adoratio, *Eum* Isaias vaticiniis suis magnificat; *Ipse* est stella quam Balaam vaticinatus est, ac propter *Eum* Michaea ad Bethleem gratulans adclamat (1).

Primaevi igitur Christiani, qui ejusmodi prophetias una cum Christi incarnatione picturis adumbrarunt, Christum revera Messiam esse a prophetis promissum professi sunt.

Quod autem rem ultimo absolvit ipsum est ethnicorum testimonium; nam ut Plinii ad Traianum famosam epistolam aliaque documenta praetermittamus, contumeliosa quaedam crucifixi effigies in Palatina domo a militibus graphio descripta satis argumentum nostrum confirmat. Videlicet, Christus



Tab. 2 — (Ex photographica imagine).

ibi asinino capite instructus in crucem actus apparet, eique virilis adstat figura, ad quam ista refertur inscriptio:

ΑΛΕΞΑΜΕΝΟC CEBETE ΘΕΟΝ = *Alexamenes, Deum adora* (2).

(1) Cf. P. SYXTUS, *Notiones arch. Christ.*, vol. II, pars 2, p. 124.
(2) Cf. P. SYXTUS, *Not.*, etc., vol. II, pars 1, p. 73-74.

MARIA DEIPARA.

In praefatis picturis et in aliis, nec non in vetustioribus omnigenisque sculptilibus Maria apparet, et quamvis Christi praenuntii, revelationis, incarnationis et adorationis in ipsis cogitationes emergant, tamen Maria quoque eminente loco repraesentata est: neque solum uti Virgo Deipara, verum etiam virginum Deo consecratarum exemplum, eorumque advocata proponitur quos defuncti superstites reliquerunt (1).

Tab. 3 - Omnium vetustissima Virginis Mariae imago (Coem. Priscillae, initio saec. II).

Unde picturae catacumbarum, ait egregius Wilpert, magna ostendunt privilegia quibus Deus providus Deiparam insignem reddidit. Praeterea, quod in nullo persecutionum temporis documento scripto reperiri fas est, paucis quidem, at praestantibus lineis, quemdam in primaeva Ecclesia locum Maria teneret perspicue picturae illae commonstrant, Eamque re haud aliam fuisse innuunt quam postea fuit (2).

(1) Cf. WILPERT, *Le pitture*, tabb. 22, 83 1, 81, 207 seq.
(2) Cf. WILPERT, *loc. cit.*, Textus, p. 196-197.

DE GRATIA ET VIRTUTIBUS.

Cum prisca epitaphia laconica admodum sint, nec non nisi tardius apud Christianos epigraphicus stilus efformatus fuerit, frustra gratiae ac virtutum mentio explicita in monumentis funerariis quaeritur. Nihilominus indicia pretiosa non desunt de *fide* in Christum, de *spe* in Dei auxilium eiusque promissa, de *charitate* erga proximun, de cultu *virginitatis* deque aliarum virtutum exercitio. Haec omnia posse gratiae dumtaxat auxilio praestari priscos credidisse fideles innumerae pene inscriptiones testantur, in quibus aperte *auxilium a Deo* efflagitatur:

ΚΥΡΙΕ ΒΟΗΘΗ = *Domine adiuva!*

Concursus vero *humanae voluntatis* hoc titulo clare exprimitur cujusdam virginis Castulae nomine:

PROPERANS · KASTITATIS · SVMERE
PRAEMIA · DIGNA · MERVIT · IMMARCESCIBILEM · CORONAM
PERSEVERANTIBVS · TRIBVET · DEVS · GRATIAM
IN · PACE (3)

(1) *Corp. Inscr. lat.*, VIII, n. 2051.

NB. — Curavit P. SYXTUS, monachus Abbatiae catacumbarum S. Callixti.

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales — *n* notam signat).

A

Acceptor personarum non est Deus 314.

Actus ethice, praeternaturaliter et supernaturaliter bonus 351 : supernaturalis a naturali differt etiam objecto formali 352 : deliberatus non minus quam indeliberatus 289, pendet a divina motione 289-99, et si est supenaturalis, dici potest gratia 301 *n. 3.*

Adoptianistae duplicem divinam filiationem in Christo agnoscunt 5.

Adoratio debetur Christo homini 120, et speciali ratione SS. Cordi ejus 122, in cujus cultu plura sunt attendenda 121.

Agnoëtae omniscientiam Christi negarunt 44 *n. 143.*

Alma est virgo juvenis et pulchra 246 *n. 21.*

Almaricus de Bennes fuit pantheista 287 *n. 57.*

Americanistae virtutes activas praeferunt passivis 535.

Amor Dei affectivus solis naturae viribus potest elici 358. — Amor Dei est causa bonitatis rerum 410, 421 *n. 23.*

Anabaptistarum errores de origine carnis Christi 5.

Anianus sectator Pelagii 287.

Antidikomarianitae negant virginitatem B. V. M. 245.

Antiochus veram poenitentiam non egit 399.

Apelles humanam orginem carnis Christi non agnovit 5.

Apocrypha non sunt penitus spernenda 260 *n. 47.*

Apollinaristae animam intellectivam Christo subrahunt 5.

Apostatis quare non maneat hostia pro peccatis 396.

Applicatio creatae virtutis ad agendum multiplex 288 sqq. v. *Deus.*

Archaeologica monumenta de nomine Christi 4 ejusque divinitate 38, de sanctorum intercessione 165, de B. V. M. corredemptione 213, de divina maternitate 295, et de assumptione 256.

Arduitas operis non est meriti conditio 551 *n. 60.*

Ariani negant Christo animam et divinitatem 5, 32.

Arminianorum errores de gratia 287 *n. 71.*

Arnault sectator Jansenii 287.

Articuli fundamentales qui sint 484.

Assumptio B. V. quomodo intelligenda 251 : probatur 255-7 : solvuntur difficultates 258-9.

B

Bajus erravit de gratia 287, 424 *n. 42,* et de spe 522.

Beatifica visio intrinsecam impecca-

bilitatem affert 146. — Non est concessa in hoc mundo B. V. M. 223 *n. 42;* in Christo autem dolores animae non impedivit 79.
BECCARELLI quietista 287 *n. 85.*
BEGUARDI justificationem intrinsecam negant 443.
BENEFICIA naturalia aliquando sunt gratiae externae 276 *n. 18.*
BERNARDUS (S.) an negaverit immaculatam conceptionem B. V. M. 219 *n. 6.*
Bethula et virgo etiam provectioris aetatis 246 *n. 21.*
BEZA sectator Calvini 287 *n. 68.*
BLASPHEMIA in Spiritum S. quomodo irremissibilis 397.
BOLGENI erravit de formali objecto caritatis 535.
BONITAS ethnica, praeternaturalis et supernaturalis actuum nostrorum undenam repetenda sit 351.
BRENZ Lutheri assecla 287 *n. 66.*
BUTZER Lutheri discipulus 287 *n. 66.*

C

Calcanei contritio Gen. **3.** 15 est mors Christi 232.
CALVINI errores de gratia 287.
CARITAS est virtus theologica 465, nobilissima omnium virtutum 541, quas movet 542 et informat 543. In quo proprie consistat 531, et quae eam sequantur 532 : eadem est in via et in patria, simulque complectitur amorem Dei et proximi 534 : ejus *objectum formale* est divina bonitas in se 536, quae potest diligi etiam ob accepta beneficia 533; *materiale* principale est Deus 537, secundarium vero sunt proximus 538 et nos metipsi 539, imo indirecte etiam creaturae irrationales 540.
CAROLOSTADIUS Lutheri assecla 287 *n. 66.*
CASSIANUS Semipelagianorum coryphaeus 287 *n. 45.*
CAUSA quid, et in quo a dispositio differat 447 : quomodo plures causae ad unum effectum possint operari 291 *n. 25:* causa creata rationem entis solummodo ut instrumentum Dei attingit 291 *n. 27.* — Quae causae gratiae 448.
CERINTHUS divinitatem Christi ejusque hypostaticam unionem non agnovit 5.
CERTITUDO quid et quotuplex 471, *n. 3.*
CHRISTOLITI veritatem carnis Christi negarunt 5.
CHRISTUS. Christi nomina 4, symbolum 199, historia dogmatis 5. Christi existentia historice constat 48. *MESSIANITAS.* Quid secundum nomen 4 et secundum rem 18 : haec notio non est naturaliter evoluta, sed processu temporis clarius a Deo revelata 27. De expectatione Messiae 19 deque messianicarum prophetiarum divisione 20. Plures de Messia datae sunt prophetiae 22 quae, in Christo completae 23, eum esse Messiam comprobant 24 : inter has autem eminent quae temporis circumstantiam signant, scil. Jacobi 25, Danielis 26 et Aggaei 24 *n. 92.* Solvuntur difficultates 27-30. *DIVINITAS.* Divinitatis notio non debetur evolutioni ideae messianicae 52. Christi divinitas probatur ex nomine *Dei* 33 et *Filii Dei* 34, necnon ex attributis, operationibus 36 et cultu divino 37 : confirmatur autem Traditione 38 et testimonio Christi 49, ab Apostolis approbato 50, et de cujus historica veritate nullatenus dubitare licet 51. Solvuntur difficultates 39-46, 52-6. *HUMANITAS.* Christi *corpus* non est phantasticum 60, neque de coelo allatum, sed nobis consubstantiale 58, de B. V. M. assumptum 61 (Solv. diff. 62-5). Christo non defuit *anima* intellectiva 70, libertate praedita etiam in morte 195; et quia ipse erat

homo perfectus 69, animam habuit substantialiter unitam corpori 66 : porro Verbum corpus assumpsit mediante anima, animam mediante spiritu, spiritum mediante composito 67 (Solv. diff. 71-2). Fuerunt in Christo etiam humani *defectus,* sed universales et indetrectabiles tantum 76, non autem particulares, detrectabiles et involontarii 77 ; quare protopassiones potius quam passiones sunt de ipso praedicandae 74 (Solv. diff. 78-81). *UNIO HYPOSTATICA.* In Christo est una *persona* 94-6 eaque divina 97, scil. Verbum 98 ; an vero composita dicenda sint 92, et quomodo in humana natura subsistat 103-6, disputant auctores. Solvuntur difficultates 99-102. Unionem hypostaticam plura consequuntur, scil. *communio idiomatum* 108-12, unica *naturalis filiatio Dei* 113-19, *cultus latriae* debitus sacrae humanitati Christi 120-2 ; *naturarum inconfusio* quippe sunt in Christo duae naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae 125, ac proinde *duae voluntates* omnino distinctae 132, etsi apprime conformes 129, 133 (Solv. diff. 134-7) : ac tandem *summa perfectio* naturae humanae 1, 74 ejusque operationis 130, fuit enim in Christo triplex *scientia,* scil. beata 141, infusa 142 et acquisita 143, qua omnia praeterita, praesentia et futura agnovit 139 (Solv. diff. 144-5), fuit quoque plenitudo *gratiae* tam negativae 156, quam positivae 157, quae distinguitur in gratiam unionis 151, singularem 152 et capitis 153-4. *MUNERA.* Christus, qua homo 161, est *mediator* noster 160, 164, qui satisfactione vicaria 174, abunde 173 satisfecit pro peccatis omnium 175. Haec satifactio, si consideratur *in termino,* est copiosa, quippe Christus nos liberavit ab omni malo et omnia nobis bona contulit 171 ; si consideratur *in se,* quamvis non fuerit in rigore justitiae 170, multipliciter tamen extitit infinita 169, et peccatorum debitum infinite excessit 168 ; si consideratur *in effectu* non repugnat meritis nostris 176, neque corredemptioni B. V. M. 209, et intercessioni sanctorum 165. — Christus est *propheta* 181, qui multimode prophetarum munus exercuit 175 ; multiplici vero titulo 180 est *rex* 182. Ipse est etiam *sacerdos* 188 in aeternum 185, secundum ordinem Melchisedech 186, hypostatica unione constitutus 190, sacerdotibus V. T. infinite praestantior 189, qui sacerdotale officium variis modis exercuit 184, sed maxime moriendo 191, quippe ejus mors, uti *verum sacrificium* 194, nostram salutem operata est 192. — In Christo ergo nos gloriari oportet 198.

CIRCUMSTANTIA mala et extrinseca, si ultimum finem non excludit, meritum imminuit, sed non evacuat 551 *n. 61.*

COELESTIUS gratiae inimicus 287.

COMBE (La) quietista 287 *n. 85.*

CONCEPTIO activa et passiva 220.

CONCUPISCENTIAE motus in alios quoque integritas B. V. reprimebat 223 *n. 38.*

CONCURSUS Dei simultaneus in quo consistat 290 *n. 10 ;* creaturarum operationes sufficienter non explicat 292.

CONFIRMATIO in gratia quid sit 284 *n. 2.*

CONTEMPLATIO est actus donorum Spiritus S. 469 *n. 7.*

CONTINENTIA proprie dicta non fuit in Christo 153.

D

D'AILLY P. non agnovit primatum R. P. 287 *n. 58.*

DANIELIS prophetia messianica 26.

DAVID de Dinant pantheista 287 *n. 57.*
DEBITUM proximum et remotum originalis peccati 222 : proximum nil detrahit puritati B. V. 222 *n. 30.*
DEFECTUS quid et quotuplex 73 : qui fuerint in Christo 76 sqq.
DELECTATIO non est essentialis gratiae 301 *n. 9,* 340, 344.
DEUS multipliciter movet creaturam 288. In quo consistat divina applicatio 289 : de natura divinae motionis disputant quidem auctores 290, sed videtur dicendum quod Deus movet ad agendum 291 motione physica 292, non praedeterminante 293. Solvuntur difficultates 294-9. — Deus non est acceptor personarum 314.
DISPOSITIO in quo differat a causa 447, a merito et impetratione 308, a potentia et habitu 458. — Quae dispositiones ad gratiam requirantur 449.
DOCETARUM errores de corpore Christi 5.
DOGMATUM progressus qui 230.
DONA SPIRITUS S. in quo consistant 468, et quomodo in actum deducantur 469 : vere justis infunduntur 470.
Donec non semper sensum negativum praefert 248.
DUBIUM quid et quotuplex 471.
DURANDUS adoptianismi errorem non effugit 5 *n. 68,* et negat peccato infidelitatis fidem semper amitti 463 *n. 31.*

E

EBIONITAE negant virginitatem B. V. M. 245, et divinitatem Christi 32.
ECKCHART quietista 287 *n. 85.*
EMMANUEL quid significet 4, et quomodo de Christo dicatur 29, 33 *n. 9.*
ENGELHARDT Zwinglii assecla 287 *n. 67.*
ENTIS ratio a creatura instrumentaliter tantum potest attingi 291 *n. 27.*
ERMINIANORUM errores de origine carnis Christi 5.
ESAU quo sensu non invenerit poenitentiam 399.
EUTHYCHES naturas in Christo confundit 5.
EVIDENTIA mediata et immediata 471 *n. 5.*

F

Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam 309.
FAREL discipulus Calvini 287 *n. 68.*
FAUSTUS e Semipelagianorum coryphaeis 287 *n. 45.*
FÉNELON quietista 287 *n. 85.*
FIDES quid 471 : quae ejus praeambula 506 et quomodo innotescant 507. Fidei assensum praecedit judicium certum 510 de ejus credibilitate et credentitate 509. *Natura.* Fides est virtus theologica 465, et non consistit in instinctivo sensu exigentiarum religiosarum 474, neque in fiducia de propria justificatione 475, 480; sed est actus intellectus 476 quo sub influxu voluntatis 477, 482 et auxilio gratiae 478 assentimur veritatibus revelatis ob auctoritatem Dei revelantis 479 (Solv. diff. 480-3). Ejus objectum materiale est multiplex 484, siquidem fide credenda sunt omnia quae in revelationis thesauro continentur 488; inter quae connumerantur etiam quaedam ordinis naturalis 490, 516; et ea quae scientifice apparent evidentia 486, ipsa tamen auctoritas Dei revelantis non est objectum materiale cujuslibet actus fidei 585 (Solv. diff. 489-92). Quomodo mens adhaereat Deo revelanti 472 : analysis actus fidei 518. *Proprietates.* Fidei assensus est necessarius ad salutem 495, essentialiter verus 496, immutabilis 497, firmissimus 498, ita ut inculpabiliter retractari nequeat 497 *n. 29,* obscurus 499 et liber 500 (Solv. diff. 501-4). Fides ne in naturalibus qui-

dem potest errare 516, non trasfigurat revelationem 54, nec contradicit scientiae, 511 quam potius dirigit 512 et fovet 513 (Solv. diff. 514-8). — Fides non est unica justificationis causa 453, 455-6. — Fidei initium quid 372 : distinguitur a simplici desiderio l. c. *n. 8 :* non elicitur sine gratia 378.

FILIATIO DIVINA naturalis et adoptiva 113. — J. C. est verus filius naturalis Dei 34, et nullo modo adoptivus 115. Solvuntur difficultates 116-9.

Filius hominis quo sensu sit Christus 4, 71.

FINIS appetitio quomodo cadat sub divina motione 289 *n. 4.*

FOLCMARUS incidit in adoptianismum 5.

Fratres Domini sunt ejus consobrini 250.

G

GERBERON Jansenii assecla 287.

GERSON primatum R. P. non agnovit 287 *n. 58.*

GIRARD Jansenii assecla 287.

GLORIARI oportet in Christo Jesu 198.

GNOSTICORUM errores de Verbo incarnato 5, 32 et de fide 473.

GRATIAE notio 269, definitio 270, historia dogmatis 287. *DIVISIONES* 271 : naturalis 272, increata et creata 273; Dei et Christi 274; patriae et viae 275; externa et interna 276; supernaturalis et praeternaturalis 277; gratum faciens et gratis data 278, cujus numerus incertus l. c. *n. 22;* actualis et habitualis 279; sanctificans, virtutes et dona Spiritus S. 280; illuminationis et inspirationis 281; sanans et elevans 282; sufficiens et efficax 283; excitans et adjuvans 284; operans et cooperans 285; praeveniens et subsequens 286, quae tamen diversimode explicantur l. c. *n. 32. GRATIA ACTUALIS. Natura.* Gratia est donum Dei, quo nemo abutitur 289 *n. 6,* tam indebitum 311, ut naturae viribus nec mereri 312, nec impetrari possit 313 (solv. diff. 314-6) : non consistit formaliter in delectatione 301 *n. 9,* 340, 344, sed *principiative* est motio divina 302, addens naturae vires efficacissimas 304, omni naturali virtute validiores 320 *n. 3 : terminative* vero 301 consistit in illuminatione intellectus et inspiratione voluntatis 305, immediate a Deo excitatis 306. *Gratia sufficiens.* Sufficientia gratiae est praecisiva, negativa et positiva 318, proxima et remota 319, absoluta et relativa 320. An fuerit in statu justitiae originalis 328, eaque homo possit 326, vel debeat agere 327. Datur gratia vere et pure sufficiens 322-4, cui ratio beneficii non deest 325. Solvuntur difficultates 326-31. *Gratia efficax.* Adaequate et inadaequate sumitur 338, et in ea possunt distingui efficacia virtutis, effectionis et connexionis, sicut etiam efficacia affectiva, cognoscitiva et objectiva 333. Efficacia gratiae antecedit exercitium liberi arbitrii 335, at non impedit 336, quia praesupponit 557. De intima natura gratiae aliter opinantur Thomistae 339, Augustinenses 340, Molinistae 341, Neo-Thomistae 342; videtur autem quod non sit explicanda motione praedeterminante 343, neque delectatione victrici 344, sed extrinseca habitudine ad consensum voluntatis 345 : quare gratia efficax a sufficiente non differt physica entitate 346, sed ratione majoris beneficii 347. Solvuntur difficultates 348-9. *NECESSITAS.* Gratia non est necessaria ad omne opus ethice tantum bonum 357, neque ad actum amoris affectivi Dei 358, sed praeternaturalis saltem 361 requiritur ad diu observandam totam legem naturalem 359 (Solv.

diff. 362-7) et ad superandas graves tentationes 371 : gratia autem entitative supernaturalis est necessaria ad omnes actus salutares 375-7, ad initium fidei 378 (Sol. diff. 379-82) : imo ad perverandum in justitia requiritur gratia sanctificans 360 et speciale auxilium 284 *n. 4*, 388 ; ad vitanda vero omnia venialia privilegium 389, uni B. V. concessum 241. *Distributio*. Non solis justis 392, sed peccatoribus 393 et infidelibus 394, licet diverso gradu 390, conferuntur gratiae. Solvuntur difficultates 395-400. *GRATIA HABITUALIS*. Quid in profanis 415 et in sacris 405, et quo sensu vestibus comparetur 414. *Natura*. Licet Scholastici disputent de intima naturae hujus gratiae 407, certum est quod sit quaedam positiva realitas 408-10, 435 creata 411, animae inhaerens 412, reductive qualitas 413. Solvuntur difficultates 414-7. *Effectus*. Gratia sanctificans remittit peccata mortalia 418, 434, quae amplius non redeunt 426, 436-8, animam renovat et illuminat 419, 427-8, deificat et constituit filiam Dei et haeredem aeternae vitae 420, 429-30, hominem facit amicum Dei 421, 431, templum Spiritus S. 422, 432, et membrum Christi 423, 433. Solvuntur difficultates 434-8. *Proprietates*. Gratia sanctificans est gratuita saltem in radice 454, morali certitudine potest cognosci 440, sed non absoluta 444 : potest augeri 441 et amiti, sed non imminui 442 : inaequaliter possideretur 445, et quovis mortali peccato indirecte corrumpitur 446. *Origo*. Quae causae 448 et dispositiones 449 gratiae sanctificantis : a solo Deo efficitur 451, at in adultis exigit dispositiones 462, quae ad solam fidem reduci nequeunt 453. Solvuntur difficultates 454-6.

GÜNTHER notionem unionis hypostaticae corrupit 5, et incarnationem post peccatum necessariam dixit 7.

GUYON quietista 287 *n. 85*.

H

HABITUS quid sit et quomodo dividatur 458.

HELVIDIANI negant virginitatem B. M. 245.

HERMES notionem fidei corrupit 473 *n. 15*, 503 *n. 46*.

HERZOG negat virginitatem B. M. 246.

HESSEL comes Baii 287 *n. 77*.

HISTORIA DOGMATIS christologici 5, immaculatae conceptionis 219, assumptionis B. V. 256 et gratiae 287.

HISTORICAS QUAESTIONES an ad fidem pertinere possint 490.

HOMO estne essentialiter defectibilis? 135.

Homo coelestis quo sensu dicatur Christus 65.

HONORIUS duas voluntates in Christo agnovit 137.

HUMANITATIS studium Reformatoribus viam aperuit 287 *n. 59*. — De humanitate Christi v. *Christus*.

HUSS errores de gratia 287.

I

IDIOMATUM COMMUNIO in Christo quid sit 108, factum 109, radix et lex 110-1.

IGNORANTIA in quo ab inscitia differat 471.

IMPECCABILITAS Christi 147 et B. V. M. 241.

IMPETRATIO in quo differat a merito et a dispositione 308.

INCARNATIO quid 2 : non fuit necessaria absolute 8, neque ad redemptionem generis humani 9 ; imo, Adamo non peccante, probabilius non esset facta 10 : est possibilis 11 et conveniens

6 cum absolute 12, tum respective ad finem redemptionis 13, ad personam assumentem 14, ad naturam assumptam 15, necnon ad modum 16 et circumstantias 17 in quibus facta est. — Incarnationis aliqualis extensio reputatur justificatio impii 423 *n. 36.*

INCORRUPTICOLAE negant passibilitatem corporis Christi 5.

INFANTIBUS quomodo conferantur gratiae 400.

INFIDELES gratias sufficientes 394 saltem remote supernaturales 400 accipiunt : eorumque opera non omnia sunt peccata 365-8.

INITIUM FIDEI cum quovis ejus desiderio nequit confundi 372 *n. 3;* elicitur autem supernaturali influxu gratiae 378.

INSPIRATIO gratiae in quo consistat 301 *n. 6.* V. *Gratia.*

INSTRUMENTUM LIBERUM quid importet in ordine gratiae 130 *n.* 7.

J

JACOBI prophetia explicatur 25.

JANSENISTARUM errores de universitate redemptionis 5, de immaculata conceptione B. V. 224, de gratia 287, de spe 522, de caritate 535.

JESUS quid exprimat 4. V. *Christus.*

JOSEPH sponsus B. V. 224, et pater Christi 262, omnes sanctos superat dignitate 263, sanctitate 264, gloria et cultu 266 : fuit sanctificatus in utero 219 *n. 23,* confirmatus in gratia, virgo, juvenis et pulcher 265, cum B. V. vero matrimonio conjunctus 244.

JOVINIANI negant virginitatem B. M. 245, et aequalitatem justitiae praedicant 443.

JULIANUS Pelagii assecla 287.

JURIEU erravit de fide 487.

JUSTIFICATIO quid 403 : duo justificationis effectus 404 : quomodo dicatur extensio incarnationis 423 *n. 36.* V. *Gratia.*

K

KANT fidei notionem corrumpit 473 *n. 15.*

KEMNITII errores de gratia 287 *n. 71.*

L

LANE (De La) Jansenii assecla 287.

LAPURDII apparitio 219.

LEIBNITZ necessariam putavit incarnationem 7.

LEO JUDAE sectator Zwinglii 287 *n. 67.*

LEX exceptiones patitur 233. — Legis naturalis praecepta *collective* sumpta majorem quam *distributive* considerata habent difficultatem 367 : quare, etsi singillatim solis naturae viribus possint impleri 356-7, ipso actu amoris affectivi Dei non excepto 358; simul tamen diuturno tempore 359, maxime urgentibus gravibus tentationibus 371, sine gratia praeternaturali 361 observari nequeunt; imo ad perseverandum in eorum observantia requiritur gratia santificans 360.

LIBERTATI obstat praedeterminatio 299, non autem praedestinatio 298, neque praemotio physica 296. — Christus liber fuit in moriendo 195.

LOISY historicam veritatem divinitatis Christi non agnovit 5.

LUITOLPHUS incidit in adoptianismum 5.

LUNA est symbolum B. V. M. 199.

LUTHERUS valde in quaestione de gratiae erravit 287.

LUX est symbolum gratiae 301 *n. 4.*

M

MALAVALE quietista 287 *n. 85.*

MALEBRANCHE necessariam putavit incarnationem 7.

MANICHAEORUM errores de incarnatione 5, et de justificatione 443.
MARCIONITARUM errores de incarnatione 5.
MARIA quid exprimat secundum nomen 202 *n. 9*. In instanti 201 facta est Deigenitris 205 (Solv. diff. 206-8), hanc autem dignitatem, quae infinitam quamdam habet excellentiam 303, meruit 202. Ex divina maternitate sequitur quod sit *mater nostra* 211, et multiplici titulo 210 *corredemptrix*, secundaria quidem 209, sed aliquo modo necessaria 209 *n. 2*: quare Christo conjuncta est in praedestinatione sanctorum 214, in promissione 215, in glorificatione 216, et in cultu 217. *PRIVILEGIA*. Historia dogmatis *Immaculatae conceptionis* 219 : propria ejus ratio 220 : debitum peccati, utut proximum, ei non obstat 222; B. V. M. vere concepta est immaculata 225-9 (Solv. diff. 230-6) : quomodo 221 : corollaria 223. *Sanctitate* B. V. omnes sanctos praetergressa 237-8, fuit immunis ab omni peccato etiam veniali 241, et plena gratia 240. Ipsa est *virgo* 246-7 (Solv. diff. 248-50) non sola integritate carnis 242, sed mentis, firmata voto 243, quod veritati matrimonii cum S. Joseph non repugnat 244. B. V. mortua quidem est 252, sed etiam corpore *assumpta* est in coelum 255-7. Solvuntur difficultates 258-9.
MEDIATOR v. *Christus*.
MELANCHTHON Lutheri assecla 287 *n. 66*.
MERITUM quid 544 : in quo differat a dispositione et impetratione 308 : divisiones 545, objectum 546, reviviscentia 547. Non repugnat contra abundantiam redemptionis Christi 176. Acquiritur bonis operibus justorum 549 et reviviscit per poenitentiam 550 : conditiones ex parte operis sunt supernaturalitas et libertas 551, ex parte agentis status viae et gratiae 552, ex parte Dei repromissio 553. Solvuntur difficultates 554-6. — Quid sibi meruerit Christus 184 *n. 4*. — Non omnes meritorum occasiones fuerunt B. V. M. 223 *n. 40*.
MODERNISTARUM errores de unione hypostatica 5, de divinitate Christi 5, 32, de ejus scientia 43 *n. 130*, de assumptione B. V. 254, 258-9, de gratia 287, de justificatione 423, de fide 473, 483 *n. 71*, 487, 494, 508, de merito 548.
MOLINISTAE quid docuerint de natura gratiae 287, 550, de divina motione 290, et de efficacia gratiae 341.
MOLINOS (De) quietista 287 *n. 85*.
MONOPHYSITAE naturas confundunt in Christo 5.
MONOTHELITAE unam ponunt in Christo voluntatem 5.
MORS B. V. 252, et qualis 253.
MOTIO divina quotuplex 288 : naturalis et supernaturalis 289 *n. 6* : Deus omnia movet 291 ; licet autem de modo quo hoc fiat disputent theologi 290, videtur dicendum quod Deus moveat physicae 292, non tamen praedeterminando 293. Solvuntur difficultates 294-9.
Mulier in Gen. **3**. 15 est B. V. M. 225.

N

NATURA in quo formaliter 84 et materialiter differat a persona 85-6.
NAZARENUS nomen Christi 4.
NEO-THOMISTARUM sententia de divina motione 290, 342.
NESTORIUS negavit unitatem personae in Christo 4.
NICOLAITARUM errores de merito 548.
NICOLE assecla Jansenii 287.

O

OBJECTUM materiale et formale 121 *n. 4*, 352 *n. 7*; attributionis 484.

OBSERVANTIA collectiva praeceptorum legis, difficultate superat distributivam 367. V. *Lex*.
OCCASIONALISMUS improbatur 295.
OECOLAMPADIUS assecla Zwinglii 287 *n. 67*.
OPTIMISTAE necessariam docent incarnationem 7.
ORTLIEBENSES quietistae 287 *n. 85*.
OSIANDER sectator Lutheri 287 *n. 66*.

P

PALAMITAE quietistae 287 *n. 85*.
PASCAL sectator Jansenii 287.
PASSIO in quo a *propassione* differat 73 : ejus divisiones l. c. *n. 2*.
PASTERIS falso dicit Damasc. docuisse animam Christi comprehendisse suam divinitatem 139 *n. 4*.
PATUZZI rigorista 287 *n. 87*.
PAVILLONS rigorista 287 *n. 87*.
PAULICIANI errant de origine carnis Christi 5 et de sanctitate B. V. M. 239.
PECCATA gratia non teguntur, sed vere remittuntur 424 : peccatum ad mortem quale et quo sensu dicatur irremissibile 398.
PECCATORES gratias accipiunt 393, 400 ; eorumque opera non omnia sunt peccata 356-8.
PELAGII errores de gratia actuali 287 et habituali 424 *n. 42*.
PERSEVERANTIA quid 384 : exigit gratiam actualem etiam proprie dictam 384, imo et 388 habitualem 360 : *finalis* vero est donum magnum, quod potest impetrari, sed non mereri 385.
PERSONA in quo formaliter 84 et materialiter 85-6 differat a natura, cui excellentiam addit 101. Notiones heterodoxae 87. — De persona Christi. V. *Christi*.
PHANTASTICI negant veritatem carnis Christi 5 *n. 44*.
PHOTINUS Christi divinitatem non agnovit 33.
PISTORIENSIS synodi errores de gratia 287.
POENITENTIA stricte dicta non fuit in Christo 152, fuit autem late sumpta l. c. *n. 26*.
POTENTIA in quo differat ab habitu et a dispositione 458 : potentia activa in quo differat a passiva 294 : quid sit potentia obedientialis 270 *n. 10*.
PRAEMOTIO physica est necessaria ad actum sive deliberatum, sive indeliberatum 293, 297 *n. 46*, nec obstat libertati 296, quam e contra destruit praedeterminatio 293, 299. V. *Deus*.
PRIMOGENITUS non necessario supponit fratres 249.
PRISCILLIANORUM errores de carne Christi 5.
PROPHETA quis 178 : Christus est verus propheta 181, qui propheticum munus multipliciter exercuit 179.
PROPITIATIO quid proprie sit 162.
PSALMI messianici Christum diversimode annuntiant 20 *n. 44*.
PSEUDOMYSTICI humanam originem Christi negant 5, 59.

Q

QUESNELLUS Jansenii assecla 287.
QUIETISTAE quid docuerint de gratia 287 et de spe 522.

R

RATIONALISTARUM errores de Christo 5, de B. V. 245, 254, de gratia 287, de fide 473, 494, 508.
REDEMPTORIS propria ratio 162 : redemptionis fructus 171 : Christus nos redemit. V. *Christus*.
REDUPLICATIO quid 112.
REFORMATORUM errores de redemptione 5, de possibilitate incarnationis

7, de divinitate Christi 32, de sanctitate B. V. 239, de gratia 287, de justificatione 407, 424, 443, de virtutibus 464, de fide 473, 487, de spe 522, de merito 548.

RENAN historicam Christi divinitatem negat 5.

REVELATIO activa et passiva 472 *n. 7*: revelationes privatae an sint credendae 489.

REX est Christus 180, 182: quae relatio potestatis regiae ad gratiam capitis 180 *n. 11*.

RICCI Scipio auctor syn. Pistor. 287 *n. 83*.

RIGORISTAE Jansenistarum surculi 287.

ROSMINI corrupit notionem hypostaticae unionis 5, immaculatae conceptionis 224, nostrae unionis cum Christo 423, et docuit peccata quaedam non remitti, sed detegi 287 *n. 65*.

S

SABELLIANORUM errores de Christo 5.

SACERDOS quis 183: Christus verus sacerdos 184 sqq. v. *Christus*.

SACRIFICIUM quid 194-6.

SALVATORIS ratio formalis 162.

SAMOSATENUS (Paulus) negavit divinitatem Christi 32.

SANCTI possunt invocari 165: qui floruerint saec. XV 287 *n. 60*, et saec. XVI 287 *n. 73*.

SANCTIFICATOR quid formaliter 163.

SANCTITAS quid 403. v. *Justificatio*.

ST AMOUR sectator Jansenii 287.

ST CYRAN Jansenii assecla 287.

SANGUIS Christi an in triduo mortis fuerit divinitati conjunctus 91 *n. 9*.

SATISFACTIO in quo proprie consistat 162, 166: inaequalis, condigna, superabundans, in rigore justitiae, vicaria 167. v. *Christus*.

Schello nomen proprium Messiae 24.

SCOTISTAE virtutes morales non putant infusas 464.

SCIENTIA quid 471: an profana ad fidem possit pertinere 490: fidei non contradicit 511, ei subditur 512, eam fovet et ab ea fovetur 513. Solv. diff. 514-8. In quo differant scientia beata, infusa et acquisita 138, et quomodo simul consistant 145. v. *Christus*.

SEGUR mysticam unionem praepostere intellexit 423.

SELEUCIANORUM error de carne Christi 5.

Semen mulieris Gen. **3**. 15 est Christus et Ecclesia 225.

SEMIARIANI divinitatem Christi negabant 5.

SEMIPELAGIANI initium fidei tribuebant naturae 287.

SEMIRATIONALISTARUM errores de fide 508.

SENECA sectator Pelagii 287.

Serpens in Gen. **3**. 15 quis 226.

SIGNIFICATIO formalis et materialis vocum quid 83.

SIMILITUDO non semper excludit identitatem 62.

SINGLIN rigorista 287 *n. 87*.

SOCINIANI redemptionem Christi non agnoverunt 5, et Pelagianorum errores renovarunt 287.

SOL symbolum Christi 199.

SPES quid 519: est virtus theologica 465, a naturali distincta 520. *Natura*. Objectum formale spei constituitur divina bonitate respectiva 523 et ejus virtute auxiliatrice 524; materiale principale est aeterna beatitudo 525, ad secundarium vero bona plurima, maxime spiritualia, pertinent 526. Quae in particulari de materiali et formali objecto spei observanda occurrant 521. *Proprietates*. Spes est honesta 527, necessaria 528, certa ex parte Dei 529, incerta ex parte nostri 530. — Spes proprie dicta non fuit in Christo, fuit tamen late sumpta 153 *n. 26*.

SPONSA CANTICORUM quo sensu sit B. V. M. 240.

STATUS JUSTITIAE ORIGINALIS non removeret possibilitatem peccandi 171 *n. 13.*

SUPERNATURALITAS actus in quo differat a bonitate morali 351, et in quo proprie sit constituenda 352 : quomodo supernaturalitas *quoad substantiam* intelligatur a Billot 342 *n. 9.*

SYMBOLUM quid addat similitudini 122 *n. 13.*

T

TALENTA quare distributa dicantur secundum propriam virtutem 315.

TENTATIO quid et quotuplex 368 : triplex tentationis victoria 369 : ad superandas graves tentationes requiritur gratia 371.

THEANDRICA operatio quid et quotuplex in Christo 130.

THEODORETUS Mops. unitatem personae in Christo non agnovit 5, et gratuitatem gratiae negavit 287.

THEOPASCHITAE monophysitarum errore peccaverunt 5 *n. 76.*

THOMAS (S.) immaculatam conceptionem negavit 235.

THOMISTARUM sententia de divina motione 290, et de natura gratiae 287, maxime efficacis 339.

TRADITIONALISTARUM error de fide 508.

TYRRELL errores a fide non amovet 494 *n. 2.*

U

UNIO HYPOSTATICA in quo consistat 89 : quid efficienter, formaliter et terminative inspecta 90 : est inseparabilis 91 ; licet autem de intima ejus ratione libere disputent theologi 103, videtur quod non sit reponenda in formali assumptione naturae 104, neque in modo substantiali unionis 105, sed in unitate existentiae 106.

V

VALENTINI errores de carne Christi 5.

VENIALIA omnia sine privilegio effugi nequeunt 386, 389 : hoc autem privilegium concessum est uni B. V. M. 241.

VERBUM divinum quid dicat 4. v. *Incarnatio.*

VETERES CATHOLICI negant immaculatam conceptionem B. V. M. 224.

Vinea Isaiae 5. 1-2 est anima nostra 322 *n. 14.*

VIRGINITAS quid 242. — B. M. fuit virgo ante 246 et post partum 247.

VIRTUS quid 458 : acquisita et infusa 459 : in quo proprie differant 460 : an infusa facilitatem agendi tribuat 461 : virtutes theologicae et morales 462 an possint separari 459 *n. 14,* an imminui 463 : quomodo augeantur et amittantur 463 : virtutes theologicae sunt tres 465, morales pene innumerae 466, cardinales quatuor 467.

VITA AETERNA est haereditas 554 simul et praemium 549.

VITALIS unus e Semipelagianorum coryphaeis fuit 287 *n. 67.*

VOCUM significatio materialis et formalis 83.

VODIANIANUS assecla Zwinglii 287 *n. 67.*

VOLUNTAS ut natura et ut ratio 129. Voluntas humana in nobis est defectibilis 135, in Christo autem impeccabilis 133.

W

WESCHEIDER erravit de fide 474 *n. 15.*

WICLEF erravit in quaestione de gratia 287.

Z

ZWINGLIUS erravit in quaestione de gratia 287 et de fide 494.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.M327 C001 V003
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE TURIN,
3 0311 00042 8206

WITHDRAWN

43964

BX
1751
.M327
AUTHOR
v.3
TITLE
43964
Marzoni, Cesare
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE E PRAECIPIUS SCHOLASTICIS ANTIQUE...
DATE DUE

3 0311 00042 8206